

ANDOVER-HARVARD LIBRARY



AH 4FE9 Q

900

יהוה

INSTITVTIO THEOLOGICA

ANDOVER TANDVETV MDCCCXII

*A Gift  
from the Library  
of  
Prof. Austin Phelps, D.D.*

ΑΚΡΟΠΟΛΙΣ



ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ

S. Gross

D

1034





**IOHANNIS CALVINI**  
IN  
**EPISTOLAS**  
NOVI TESTAMENTI  
**CATHOLICAS**  
**COMMENTARI**

AD ED. R. STEPH. ACCURATISSIME EXSCRIPTI.

---

ACCEDUNT  
**INDICES DUO**

QUORUM  
PRIOR AD EPISTOLAS CATHOLICAS,  
ALTER AD OMNES NOVI TESTAMENTI  
EPISTOLAS

PERTINENT.

---

HALIS SAXONUM  
SUMPTIBUS LIBRARIÆ GEBAUERIANÆ.

1832.



43,970

608, 2  
C16. 4  
Catl. Ep.  
1832

SERENISSIMO  
ANGLIAE REGI  
EDUARDO SEXTO,  
HYBERNIAE DOMINO ETC.  
PRINCIPI VERE CHRISTIANO  
IOHANNES CALVINUS.

**E**n iterum ad te redeo, praestantissime Rex. Neque enim si, quos nuper in Iesaiam commentarios obtuli, gratum Maiestati tuae speravi fore munus: ideo tamen animi mei voto satisfactum est. Ergo epistolas canonicas (ut eas vocari usu receptum est) quasi auctarii vice, quod iustam mensuram impleret, addendas putavi, ut simul utrumque opus in manus tuas veniret. Et certe quum vel gentibus procul dissitis, vel Iudaeis varias ac longinquas regiones sparsim incolentibus scriptae sint, nihil illis novum accidet, si et traiciendum hodie sit mare, et superandi multiplices viarum anfractus, ut ad tuam Maiestatem perveniant, quamquam sic tibi, Rex inclyte, privatim offero meos labores, ut sub tuo nomine publicati omnibus prosint. Et sane si ullum unquam fuit tempus, quo fortiter libereque asserenda esset Dei veritas, id quam hodie necessarium sit, omnes vident. Ut taceam de atroci, quae passim in eius professores exercet, saevitia, ut omne genus machinationes, quibus eam oppugnat Satan, hinc clandestinas insidias, inde apertam armorum vim omittam: quibus in locis nuper domicilium habebat sincera pietatis doctrina, nunc adulterina deformatione non secus Christo illudunt Romani Antichristi satellites, quam si et arundinem sceptri loco illi in manum darent, et spineam coronam imponerent eius capiti. His artibus quum evangelii puritatem versuti isti corruptores paulatim extin-

ctum iri sperent, ad tam indigna Christi ludibria quanta mollitie connivent, qui vitam potius suam centies opponere debebant, quam brevem nescio quot dierum usuram perfido silentio redimere? Ipse interim papa ut filium Dei crucifigendo extremum tragoediae actum absolvat, laryatum suum concilium rursus subornare dicitur. Tametsi enim ad delendum Christi nomen iugulandamque ecclesiam, cfferato latrocinio grassatur, illi tamen ad solennem mactationis ritum qualiscunque concilii species quasi sacer gladius est. Hoc modo Paulus tertius, quum mactandos ac trucidandos locasset omnes, quibus vita sua potior esset veritatis defensio, putidum illud spectrum, qualicunque potuit, colore fucatum Tridenti ostentavit, ut evangelium hoc quasi ultimo fulmine afflictum dissiparet. Sed totus ille apparatus, quum boni patres quibusdam sessionum fulgetris simplicium oculos perstringere coepissent, arcano sanctae sedis afflatu repente excitato discussus in fumum evanuit, nisi quod ad continuandum terrorem nubecula ad tempus Bononiae incubuit. Iulius ergo successor, qui primas in scena Tridentina partes egit (quasi hoc ad delendam ex hominum memoria evangelii doctrinam unum supersit, diris ac terrificis concilii decretis in nos fulminare) ad hoc stratagema nunc se accingere dicitur, quamquam sunt permulti, qui nihil quam simulare ipsum putant. Nec vero multum refert, fictene, an ex animo concilium suum evocet. Res quidem hactenus clara ac testata fuit, ex quo labefactari papatus coepit a Luthe-ro, quotquot illam tyrannidis arcem occuparunt, quum nonnullam a concilio (quale scilicet habituri erant) fulturam sperare possent: non secus tamen hoc remedii genus fugisse, ac aeger in corpore ubique ulceroso omnem vel indulgentissimi medici tactum reformidat. Itaque trita pueris etiam cantilena est, non aliter posse concilio iuvari papatum, quam cauterio vel sectione. Atqui nihil causae video, cur sibi tantopere a concilii papae metuant, nisi quod malae conscientiae individua comes est trepidatio. Quid enim, obsecro, nuper fuit Tridentina illa colluvies (cui tamen sacrosanctae, generalis et oecumenicae synodi nomen indiderant) quam

inane terriculamentum, quod papae delicias non magis turbaret quam turbarum clangor, aut tympanorum sonitus, quibus se quotidie oblectat? Si quando undique synodus serio cogeretur, subesset forte aliqua metus causa, ne subortus in magna turba fremitus maiorem tumultum excitaret. Verum fictitiis conciliis, quale Tridentinum fuit, quis papam magis quam crepitaculis terreri credat, ac potius tanquam quietioris somni blanditiis suaviter indormire? Nempe duo aut tres erunt papae arbitrio delecti, et ex intimo eius sinu emissi cardinales, qui gubernacula tenebunt. Idem tyrannus ex caterva sua aulica ieiunum aliquem paucis in singulos menses ducatis conducet, qui patriarchae larva indutus, quod dictatum erit, serviliter loco sententiae recitet. Qualis Tridenti fuit Robertus ille caecus, quem ego ridicule non minus quam improbe pro papa satagentem aliquando Ratisbonae vidi, quum me suis lenociniis ad Contareni colloquium pellicere studeret. Advolabunt ex tota Italia triobolares episcopi, quorum illic satis bona copia est. Venient etiam forte ex Gallia et Hispania ventosi aut fatui quidam, alii etiam superioris vitae flagitiis infames, qui postea domum reversi bonam se et fidelem operam catholicae ecclesiae navasse gloriantur. Ex omnibus porro monachorum speluncis prosiliet magnus ranarum confluxus in illam paludem, quae certatim sua coaxatione omnem veritatem procul abigant. Quid? an ego novam hic speciem affingo, ac non potius oculis subiicio conventum illum, qui Tridenti nuper visus fuit? Quid est igitur, quod sibi ab istis sui tribunalis custodibus metuat papa, quos sibi omnes primum addictos habet ac mancipatos, deinde nihil aliud captantes, nisi ut eius gratiam sibi quovis modo concilient? Praesertim Iulius noster, qui in hoc negotiandi genere veterator est, tale sibi concilium, quoties libitum fuerit, ludibundus componet, ut interea ex more iocari non desinat. Et sane, quod brevi temporis spatio complures Dominicanos rubro pileo induit, eius rei non obscurum esse praeludium videtur. Fuit hic quidem ordo (ut aiunt) illi semper in deliciis; sed ex altiore causa oritur tanta profusio. Nimirum sa-

tis tenet, eiusmodi mendicabulis nihil esse impudentius, ut saepe illiberalibus ac sordidis eorum obsequiis ad nutum suum abusus est. Rursum ubi ad hunc eos honoris gradum extulerit, quocunque praeter ius et fas progredi iubeat, nihil audacius illis fore novit vel importunius. Ad haec futurum non ignorat, ut plerique famelici canes eadem praemia liguriendo, ad quascunque ipse volet, contentiones prorumpant. Neque tamen prorsus eos falli dico, qui concilium velle negant; sed ubi theatrum suum composuerit, subitus alicunde imber nullo negotio excitabitur, qui totam actionem disturbet. Itaque in ipso exordio, si ita ferat eius commoditas, aulaea complicabit. Hoc tamen quamvis inane concilii simulacrum sibi ad Christum prosternendum, conterendasque ecclesiae reliquias tanquam Herculis clavam esse putat. An quum hic impietatis princeps tam flagitiose Dei gloriae nostraeque omnium saluti insultet, nostrum est interea silendo sacram hanc causam proderet? Imo centum potius, si fieri possit, oppetendae mortes, quam ut adeo indignam, nefariam, barbaram piae doctrinae oppressionem patiamur nostra ignavia incognitam latere. Verum ut demus, quod parum credibile est, papam cum sua cohorte serio concilii indictionem meditari: Christus scilicet non ita crassis ludibriis primo adpectu subsannabitur, non minus tamen scelerata in eum conspiratio hoc modo conflata erit. Imo quo plus ad gravitatis famam splendoris praese feret concilium papale, nocentior ad perdendam ecclesiam, et magis extimescenda erit pestis. Nam ut a spiritu Dei gubernetur coetus ille, qui Antichristi auspiciis coactus erit, ut ad moderatam aliquam rationem adspirent Satanae mancipia, minime sperandum est. Principio summum illic tribunal occupabit, qui professus est ac iuratus Christi hostis, papa. Ut se assidentium patrum sententias rogare maxime simulet, solo tamen eius conspectu attoniti, quod uni ipsi libitum fuerit, omnes sequentur. Verum in coetu ad omnem impietatem plus quam concordi quid simulatione opus erit? Qualis sit unusquisque cardinalium non disputo; in collegio ipso, qui sanctior erit senatus, partim Epi-

cureum Dei contemptum regnare, partim truculentum veritatis odium, et infestam adversus pios omnes rabiem, manifestum est. Iam episcoporum ordo annon ex iisdem fere monstris constat? nisi quod multi sunt inter eos ignavi asini, qui nec Deum palam contemnunt, nec hostiliter adeo sanam doctrinam oppugnant, sibi tamen in corruptissimo suo statu ita placent, ut correctionem nullam sustineant. Adde quod auctoritas penes paucos, qui scilicet a pietatis studio maxime alicui, acerrimos se Romanae sedis patronos ostendent, tota fere residebit; alii numerus erunt. Ut illorum quisque atrocissimam contra nos sententiam dixerit, plurimos habebit non pedariorum modo, sed etiam principum, qui vel sponte ac cupide pro animi sui voto, vel ambitione inducti, vel metu coacti subscribant. Neque tamen adeo sum iniquus, quin aliquos ipsorum esse concedam et sanioris iudicii, et non male alioqui affectos; sed quibus tantum non erit animi, ut totius corporis improbitati resistere ausint. Erunt forsitan inter mille duo aut tres magis cordati, qui semiliberam pro Christo vocem emitte-  
 re audeant (qualis Tridenti fuit Petrus Paulus Vergerius), sed sanctae patrum curiae remedium in promptu erit, ne tales diutius quicquam molestiae facessant. Nam vel in carcerem coniecti ad palinodiam mox adiguntur, vel morte sancient nimiam verborum libertatem, vel aeterni silentii poculum illis propinabitur. Hac vero aequitate nobiscum agitur, ut indomitae simus ac deploratae pervicaciae haeretici, nisi iustae reformationis normam a sancto concilio petamus, nisi eius decretis (qualiacunque tandem sint) sine mora acquiescamus. Nos sane legitimi concilii (si quod haberi posset) auctoritatem non fugere, claris documentis antehac fecimus satis testatum. Atqui dum manifesti Christi adversarii summum et absque provocatione iudicium sibi deferri postulant, et quidem hac lege, ut religionem arbitrio suo, non Dei verbo definiant: quae nobis est obsequendi ratio, nisi ut Christum scientes ac volentes abnegemus? Nec est, quod obiiciat quisquam, diffidere nos ante tempus. Concilium praebeant, in quo nobis libera ad tuendam pietatis causam dicendi sit fa-

cultas; si illuc venire, ac rationem omnium, quae gessimus, reddere abnuemus, contumaciae tunc nos merito damnabunt. Atqui tantum abest, ut nobis ad recte sentiendum et loquendum futura sit auctoritas, ut a legitima quoque defensione nos prohibitum iri minime dubium sit. Nam qui nullas quantumvis blandas monitiones, quasi tenues susurros, ullo modo ferunt, clare sonantia veritatis tonitrua quibus auribus excipient? Atque hoc non dissimulanter prae se ferunt. Vocant nos: an ut locum in subselliis infimis aliquem concedant? imo quemquam sessum admittere nisi unctum et mitratum fas esse negant. Sedeant ergo illi, modo nos stando, quod verum est, proferentes audiamur. Excipient, audientiam se liberaliter promittere, nempe ut libello supplici porrecto statim exire iussi, post turbulentos aliquot dierum clamores, damnandi revoce-mur. Clamores dico, non quod ulla dissidentium altercatio in eo coetu futura sit; sed quod sacras praesulum aures tam irreverenter a nobis offendi, indignitas illis videbitur non ferenda. Nec obscurum est, quam tumultuosa sit eorum intemperies, certe ut causam ratione disceptent, adeo nunquam impetrari ab ipsis poterit, ut ne umbratilis quidem speranda sit cognitio. Cultum Dei innumeris superstitionibus purgatum, quibus corruptus obrutusque fuit, revocare ad suam puritatem conabimur. Hic profani rhetores nihil quam maiorum instituta, veteres ritus ac ceremonias crepabunt. Quasi vero non aliam colendi Dei rationem ecclesia coelesti prophetarum et Christi magisterio edocta teneat, quam faex Romuli anilibus tantum Numae Pompilii deliriis fascinata, bruto stupore sequuta sit. Ubi autem illa, quam passim Dominus tantopere exigit, tamque praecise urget, obedientiae simplicitas? Si de naturae humanae pravitate et misero perditoque statu, de Christi gratia et virtute, de gratuita salutis nostrae causa disputatio habebitur: mox putida scholarum axiomata pro dictatoriis edictis, quibus extra controversiam standum sit, superciliose proferent. Spiritus sanctus nobis in scriptura auctor est, tanta caecitate percussam esse mentem nostram, sic



pravos esse et contortos affectus cordis, totam naturam sic vitiatam esse, ut nihil quam peccare possimus, donec novam ipse voluntatem in nobis formet. Idem nos sub aeternae mortis reatu constrictos, abdicata omni operum nostrorum fiducia, ad unicum misericordiae Dei asylum confugere, totamque iustitiae nostrae summam in ea reponere cogit. Idem nos ad Deum invitans non alia quam sanguinis Christi mercede eum nobis placari testatur, et simul Christi patrocinio fractos intrepide ad coeleste tribunal accedere iubet. Horum ne quid audiatur, perpetuis illis decretis sancitum est, quae violare maius est nefas, quam fidem Deo simul et angelis omnibus abrogare. De sacramentis verbum facere non permittent ab usu recepto dissentaneum; hoc autem quid aliud est, quam vel modicae correctioni viam praeccludere? Atqui ostendere promptum est, quam inversa sit in papatu ac praepostera sacramentorum administratio, ut nihil propemodum genuinae Christi regulae affine habeat, quam adulterinae illuc corruptelae obrepserint, imo quam foeda sacrilegia irruerint. Quaestionem hanc movere ne liceat. Itaque theologastris vulgare est dictum, quod passim editis libris iactarunt, ut incolumis ecclesiae maneat status, in primis cavendum esse, ne quam de capitibus hodie controversis dubitationem concilium admittat. Nuper etiam prodiit lingua Italica insulsus cuiusdam Mutii liber, meras lanicinas sine sale spirans, ubi hoc prolixè exsequitur, nihil restare aliud, nisi ut de tota causa iam sibi liquere pronuntient, quum ad synodum celebrandam convenerint reverendi patres; illis tantum nos sanguinariis edictis ad subscribendum cogant. Equidem raucos sinistri huius bubonis garritus non dignarer in medium proferre, nisi quod Iulius papa breve suum in operis commendationem adiunxit, unde iudicium facient lectores, concilium, quale Mutii praeconio celebratur, a Iulio approbatore sperandum esse. Quando igitur Antichristos istos videmus desperata pertinacia ruere in sanae doctrinae excidium, et pari insolentia secure exsultare, nec alia de causa struere fucatum concilium, nisi ut profligato evangelio ultimum

victoriae suae paena cantent, nos quoque vicissim ad sequendum ducis nostri vexillum veris armis induti animos colligamus. Si modo fulgeat, ut debet, pura simplexque scripturae doctrina, papatum, quisquis oculos aperire non abnuet, immane et execrabile monstrum esse agnoscet ex innumera errorum congerie, Satae artibus conflatum. Nos enim plus quam solidis testimoniis planum facimus, gloriam Dei illic sacrilega laceratione ita esse inter fictitia idola distributam, ut vix penes eum centesima iuris sui portio resideat. Ad haec si quem cultum residuum faciant: nullam prorsus eius partem sinceram manere, adeo superstitionis hominum commentis referta sunt omnia, iisdem figmentis legem Dei indigne esse obrutam ostendimus. Quod hominum iugo constrictae potius tenentur miserae animae, quam Dei mandatis regantur; quod sub iniquo tot traditionum onere gemunt ac laborant, imo crudeli tyrannide premuntur: illa praevaricatrice obedientia adeo nihil proficere testamur, ut se in altiore labyrinthum subinde immergant. Nihilo obscurius docemus ex scriptura, Christi virtutem illic fere aboleri, exinaniri ex magna parte eius gratiam, infelices animas ab ipso abreptas exitiali propriae virtutis operumque confidentia inflari. Dei invocationem, qualis verbo eius praecipitur, (quum tamen unicum sit salutis asylum,) funditus eversam esse convincimus. Sacramenta partim extraneis figmentis adulterata esse palam monstramus, partim in alienum usum traducta, quod illis impie alligatur vis spiritus, et, quod proprium Christi erat, perperam adscribitur. Numerum deinde septenarium, quem temere fabricarunt, illis excutimus. Missam vero, quod sacrificium esse fingunt, probamus foedam esse mortis Christi abnegationem, multisque praeterea sacrilegiis scatere, perspicuum facimus. Certe modo sua constet scripturae auctoritas, horum nihil est, in quo non obmutescere cogantur adversarii; idque minime ipsi dissimulant, quum propter ambiguos scripturae sensus uni ecclesiae iudicio standum esse contendunt. Quis, obsecro, non videt, posthabito Dei verbo, totum definiendi ius ad

eos hoc modo transferri? Clausos licet scripturae co-  
 dices adorantium modo osculentur: quum tamen eam  
 obscurae perplexaeque ambiguitatis insimulent, nihilo  
 plus deferunt auctoritatis, quam si nullus omnino apex  
 scriptus exstaret. Quam volent, speciosos sibi titulos  
 induant, ne quid videantur praeter spiritus dictamen  
 (ut iactare solent,) in medium proferre: hoc tamen  
 illis decretum fixumque est, ut rationibus omnibus va-  
 lere iussis *αὐτόπιστος* sola sit eorum libido. Ergo fide-  
 les, ne quovis imposturae vento circumferantur, ne ob-  
 noxii sint versutis impiorum cavillis, quum scripturae  
 doctrina nihil esse firmitus, certo fidei experimento edo-  
 cti norint: in hanc fulturam tuto recumbant. Nos vero  
 quando eam videmus pravis sophistarum commentis  
 turpiter deformatam, et hodie in hoc artificium incum-  
 bere conductitios papae rabulas, ut suis fumis lucem  
 obscurant: eo magis ad restituendum eius nitorem in-  
 tentos esse decet. Ego sane, quod mihi reliquum est  
 vitae, si otium simul et libertas suppetet, huic praeci-  
 pue studio destinavi. Primum huius laboris fructum  
 ecclesia, cui sum addictus, ita percipiet, ut longius  
 deinde manet. Etsi enim a muneris mei functione per-  
 quam exiguum mihi tempus restat, id tamen, quantu-  
 lumcunque est, institui ad hoc scriptionis genus con-  
 ferre. Atque ut ad te revertar, clarissime Rex, hic  
 mediocre pignus habes, meos commentarios, quibus  
 canonicas epistolas, ubi multa obscura alioqui et re-  
 condita habebantur, ita explicare conatus sum, ut le-  
 ctori non prorsus ignavo familiaris ad verum sensum  
 accessus pateat. Sicuti autem pro sua facultate ad de-  
 bellandum Antichristum arma suppeditant scripturae  
 interpretes: has quoque Maiestatis tuae proprias esse  
 partes memineris, quo integra vigeat religio, sinceram  
 ac germanam scripturae interpretationem ab indignis  
 calumniis vindicare. Non temere per Mosem Deus  
 mandat, simulatque rex populi sui inauguratus fuerit,  
 ut sibi describendum curet legis volumen: quid si pri-  
 vatus in eius se lectione iam diligenter exercuerit? Ve-  
 rum ne ignorent reges, tum singulari doctrina se ha-  
 bere opus, tum peculiare eius tuendae et asserendae.

munus sibi iniungi, legi suae Dominus in eorum palatio sacrum domicilium assignat. Porro quum aetatis tuae modum longe superet in hac parte heroica animi tui magnitudo: non est, quod plus verborum in te acuendo consumam. Vale, Rex nobilissime. Dominus Maiestatem tuam protegere fide sua, ut coepit, pergat, prudentiae ac fortitudinis spiritu te et consiliarios gubernet, totumque regni statum incolumem pacatumque servet. Genevae, nono Calendas Februarii. M. D. LI.

---

## ARGUMENTUM

### EPISTOLAE PRIORIS PETRI.

**C**onsilium Petri est in hac epistola, fideles ad sui abnegationem mundique contemptum hortari, ut liberi carnis affectibus terrenisque omnibus impeditis soluti ad coeleste Christi regnum toto animo adspirent, ut spe erecti, suffulti patientia, fortitudine et constantia muniti, tentationes omne genus superent, atque hoc studium et meditationem tota vita prosequantur. Itaque statim a principio, qua potest, verborum amplitudine, Dei gratiam nobis in Christo patefactam praedicat. Simul autem addit, fide recipi ipsam, et spe possideri, ut mentes et corda pii supra mundum attollant. Indo ad sanctitatem hortatur, ne inane reddant pretium, quo redempti sunt, et ne incorruptibile verbi semen, quo regenerati sunt in vitam aeternam, corrumpi vel emori patiantur. Quia autem verbo Dei renatos dixerat, simul mentionem facit spiritualis infantiae. Porro ne vacillet aut titubet eorum fides, quia Christum a toto fere mundo vel contemni, vel reiici vident, admonet, hoc modo impleri, quod de eo scriptum est, fore lapidem scandalum. Sed rursus docet, stabile esse iis, qui in eum credunt, salutis fundamentum. Hinc iterum commemorat, in quantum honorem ipsos Deus extulerit, ut pristini sui status commemoratione et praesentis beneficii sensu animentur ad pie vivendi studium. Postea delabitur ad particulares exhortationes, ut modeste et obedienter sub principum imperio se contineant, ut servi dominis sint subiecti, uxores pareant maritis suis, pudice et continenter se gerant, ac vicissim mariti uxores humaniter tractent. Deinde praecipit, ut mutuum inter se aequitatem colant; quod ut libentius faciant, fructum illis proponit prosperam vitam et quietam. Quia tamen Christianis quasi fatale est, utcumque pacem quaerant, multis iniuriis non raro vexari, mundumque sibi nulla de causa habere infestum; hortatur, ut aequis animis sustineant persecutiones, quas sciunt sibi in salutem cessuras. In eam rem adducit Christi exemplum. Ex adverso admonet, quam infelix exitus impios maneat interea, dum ecclesiam suam Dominus mirabiliter per mortem a morte liberat. Longius deinde profert Christi exemplum, nempe ad carnis mortificationem. Huic exhortationi subnoctit varias et breves sententias; sed paulo post redit ad patientiae doctrinam, ut consolatione mala sua temperent fideles, dum reputant, utile sibi esse paterna Dei manu castigari. Initio quinti capituli seniores officii sui admonet, ne imperium usurpent in ecclesiam, sed moderate sub Christo praesint. Iuvenibus modestiam ac docilitatem commendat. Tandem brevi exhortatione addita epistolam precatione claudit. Unde autem scribat, non convenit inter omnes; nec tamen

causam video, cur dubitemus, ipsum tum fuisse Babylone; diserte enim hoc affirmat. Sed quoniam invaluerat persuasio, ipsum Antiochia Romam migrasse, et Romae fuisse mortuum: hoc solo argumento adducti veteres, Babylonem allegorice Romam vocari, finxerunt. Caeterum quum nulla probabili coniectura temere persuasum habuerint, quicquid tradunt de Romano Petri episcopatu: pro nihilo quoque ducendum est hoc allegoriae figmentum. Multo sane verisimilius est, Petrum, ut ferebat apostolatus ratio, pergrasse eas regiones, in quibus plures habitabant Iudaei. Scimus autem Babylone et in illis partibus magnam fuisse copiam.

---

PETRI APOSTOLI EPISTOLA PRIOR,  
CUM  
IOH. CALVINI  
COMMENTARIIS.

CAP. I.

1. **P**ETRUS apostolus Iesu Christi, electis inquilinis, qui dispersi sunt per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam et Bithyniam, 2. Secundum praecognitionem Dei patris, in sanctificatione spiritus, in obedientiam et adspersionem sanguinis Iesu Christi, gratia vobis et pax multiplicetur.

1. 2. *Petrus apostolus.* Quicquid commune habet haec saluti cum Paulinis, novam expositionem non desiderat. Quum Paulus gratiam et pacem precatur, verbum subicit; Petrus autem addit: *Ut multiplicetur, sed eodem sensu.* Neque enim gratiae aut pacis initium fidelibus Paulus optat, sed augmentum, donec absolvat Deus, quod in illis coepit.

1. 2. *Electis.* Quæri potest, unde hoc compertum habuerit; nam arcana est Dei electio, nec aliter cognoscitur quam singulari spiritus revelatione. Atqui ut suae quisque electionis certior fit spiritus testimonio, ita de aliis nihil certi tenet. Respondeo, de fratrum electione non esse anxie quaerendum, sed a vocatione potius aestimandum, ut pro electis habeantur, quicumque per fidem in ecclesiam sunt cooptati. Eos enim Deus a reliquo mundo segregat, quod electionis signum est. Nec obstat, quod plerique deficiunt, in quibusdam mera est dissimulatio; est enim hoc caritatis, non fidei indicium, quum electos censemus omnes, in quibus divinae adoptionis nota apparet. Quod autem electionem eorum non petat ex abscondito Dei consilio, sed ex effectu eam colligat, patet ex contextu; nam paulo post eam in *sanctificatione spiritus* locat. Quatenus ergo prae se ferebant se Dei spiritu regenitos, in electis Dei ipsos numerat, quia non sanctificat Deus, nisi quos prius elegerit. Simul tamen admonet, unde fluat electio, qua segregamur in salutem, ne cum mundo pereamus; dicit enim *secundum praecognitionem.* Hic, inquam, fons et haec prima causa est, quod Deus apud se ante creatum mundum cognovit, quos eligere vellet in salutem. Sed prudenter notandum est, qualis sit haec praecognitio. Sophistae enim, ut Dei gratiam obscurant, cuiusque merita a Deo praevideri fingunt, atque ita reprobos ab electis discerni, prout quisque hac vel illa sorte dignus est. Scriptura autem ubique Dei propositum, in quo fundata est nostra salus, meritis nostris opponit. Quum ergo Petrus electos vocat secundum praecognitionem Dei, significat, non aliunde pendere eius causam, sed in solo Deo quaerendam esse, quia ipse sibi sponte ad nos eligendos auctor fuerit. Ergo Dei praecogni-

tio submovet omnem humanae dignitatis respectum. Qua de re diffusius tractavimus epistolae ad Ephesios primo capite, et aliis in locis. Quemadmodum tamen in electione nostra primas gratuito Dei beneplacito assignat: ita rursum vult eam ex effectu a nobis cognosci. Nihil enim periculosius ac magis praeposterum est, quam, ommissa vocatione, electionis nostrae certitudinem quaerere in abscondita Dei praesentia; hic enim nimis profundus est labyrinthus. Quare ut huic periculo occurrat Petrus, optimum temperamentum adhibet. Quamquam enim primo loco vult considerari Dei consilium, cuius causa non nisi in ipso est: mox tamen ad effectum nos revocat, quo electionem nostram nobis declarat ac testatur. Effectus ille est spiritus sanctificatio, hoc est, vocatio efficax, dum ad externam evangelii praedicationem accedit fides, quae ex interiore spiritus motu nascitur. *Inquilinis.* Qui metaphorice sic vocari putant quoslibet pios, quia in mundo peregrini sint, qui ad coelestem patriam contendunt, longe falluntur, et satis refelli potest eorum error ex dispersionis nomine, quod proxime sequitur. Nam in solos Iudaeos competit, non tantum quia huc et illuc disiecti exsulabant a patria, sed quoniam electi erant ex ea terra, quae illis in perpetuam haereditatem a Domino promissa erat. Omnes quidem fideles postea vocabitur inquilinis, quia in terra peregrinantur; sed hic alia est ratio. Ideo itaque inquilini erant, quod pars in Pontum, pars in Galatiam, pars in Bithyniam dispersa erat. Nec mirum, quod Iudaeis hanc epistolam proprie destinata, quia sciebat, illis se constitutum apostolum, quemadmodum Paulus docet (Galat. 2, 8.). Sub regionibus, quas enumerat, comprehendit totum Asiae minoris tractum a Ponto Euxino usque in Cappadociam. *In obedientiam.* Quum sanctificationi duo haec subiiciat, videtur obedientiae nomine intelligere vitae novitatem, per adspersionem vero sanguinis Christi remissionem peccatorum designare. Quod si istae sunt partes vel effectus sanctificationis, aliter hic sanctificatio capitur quam saepe apud Paulum, hoc est, magis generaliter. Sanctificat ergo nos Deus efficaciter nos vocando. Id autem fit, dum renovamur in obedientiam iustitiae eius, et Christi sanguine adpersi mundamur a peccatis. Ac videtur tacita esse allusio ad veterem adspersionis ritum, quo sub lege utebantur. Quemadmodum enim non satis tunc fuisset mactari hostiam et fundi sanguinem, nisi adpersus fuisset populus: ita nihil hodie nobis prodesset fuscum Christi sanguinem fuisse, nisi ipso conscientiae nostrae abluerentur. Subaudienda igitur est enthesis: Quod, sicut olim sub lege sacerdotis fiebat sanguinis adspersio: ita nunc spiritus sanctus animas nostras Christi sanguine in expiationem adpergit. Nunc colligenda est summa, salutem nostram manare ex gratuite electione Dei; sed eam simul considerandam esse fidei experientia in eo, quod spiritu suo nos sanctificat. Postremo duos esse vocationis nostrae effectus aut fines, nempe ut reformemur in obedientiam Dei, et Christi sanguine abluamur; praeterea utrumque esse opus spiritus sancti. Unde colligimus, nec electionem a vocatione, nec gratuitam fidei iustitiam a vitae novitate separandam esse.

3. Benedictus Deus et pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum multam suam misericordiam regnavit nos in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, 4. In haereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem, repositam in coelis erga vos, 5. Qui virtute Dei custodimini per fidem in salutem, quae parata est revelari tempore ultimo.



3. *Benedictus Deus.* Diximus praecipuum esse statum epistolae, ut nos supra mundum erectos ad sustinenda militiae spiritualis certamina comparat atque animet. Ad eam rem non parum valet beneficiorum Dei agnitio. Nam quum pretium suum apud nos obtinent, facile reliqua omnia vilascunt: praesertim quum reputamus, quanti sit Christus cum suis bonis, quicquid extra ipsum est, nobis erit instar stercois. Hac de causa magnifice hic extollit ingentem Dei gratiam in Christo, ne molestum nobis sit, nos ipsos et mundum abnegare, ut potiamur inaestimabili vitae futurae thesauro; deinde ne frangamur praesentibus aerumnis, sed patienter eas feramus, in aeterna felicitate acquiescentes. Porro quum gratias agit Deo, fideles ad spiritualem laetitiam invitat, quae omnes absorbeat contrarios carnis affectus. *Et pater Domini.* Sic resolve: Deus, qui pater est Iesu Christi. Nam sicuti olim sa Deum Abrahae vocando hac nota a diis omnibus fictitiis discerni voluit: ita, postquam se manifestavit in filio suo, non aliter quam in ipso vult cognosci. Itaque qui nudam Dei maiestatem extra Christum mente concipiunt, idolum habent loco Dei, sicuti Iudaei at Turcae. Proinde quisquis verum Deum vere cognoscere cupit, hoc patris Christi titulo ipsum vestiat. Nisi enim quoties mens nostra Deum quaserit, Christus occurrat, vaga et confusa errabit, donec prorsus deficiat. Simul etiam indicare Petrus voluit, quomodo tam liberalis et beneficus erga nos sit Deus. Nisi enim medius statuatur Christus, nunquam illius honoritas serio a nobis sentiri poterit. *Qui genuit nos.* Significat, vitam supernaturale esse donum, quia filii irae nascimur; nam si in spem vitae geniti essemus secundum carnem, supervacuum asset nos regni a Deo. Docet itaque Petrus, nos, qui natura morti aeternae eramus destinati, in vitam Dei misericordia restitutos esse. Haec autem veluti secunda est creatio, quemadmodum ad Ephesios epistolae primo capite habetur. *Spes viva* pro spe vitae capitur, quamquam videtur tacita esse antithesis inter spem, quae in regno Dei incorruptibili defixa est, et inter spem hominum fluxas ac evanidas. *Secundum multam misericordiam.* Primo causam efficientem ponit; deinde medium (ut loquuntur) designat. Daum, inquam, nullis nostris meritis fuisse provocatum docet, ut nos regeneraret in spem vivam, quia hoc totum eius misericordiae assignat. Atque ut melius operum merita redigat in nihilum, dicit *multam misericordiam.* Fatentur quidem omnes, Deum esse unicum salutis nostrae auctorem; sed extraneas causas postea affingunt, quae tantundem eius misericordiae detrahant. Petrus vero solam misericordiam commendat; sed modum protinus adscribit, nempe resurrectionem Christi. Neque enim alibi aut aliter suam erga nos misericordiam explicat Deus: ideo semper ad hunc scopum scriptura nos dirigit. Quod autem praeterita Christi morte solam resurrectionem commemorat, in eo nihil est absurdi. Illa enim sub hac includitur, quia perfectio non constat sine suo initio; resurrectionem vero potius edduxit, quia de nova vita agebat.

4. *In haereditatem.* Tria epitheta, quae sequuntur, ad gratiae Dei amplificationem posita sunt. In hoc enim laborat Petrus (quemadmodum prius dixi,) ut eius excellentiam animis nostris bene ac penitus infigat. Porro haec duo membra, *in haereditatem incorruptibilem*, et *in salutem, quae parata est, revelari*, appositive lego, ut posterius sit prioris expositio; nam rem unam duobus modis exprimit. Singulis verbis, quae sequuntur, suum inest pondus. Haereditas dicitur in coelis conservata, ut sciamus, eam esse extra periculum. Nisi enim in manu Dei esset, infinitis periculis esset obnoxia; si esset in hoc mundo, quomodo securi esse possemus inter tam varias inclinationes? Ergo ut nos omni trepidatione liberet, salutem nostram extra Satanae iniurias in tuto positam esse affirmat.

Sed quia salutis certitudo parum nobis afferret consolationis, nisi eam unusquisque nostrum ad se pertinere sciret: addit Petrus *erga vos*. Huc enim placide recumbunt conscientiae, quum Dominus e coelo clamat: En vestra salus in manu mea est, vobisque servatur. Caeterum quic non omnium promiscue est salus, ad finem nos revocat, ut, quicumque fide praediti sunt, a reliquis se discernant, nec dubitent, quin veri ac legitimi sint regni Dei haeredes. Nam ut fides in coelos usque penetrat: ita et, quae in coelo sunt bona, nobis applicat.

5. *Qui virtute Dei custod.* Notanda est relatio, quum dicit, nos in mundo custodiri, sicuti haereditas nostra in coelo servatur; alioqui stetim obreperet haec cogitatio: Quid iuvat, salutem nobis esse in coelo repositam, quum nos in mundo tamquam in turbulento mari iactemur? Quid iuvat, salutem nostram statui in tranquillo portu, quum inter mille naufragia fluctuemur? Praevenit igitur apostolus eiusmodi obiectiones, quum docet, nos etiam in mundo inter media discrimina fide tamen custodiri, atque ita morti esse propinquos, ut tamen sub fidei custodia tnti simus. Caeterum quia in hac carnis infirmitate saepe labascit ipsa fides, possemus semper esse de crastino anxii, nisi hic nobis quoque Dominus succurreret. Ac videmus, ut in papatu obtinuerit diabolica opinio, de finali perseverantia dubitandum esse, quia incerti sumus, an staturi eras simus in eadem grotia. Atqui non ita nos Petrus suspensos relinquit; nam ideo virtute Dei stare nos affirmat, ne qua ex propriae infirmitatis conscientiae haesitatio nos sollicitet. Quamlibet igitur infirmi simus: salus tamen nostra non est instabilis, quia Dei virtute fulcitur. Ergo sicuti fide protegimur, ita fides ipsa suam in Dei virtute stabilitatem habet. Unde non in praesens modo, sed etiam in futurum securitas. *In salutem.* Quia natura impatientes sumus morae, et statim taedio succumbimus: ideo salutem admonet non differri, quod nondum parata sit, sed quia nondum advenerit iustum revelationis tempus. Haec doctrina ad spem nostram alendam ac sustinendam pertinet. Porro *ultimum tempus* diem iudicii vocat, quia non ante speranda sit rerum omnium instauratio; medium enim tempus est adhuc in progressu. Quod alibi totum a Christi adventu tempus ultimum dicitur, id fit superiorum aetatum comparatione; Petrus autem totum mundi curriculum adspexit.

6. In quo exsultatis paulisper nunc, si opus est, contristati in variis tentationibus, 7. Ut probatio fidei vestrae multo pretiosior auro, quod perit, et tamen per ignem probatur, reperiatur in laudem et honorem et gloriam, quum revelabitur Iesus Christus. 8. Quem quum non videritis, diligitis; in quem nunc credentes, quum eum non adspicitis, exsultatis gaudio inenarrabili et glorificato, 9. Reportantes finem fidei vestrae, salutem animarum.

6. *In quo exsultatis.* Tametsi ambigua est Graeci verbi terminatio: sensus tamen postulet, ut legamus *exsultatis* potius quam *exsultate*. Articulus *in quo*, refert totum illud complexum de spe salutis in coelo repositae. Caeterum non tam eos laudat, quam hortatur. Consilium enim eius est docere, quisnam ex spe salutis fructus nobis proveniat, nempe spirituale gaudium, quo non tantum mitigatur malorum omnium acerbitas, sed omnis etiam tristitia vincitur, quamquam exsultandi verbum plus exprimit, quam gaudere. Sed hoc nonnullam habet repugnantiae speciem, dum fideles, qui gaudio exsultant, simul tristes esse dicit; sunt enim contrarii af-

fectus. Verum melius experimento norunt fideles, illos simul consistere, quam verbis exprimi quas. Et tamen, ut pauois expediat haec quaestio, sic habendum est, fideles non esse trancos, nec humanum sensum ita exuisse, quin dolore tangantur, quin pericula metuant, quin molesta sit paupertas, quin difficiles ac duras persecutiones. Tristitiam ergo ex malis sentiunt; sed quae ita lenitur fide, ut gaudere propterea non desinant. Ita non impedit tristitia ipsorum gaudium; sed potius locum illi cedit. Rursus gaudium tametsi tristitiam superat, iam tamen non abolet, quia nos humanitate non spoliatur. Atque hinc patet, quae sit vera patientia. Initium eius et quasi radix est beneficiorum Dei agnitio, praesertim dum gratiam, qua nos dignatus est, adoptionem reputamus. Nam quicumque mentem huc attollant, iis facile est placide mala omnia devorare. Unde enim fit, ut moerora animi opprimantur, nisi quia nullum spiritualium bonorum gustum habent? Verum qui omnes aerumnas statuunt exercitia esse sibi utilia in salutem, non tantum supra illas se erigunt, sed etiam vertunt in occasionem gaudii. *Contristati.* Annon etiam reprobis communis est tristitia? neque enim a malis sunt iununes. Verum Petrus fideles spontaneam tristitiam suscipere intelligit, quum fremant impii, ac contumaciter oblectentur Deo. Tristantur ergo pii, quemadmodum bos domitus iugum suscipit, vel equus subactus frenari se etiam a puero sustinet. Tristitia Deus reprobos afficit, quemadmodum equo feroci ac refractario violenta manu frenum imponitur. Calcitrant enim ac contra nituntur; sed frustra. Laudat ergo fideles Petrus, quia sponte, non autem necessitate coacti, se tristitiae subiiciant. Quod dicit *paulisper nunc*, ad consolationem valet. Nam temporis breuitas, mala, quantumvis alioqui dura, non parum temperat. Praesentis autem vitae duratio instar momenti est. *Si opus est.* Conditio pro causa hic capitur. Ostendere enim voluit, non temere fieri, quod ita Deus suos exercet. Nam si nulla causa nos affligeret Deus, id toleratu grave esset. Petrus ergo argumentum consolationis sumpsit ex Dei consilio, non quod semper ratio nobis appareat, sed quia persuasum nobis esse debet, sic fieri oportere, quia Deo placet. Notandum, quod non unam tentationem ponit, sed pluras, neque unum tentationis genus, sed diversa, quamquam huius loci expositionem satius est ex primo capite Iacobi petere.

7. *Pretiosior auro.* Argumentum est a minori ad maius. Nam si aurum, quod metallum est corruptibile, tanti ducimus, ut velimus igne probari, quo suum apud nos pretium obtineat; quid mirum, si Deus in fide eandem exigit probationem, quum tanta sit apud eum fidei excellentia? Tametsi autem aliter sonant verba; fidem tamen auro comparat, et eam auro magis pretiosam facit, ut inde inferat, dignam esse, quae probe examinetur. Porro incertum est, quousque extendat verbum *δοκιμάζουσθαι* et nomen *δοκίμιον*, siquidem bifariam probatur aurum igni, primo quum repurgatur a scoria, deinde quum de eius probitate faciendum est iudicium. Uterque probandi modus fidei optime congruit. Nam quum multas incredulitatis faeces in nobis resideant, dum variis afflictionibus quasi excoquimur in fornace Dei, purgantur fidei nostrae scoriae, ut pura et nitida sit coram Deo. Simul experimentum eius capitur, verane, an ficta sit. Utramque speciem libenter amplector; atque huc spectat, quod mox sequitur. Nam ut suus argento honor non ante habetur, quam purgatum fuerit; ita fidem nostram honorifice habendam esse et coronandam apud Deum significat, ubi rite examinata fuerit. *Quum revelabitur.* Hoc additum est, ut animos suos in ultimum usque diem suspendere fideles discant. Nunc enim abscondita est vita nostra in Christo, latebitque velut sepulta, donec e coelo Christus apparuerit, et totus vitae nostrae cursus ad interi-

tum externi hominis inclinat, et quaecumque patimur, quasi mortis sunt praeludia. Ergo necesse est, ut in Christum coniciamus oculos, si in afflictionibus gloriam et laudem intueri volumus. Nam tentationes in nobis probri et pudoris sunt plene, in Christo autem gloriosae sunt; sed gloria illa nondum in Christo plena conspicitur, quia nondum advenit consolationis dies.

8. *Quem quum non videritis.* Duo ponit: quod Christum, quem non viderunt, diligant; in eum, quem non conspiciunt, credant. Sed prius ex posteriore nascitur. Dilectionis enim causa est fides non ideo tantum, quia nos beneficiorum, quibus nos Christus prosequitur, cognitio ad eum redamandum provocat; sed quia perfectam felicitatem offerendo nos ad se rapit. Laudat argo iudaeos, quod in Christum credant, quem non adspiciunt, ut cogitent, hanc esse fidei naturam, in bonis, quae oculos nostros latent, acquiescere; nam eius rei aliquod habebant experimentum, quamquam magis laudando praecipit. Atqua hoc prius ordine membrum est, non metiendam esse fidem adpectu. Nam quum misera in speciem sit Christianorum vita, nisi felicitas eorum in spe sita esset, protinus contiderent. Habet quidem et fides suos oculos; sed qui in regnum Dei invisibile penetrant, et qui speculo verbi contenti sunt. Est enim demonstratio rerum invisibilium, ut habetur in epistola ad Hebraeos (11, 1.). Quare verum est illud Pauli (II. Corinth. 5, 6.), nos peregrinari a Domino, quamdiu haec carne sumus circumdati, quia per fidem ambulamus, et non per adpectum. Secundum membrum est, fidem non frigidam esse notitiam, sed quae corda nostra inflamat in amorem Christi. Neque enim (ut sophistae garriunt) fides confuse et implicite Deum apprehendit, (quia hoc est vagari per invios errores,) sed Christum pro scopo habet. Porro non arripit nudum Christi nomen, aut nudam essentiam; sed qualis sit nobis, et quid afferat honorum, considerat, quia fieri non potest, quia eo feratur hominis affectus, ubi felicitatem suam statuit, secundum illud (Matth. 6, 21.): Ubi thesaurus tuus, ibi cor tuum. *Exsultatis.* Iterum repetit fructum illum fidei, cuius meminerat, nec immerito; est enim incomparabilia hoc bonum, quod non modo pacatae sunt coram Deo conscientiae, sed iam vitae aeternae fiduciae secure exsultant. Vocat autem *gaudium inenarrabile*, quia pax Dei sensum omnem exsuperat. Quod hic addit *glorificatum*, his etiam potest exponi, vel ut magnificentum ac gloriosum significet, vel ut inani fluxoque opponatur. cuius homines paulo post pudet. Ita glorificatum perinde valebit atqua solidum et stabile, et extra periculum frustrationis. Qui hac laetitia non efferuntur supra oculos, ut solo Christo contenti mundum despiciant, frustra iactant se habere fidem.

9. *Reportantes finem.* Admonet, quorsum sensus omnes suos dirigera fideles debeant, nempe in salutem aeternam. Mundus enim hic affectus nostros suis illecebris irretitos tenet; vita haec et quaecumque ad corpus pertinent, magna sunt impedimenta, ne animus noster ad futurae et spiritualis vitae cogitationem se applicet. Hanc ergo nobis toto studio meditandam proponit apostolus, et tacite subindicat susqua deque habendam aliorum iacturam, modo solvae sint enimaee. Quum dicit *reportantes*: dubitationem illis eximit, quo alacrius contendant, dum certi sunt de salute obtinenda; interea tamen hunc finem esse fidei docat, ne anxii sint, quod adhuc differtur. Nunc enim sufficere nobis debet nostra adoptio, nec pendendum est, ut ante tempus mittamur in haereditatis possessionem. Posset etiam pro fine legi merces; sed eodem sensu. Colligimus enim ex apostoli verbis, non aliter nos quam fide consequi salutem. Scimus autem, fidem sola gratuita adoptionis promissione niti. Quod si ita est, certe neque operum meritis debetur salus, neque

inda speranda est. Cur autem animas tantum nominat, quum et corporibus promissa sit resurrectionis gloria? Quoniam immortalis est anima: proprie salus illi attribuitur, quemadmodum et Paulus interdum loqui solet (I. Corinth. 5, 5.): Ut spiritus saluus sit in die Domini. Atque hoc perinde valet, ac si diceretur salus aeterna. Est enim tacita comparatio vitae mortalis et caducae, quae ad corpus pertinet. Interea tamen non excluditur a gloriae societate corpus, quatenus animae est annexum.

10. De qua salute exquisierunt et scrutati sunt prophetae, qui de futura erga vos gratia vaticinati sunt, 11. Scrutantes, in quem aut cuiusmodi temporis articulum significaret, qui in illis erat spiritus Christi, prius testificans venturas in Christum afflictiones et, quae sequutur erant, glorias. 12. Quibus relevatum est, quod non sibi ipsis, sed nobis ministrabant haec, quae nunc annuntiata sunt vobis per eos, qui vobis praedicarunt evangelium per spiritum sanctum missum e coelo, in quae desiderant angeli prospicere.

Salutis huius pretium inde commendat, quod in eam toto studio intenti fuerunt prophetae. Rem enim magnam et singularis excellentiae fuisse oportet, quae prophetas ita ad sui inquisitionem accenderit. Clarius vero etiamnum in eo relucet ingens erga nos Dei bonitas, quod multo plus nobis patefactum hodie est, quam olim diu et sollicito quaerendo consequuti sint prophetae omnes. Interea certitudinem salutis confirmat ab ipsa vetustate, quoniam ab initio mundi legitimum a spiritu sancto testimonium habuerit. Duo haec distincte notanda sunt: quod nobis plus detum esse quam antiquis patribus affirmat, ut hac comparatione evangelii gratiam amplificet; deinde quod de salute nobis praedicatur, non posse aliquo novitate esse suspectum, quia iam olim testatus de ea fuerit spiritus per prophetas. Ergo quum dicit prophetas sciscitatos esse et sedulo inquisisse, hoc ad eorum scripta aut doctrinam non pertinet, sed ad privatum desiderium, quo quisque aestuavit. Quae postea sequuntur, ad publicam functionem referenda sunt. Verum ut singula melius pateant, digerendus est hic locus in certas propositiones. Sit itaque haec prima, quod prophetae, qui de gratia, quam nobis exhibuit Christus suo adventu, vaticinati sunt, sedulo intenti fuerunt, ut tempus plenae revelationis cognoscerent. Secunda, quod spiritus Christi per eos praedixit futurum regni Christi statum, qualis pertini iam cernitur, partim vero speratur adhuc, nempe quod Christo et universo eius corpori destinatus sit per varias passiones ad gloriam ingressus. Tertia, quod prophetae nobis uberius quam suo saeculo ministrarunt, idque divinitus illis patefactum fuit, quia in Christo demum est solida cerum rerum exhibitio, quarum tunc obscuram imaginem Deus adumbrabat. Quarta, quod non tantum in evangelio continetur luculenta prophetae doctrinae confirmatio, quando idem spiritus est, qui loquitur, sed longe plenior et magis familiaris explicatio, quia salutem, quam eminens olim per prophetas indicabat, nunc palam et quasi oculis demonstrat. Ultima est, fide setis constere, quam admirabilis sit salutis per evangelium nobis promissae gloria, quod angeli quoque ipsi, licet Dei conspectu in coelis fruuntur, illius tamen visendae desiderio ardeant. Omnia vero in unum scopum tendunt, ut Christiani, dum in suae felicitatis altitudinem efferuntur, omnia mundi obstacula

superent. Quid enim est, quod non extenuet incomparabile hoc beneficium?

10. *De qua salute.* Annon patribus et nobis communis eademque est salus? Cur ergo patres quaesivisse dicit, quasi non adepti sint, quod hodie nobis offertur? Facilis solutio est, salutem pro conspicua manifestatione accipi, quae nobis obtigit Christi adventu. Neque aliud sibi volunt haec Petri verba, quam illa Christi (Matth. 13, 17.): Multi reges et prophetae optarunt videre, quae videtis, nec tamen viderunt: beati igitur oculi vestri etc. Quum ergo prophetae non nisi tenuem haberent gustum allatae per Christum gratiae, quantum ad revelationis modum attinet, merito ultra votis suis tendebant. Dum Simeon post Christi conspectum placide et animo pacato 40 ad mortem comparat, se prius inquietum et anxium fuisse ostendit. Talis fuit omnium piorum sensus. Et modum inquisitionis denotat, quum addit: *in quem aut cuiusmodi temporis articulum.* Erat enim differentia legis et evangelii quasi interpositum velum, ne propius ea, quae oculis nostris exposita sunt, adspicerent. Nec sane aequum erat, absenta adhuc sole iustitiae Christo plenam lucem tamquam in meridie fulgere. Tametsi autem ipsis necesse fuit intra praescriptos fines se continere: nulla tamen religio fuit ingemiscere propioris adspectus desiderio. Neque enim, quum accelerari redemptionem, et quotidie eam videre cuperent, votum illud obstitit, quin patienter sustinerent, quamdiu eam differre Domino placebat. Porro in vaticiniis notationem temporum quaerere, mihi supervacuum videtur, quando hic non quid docuerint prophetae, sed quid optarint, agitur. Ubi Latini interpretes verterunt: de futura gratia, ad verbum legitur: de gratia, quae erga vos est. Verum quia idem manet sensus, nolui quicquam mutare. Hoc magis observatu dignum, quod prophetas non dicit proprio sensu scrutatos esse, quo temporis articulo adveniret Christi regnum, sed tantum applicasse sua studia ad revelationem spiritus. Ita nos suo exemplo discendi sobrietatem docuerunt, quia non ultra progressi sunt, quam eos spiritus ducebat. Et certe nullus humanae curiositatis erit modus, nisi spiritus Dei ingenii praesideat, ne quid aliunde quam ab ipso discere appetant. Atque etiam res altior est spirituale Christi regnum, quam ut in eius investigatione quicquam mens humana proficiat, nisi spiritum habeat directorem. Quare nos quoque huius freni moderationi subilicere docet.

11. *Qui in illis erat spiritus Christi.* Primum, *qui in illis erat;* deinde *testificans,* hoc est ad reddendum testimonium; qua loquutione, praeditos spiritu intelligentiae fuisse prophetas, significat, et quidem non vulgarem in modum, utpote qui nobis magistri et testes fuerint, nec tamen lucis huius, quae nobis manifestata est, fuisse compotes. Interea haec eximia est doctrinae eorum laus, dum vocatur spiritus sancti testimonium. Nam quamvis homines praecones ac ministri, ille tamen auctor fuit. Nec temere Christi spiritum tunc dominatum fuisse tradit; evangelii autem doctoribus spiritum praeficit e coelo emissum. Significat enim evangelium a Deo profectum esse, et veteres prophetias a Christo dictatas. *Venturas in Christum afflictiones.* Ut aequiore animo suas afflictiones ferant, iam olim a spiritu praedictas fuisse admonet. Sed multo plus complectitur. Docet enim, hoc Christianae ecclesiae regimen ab initio divinitus fuisse constitutum, ut crux praeparatio esset ad triumphum, et mors transitus ad vitam, idque clare fuisse testatum. Quare non est, cur nos afflictiones ultra modum deieciant, quasi in illis essemus miseri, quandoquidem spiritus Dei nos heatos pronuntiat. Hic ordo notandus est, quod passiones statuit priore loco; deinde addit sequentibus glorias. Significat enim, non posse hanc rationem mutari vel praeverti, quin gloriam praecedant afflictiones.

Ita duplex subest in his verbis sententia, quod prins multis aerumnis premi Christianos oporteat, quam gloria fruantur, et miseras non esse eorum afflictiones, quia proximam gloriam sibi annexam habeant. Quum hunc contextum Deus ordinauerit: alteram partem ab altera divellere nostrum non est. Atque hoc rarae consolationis est, quod nostra conditio, qualem experimur, tot ante saeculis praedicta fuit. Nam inde colligimus, non frustra felicem eius exitum nobis promitti. Deinde agnoscimus, non fortuito nos, sed certa Dei providentia affligi. Denique prophetiae iostar speculi sunt ad representandam nobis in tribulationibus coelestis gloriae imaginem. Dicit quidem Petrus, de venturis in Christum afflictioibus spiritum fuisse testificatum; sed Christum a suo corpore non separat. Itaque non debet hoc restringi ad Christi personam; sed initium faciendum est a capite, ut membra sua ordine sequantur, quemadmodum Paulus docet (Rom. 8, 29.), oportere nos ei configurari, qui primogenitus est inter fratres. Deoque non tractat Petrus, quid Christo sit proprium; sed de universali ecclesiae statu disserit. Sed hoc ad fidei nostrae confirmationem multo aptius, dum nostras afflictiones in Christo considerandas proponit, quia melius in eo cernimus conexionem mortis et vitae inter nos et ipsum. Et certe hoc ius atque haec ratio est sacrae noitatis, quod in membris suis quotidie patitur, ut, postquam in nobis absolutae fuerint eius passionis, suum vicissim complementum habeat gloria. Qua de re plura ad Coloss. cap. 3. et I. Timoth. cap. 4.

12. *Revelatum est, quod non sibi.* Hunc locum perperam arripiunt faotici homines, ut patres, qui sub lege vixerunt, excludant a spe aeternae salutis. Neque enim simpliciter negat, quin saeculo suo utiliter ministraverint prophetae, atque ecclesiam aedificaverint; sed tantum docere vult, utilius nobis esse eorum ministerium, quia in saeculorum fines incidimus. Videmus, quam magnificae Christi regnum extollant, quam sint in illo orando assidui, quam studiose ad illud quaerendum omnes stimulent. Atqui praesenti eius adpectu privati sunt per mortem. Quid hoc aliud fuit, quam mensam sternere, ut cibus appositus alii postea vescerentur? Fide quidem delibarent, quae nobis per eorum manum Dominus fruenda transmisit, quin etiam in solidum animae cibum Christi fuerunt participes. Sed nunc de rei exhibitione agitur. Scimus autem, his quasi finibus inclusum fuisse munus propheticum, ut se et alios in spei venturi Christi alerent. Ergo eum non nisi absconditum et quasi absentem possidebant. Absentem dico, non virtute sut gratia, sed quia nondum in carne manifestatus erat. Quare et regnum eius sub involucris adhuc latebat. Denique in terram descendens quodammodo coelos nobis aperuit, ut spirituales divities, quae non nisi sub figuris procul ostendebantur, prope cernere liceat. Haec igitur Christi manifestati fruitio, discrimen inter nos et prophetas ostendit. Unde colligimus, quomodo nobis potius quam sibi ministraverint. Caeterum quum divinitus admoniti essent prophetae, differri in aliud saeculum, quam praedicabant, gratiam, nihilo tamen signiores in eius praedicatione fuerunt, tantum abest, ut fracti taedio fuerint. Quod si tanta fuit illorum patientie, nos certe bis et ter ingrati, nisi gratiae, quae illis negeta fuit, fruitio nos in omnibus, quae patientiae sunt, aerumnis erectos sustineat. *Quae annuntiata sunt.* Iterum discrimen notat inter veterem doctrinam et evangelii praedicationem. Nam quemadmodum iustitia Dei in evangelio revelatur, testimonium habens a lege et prophetis, ita et coelestis Christi gloria, de qua olim testificatus est spiritus, nunc palam annuntiatur. Simul autem certitudinem evangelii inde comprobatur, quod nihil continet nisi iam pridem a spiritu Dei testatum. Deinde admonet, eiusdem spiritus auspiciis, adeoque ipso dictante

et praesente, promulgatum esse evangelium, ne quid hic humanum cogitent. *In quas desiderant angeli.* Hoc vero maximum evangelii encomium est, quod thesaurum sapientiae continet, angelis adhuc clausum et occultum. Sed obiciet quispiam, minime esse consentaneum, nobis aperta et nota esse, quae angelos lateant, qui semper vident faciem Dei, et in regenda ecclesia omniumque bonorum administratione eius ministri sunt. Raspondeo, aperta nobis esse, quatenus ea in speculo verbi intuemur. Nec vero nostra altior notitia praedicatur, quam angelorum; tantum intelligit Petrus ea nobis promitti, quorum complementum angeli videre cupiunt. Dicit Paulus (Ephes. 3, 8—10.), in gentium vocatione innotuisse angelis admirabilem Dei sapientiam. Nam hoc illis novum erat spectaculum, quod Christus mundum perditum, et tot saeculis a spe vitae alienatum aggregabat ad suum corpus. Ita quotidie cum admiratione cernunt magna Dei opera in ecclesiae gubernatione: quantobrem magis stupebunt ad supremum illud divinae iustitiae, bonitatis et sapientiae specimen, dum Christi regnum complebitur? Illud est igitur arcanum, cuius revelationem adhuc exspectant, et merito exoptant. Tametsi duplex huius loci potest esse sensus, vel quod rasaratur nobis thesaurus in evangelio, qui in sui desiderium rapit ipsos angelos, quia illis hoc maxime laetum est spectaculum, vel quod regnum Christi, cuius viva in evangelio effigies expressa est, cupide videre appetunt. Atque hic secundus magis videtur congruere.

13. Quare succincti lumbis mentis vestrae, sobrii, perfecte sperate in eam, quae ad vos defertur, gratiam, in revelatione Iesu Christi, 14. Tamquam filii obedientes, non conformati pristinis, quae in ignorantia vestra regnarunt, cupiditatibus; 15. Sed quemadmodum is, qui vos vocavit, sanctus est, ita ipsi sancti in tota conversatione reddamini, 16. Propterea quod scriptum est (*Levit. 11, 44. et 19, 2. et 20, 7.*): Sancti estote, quia ego sanctus sum.

Ex magnitudine et excellentia gratiae deducit exhortationem, ut certe eo magis intentos esse nos decet ad excipiendam Dei gratiam, quo se liberalius in nos effudit. Ad notandum est contextus. Dixerat, tantam esse regni Christi altitudinem, ad quem nos vocat evangelium, ut coelestes quoque angeli in eius prospectum assurgant: quid ergo nobis, qui in mundo versamur, agendum est? Certe quamdiu in terra vivimus, tanta est inter nos et Christum distantia, ut frustra nos ad se invitet. Ergo necesse exuere imaginem Adae, et totum saeculum omniaque impedimenta abicere, ut soluti sursum ad Christum feramur. Praecipit autem iis, ad quos scribit, ut expediti et sobrii in oblatam sibi gratiam sperent; deinde ut renuntiantes mundo et priori vitae se Deo conforment. Hoc ergo prius est exhortationis membrum, ut lumbis mentis succincti animos adiciant ad spem gratiae sibi allatae. In secundo modum praescribit, ut mutato ingenio ad imaginem Dei formentur.

15. *Succinctis lumbis.* Similitudo ex more vetusto sumpta. Nam quum oblongas haberent vestes, neque iter facere, neque quicquam operis commode suscipere poterant, nisi succincti. Unde istae loquutiones: Accingere se ad iter, vel ad opus et res gerendas. Ergo impedimenta tolli iubet, ut soluti ad Deum contendant. Qui in lumbis subtilius philosophantur, quasi praeciperet libidines rastrogi debere et arceri, discedunt a genuina apostoli mente. Neque enim aliud sibi volunt haec verba, quam illa Christi (Luc. 12, 85.):



Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris; nisi quod Petrus metaphoram duplicat, quum menti lumbos attribuit. Significat autem, mentes nostras fluxis huius mundi curis et supervacuis cupiditatibus implicatis teneri, ne sursum ad Deum tendant. Ergo quisquis vere sperare cupit, in primis se extricare discat, mentemque suam adstringere, na in avidos affectus diffluat. Eodem et sobrietas pertinet, quam mox subiicit. Neque enim temperantiam solum in cibo et potu commendat, sed spiritua-lem potius sobrietatem, quum sensus omnes nostros continemus, na ae huius mundi illacebris inebrient. Nam si vel minimus earum gustus furtim nos a Deo abducit, quisquis se in illas ingurgitat, ne-cesso est, ut sopitus et stupidus Deum et quae Dei sunt, obliuiscatur. *Perfecte sperate.* Subindicat, eos, qui mentes suas laxant ad vanitatem, non solide, ut decebat, et sincere in Dei gratiam sperare. Etsi enim spem aliquam gratiae concipiunt; quia tamen vacillant et fluctuantur in mundo, nulla est in spe eorum soliditas. Dicit autem in gratiam, quae defertur, quo sint ad eam recipiendam promptiores. Procul quaerendus esset Deus; ipse autem obviam ultro accurrit. Quanta igitur nostra ingratitude, si gratiam nobis ita benigne expositam negligimus? Haec igitur amplificatio ad spem nostram acuendam plurimum valet. Quod addit in *revelatione Christi*, bifariam exponi potest. Nam evangelii doctrina Christum nobis revelat; et tamen, quia adhuc eum per speculum et in aenigmate videmus, differtur plena revelatio usque in ultimum diem. Prior sensus magis Erasmo placuit, neque ego illum improbo; secundus tamen videtur melius quadrare. Consilium enim Petri est, evocare nos extra mundum. Ad eam rem aptissima est adventus Christi memoria. Nam si illuc dirigimus oculos: mundus hic nobis crucifixus est, et nos mundo. Deinde in hac significatione nuper accepit Petrus. Neque novum est, apostolis particulam *et* pro *et* accipere. Sic itaque interpretor: Non est vobis emetiendum longum iter, ut perveniat ad Dei gratiam; praevenit enim Deus, dum cam ad vos defert. Sed quoniam fruitio non constat, donec appareat e caelo Christus, in quo abscondita est salus piorum, spe interea opus est, quoniam frustra alioqui nunc offertur nobis Christi gratia, nisi patienter usque ad Christi adventum sustineamus.

14. *Tamquam filii obedientes.* Primum significat, nos in ius honoremque adoptionis vocari a Domino per evangelium. Deinde hac lege nos adoptari, ut nos vicissim obsequentes sibi filios habeat. Tametsi enim filios non facit obedientia, quam gratuitum sit adoptionis donum: eos tamen ab alienis discernit. Quousque vero haec obedientia se extendat, Petrus docet, quum vetat Dei filios huius saeculi desideriis configurari, vel se accommodare; sed hortatur, ut sa potius Deo conforment. Summa totius legis et omnium, quae a nobis exigit Deus, huc spectat, ut in nobis reluceat eius imago, ne simus filii degeneres. Hoc vero fieri non potest, quin renovemur, et exuamus imaginem veteris Aadae. Hinc colligimus, quem in tota vita scopum proponere sibi Christiani debeant, nempe ut sanctimonia et puritate Deum referant. Sed quoniam omnes carnis nostrae sensus Deo repugnant, totumque mentis nostrae ingenium adversus eum inimicitia est: ideo Petrus a mundi abnegatione incipit. Et certe quoties de instauratione imaginis Dei in nobis agit scriptura, inde orditur, ut aboletur vetus homo cum suis desideriis. *Quae in ignorantia.* Tempus ignorantiae vocat, antequam in fidem Christi vocati essent; unde discimus, incredulitatem malorum omnium fontem esse. Neque enim ignorantiae nomen usurpat, ut solemus vulgo. Falsum enim illud est Platonium dogma, sola ignorantia peccari. Verum utcumque redarguat infideles conscientia, errant nihilominus tamquam caeci in tenebris, quia neque vjam

tenent, et luce vera privati sunt. In hunc sensum dicit Paulus (Ephes. 4, 17.): Ne posthac ambuletis, quemadmodum et gentes in vanitate mentis suae, quae mentem habent obtenebratam, alienatae a vita Dei propter ignorantiam, quae in illis est. Ubi non viget Dei notitia, illo regnum occupant tenebrae, error, vanitas, privatio lucis et vitae. Nequo tamen haec impediunt, quominus male sibi conscii sint impii peccando, suumque in coelo indicem, et intus apud se carnificem sentiant. In summa, quoniam regnum Dei regnum est lucis: quicumque ab eo alieni sunt, caecos esse, et in labyrintho errare necesse est. Interea monemur, ideo nos illuminatos esse in Dei notitiam, ne amplius vagis desideriiis circumferamur. Itaque quantum quisque progressus est in vitae novitate, tantum profecit in Dei notitia. Verum hic exoritur quaestio, quum Iudaeos alloquatur, qui semper in lege versati erant, et qui in unius Dei cultu fuerant educati, cur illos tamquam profanos homines, ignorantiae et caecitatis damnet. Respondeo, hinc optime constare, quam insipida sit extra Christum omnis scientia. Merito Paulus, dum refellere vult eorum ostentationem, qui sine Christo sapere volebant, uno verbo dicit, ipsos non tenere caput. Tales erant Iudaei, qui, innumeris aliis corruptelis imbuti, velum habebant oppositum oculis, ne Christum in lege cernerent (II. Cor. 3, 14. 15.). Erat quidem vera lux ea doctrina, in qua instituti erant; sed caecutebant in luce, quamdiu sol iustitiae illis erat absconditus. Quod si litterales quoque legis discipulos, quamdiu Christum ignorant unicum Dei sapientiam, Petrus tamquam profanos homines in tenebras ablegat, eo maiore studio ad eius notitiam eniti nos decet.

15. *Qui vos vocavit, sanctus est.* A fine vocationis argumentatur. Deus nos sibi in peculiis segregat: ergo inquinamenti omnibus puros esse oportet. Et sententiam citat, quae saepius a Mose repetitur. Nam quia populus Israel undique profanis gentibus circumcinctus erat, ex quibus pessima exempla et innumeras corruptelas haurire promptum erat, subinde eum ad se revocat Dominus, ac si diceret: Mecum vobis negotium est, vos mei estis: ergo a gentium pollutionibus abstinete. Est hoc nobis nimium proclive, respicere in homines, ut communem eorum vitam sequamur. Ita fit, ut alii alios turmatim ad omne malum rapiant, donec sua vocatione non Dominus separet. Quod autem sanctos instar sui esse iubet, non est comparatio aequalium; sed quantum fert captus noster, huc tendere debemus. Et quoniam longe a scopo semper absunt etiam perfectissimi, magis ac magis quotidie enitendum est. Meminerimus autem, non tantum nobis praecipere, quid officii nostri sit; sed Deum quoque simul addere: Ego sum, qui vos sanctifico. Addit in *tota conversatione*, ut nulla sit pars vitae, quae non hunc bonum sanctitatis odorem redolcat. Videmus enim, ut in rebus minutis et prope nihil Dominus populum suum ad hanc meditationem assuefecerit, quo magis sollicito sibi caveret.

17. Et si patrem invocatis eum, qui sine personae acceptione secundum cuiusque opus iudicat: in timore conversantes, tempus incolatus vestri transigite, 18. Scientes, quod non corruptibilibus argento vel auro redempti sitis a vana vestra conversatione a patribus tradita, 19. Sed pretioso sanguine velut agni immaculati et incontaminati Christi, 20. Qui praeordinatus quidem fuerat ante conditum mundum, manifestatus autem est extremis temporibus propter vos, 21. Qui per ipsum creditis in Deum, qui eum susci-

tavit ex mortuis, et gloriam illi dedit, ut fides vestra et spes sit in Deum, 22. Purificantes animas vestras in obedientia veritatis per spiritum, in fraternam caritatem non fictam, ex puro corde diligite vos mutuo impense.

17. *Et si patrem invocatis.* Invocare Deum patrem hic dicuntur, qui se profitentur eius filios, quemadmodum dicit Moses Gen. 48, 16., invocandum esse nomen Iacob super Ephraim et Menassem, ut in eius filiis censeantur. Quo sensu etiam Gallice dicimus *reclamer*. Respicit autem ad id, quod prius dixerat, tanquam filii obedientes. Atque ex patris ipsius natura declarat, quale obedientiae genus praestandum sit. *Iudicat*, inquit, *absque intuitu personae*, hoc est, non ducitur externa larva, quemadmodum homines; sed cor intuetur, I. Samuel. 16, 7., et oculi eius in fidem respiciunt, Ier. 5, 8. Hoc etiam est, quod sibi vult Paulus, Rom. 2, 2., quum Dei iudicium docet secundum veritatem esse. Nam illic in hypocritas invehitur, qui Deum inani colore Iudi posse sperant. Summa est, nos minime erga Deum defungi, si ei ad oculum obsequamur; non enim hominem mortalem esse, cui satisfaciat persona, sed intus legere in corde nostro, quales sumus; non pedibus aut manibus leges praescribere, sed spiritualem requirere iustitiam. Quum autem dicit *secundum opus*, hoc nihil vel ad meritum, vel ad mercedem. Hic enim non est de operum meritis disputatio, neque de salutis causa; sed tantum admonet Petrus, apud Dei tribunal personae respectui non esse locum, sed veram cordis sinceritatem aestimari. Hoc loco fides etiam sub operis nomine comprehenditur. Hinc facile liquet, quam inepta sit et puerilis consequentia, Deus qualis sit quisque nostrum, ex integra conscientia non ex specie externa iudicari: ergo operibus salutem consequimur. Porro *timor*, cuius meminit, securitati opponitur, qualis obrepere solet, ubi spes est impune fallendi. Nam quum tam perspicax sit Dei oculus, ut in abditos usque cordis recessus penetret, sollicite, non perfunctorie cum eo ambulandum. *Incolatum* vocat praesentem vitam, non quo sensu Iudaeos, quibus scribit, vocavit initio epistolae inquilinos; sed quia pii omnes in hoc mundo peregrinantur, Hebr. 11, 13.

18. *Scientes.* Aliud argumentum a redemptionis nostrae pretio, quod nobis semper in memoriam venire debet, quum de salute nostra agitur. Nam qui evangelii gratiam repudiat aut spernit, ei non modo vilis est et abiecta sua salus, sed etiam sanguis Christi, quo eam aestimavit Deus. Scimus autem, quam horrendum sit sacrilegium, sanguinem filii Dei profanare. Quare nihil est, quod nos ad sanctitatis studium acrius stimulare debeat, quam huius pretii memoria. *Aurum et argentum* amplificandi causa opponit ex adverso, ut sciamus, totum mundum et quaecunque hominibus pretiosa sunt, ad huius pretii excellentiam nihil esse. Dicit autem *redemptos* a vana conversatione, ut sciamus, totam hominis vitam exitialem esse errorum labyrinthum, donec ad Christum conversus fuerit. Deinde significat, non meritis nostris fieri, ut in viam reducamur; sed quia Deus pretium, quod pro salute nostra impendit, vult in nobis esse efficax. Ergo sanguis Christi non modo salutis nostrae pignus est, sed vocationis etiam nostrae causa. Porro monet Petrus, cavendum esse, ne ipsum incredulitas nostra exinaniat, vel irritum reddat. Quum iacet Paulus (II. Timoth. 1, 3.), se pura conscientia Deum colere usque a proavis, et idem (II. Tim. 1, 5.) Timotheo ad imitationem commendat pietatem aviae Loidos et matris Eunices, dicat etiam Christus (Iob. 4, 22.) de Iudaeis, ipsos scire, quem Deum adorent: videri potest hoc absurdum, quod Petrus Iudaeis sui temporis nihil ex

patrum institutione didicisse asserit praeter meram vanitatem. Respondet, Christum, quum Iudaeis rationem vel scientiam religionis, quam tenent, constare praedicat, respicere ad legem potius et mandatum Dei, quam ad vulgus hominum. Quia enim templum non temere aerectum fuerat Hierosolymis, neque illio hominum arbitrio, sed iuxta legis praescriptum colebatur Deus: ideo dicit, Iudaeos non errare in hac legis observatione. Quantum ad Pauli proavos, Loidem, Eunice, et similes, non dubium est, quin exiguas saltem reliquias in populo illo Deus semper habuerit, in quibus sincera pietas manebat; interea corpus ipsum populi mire corruptum erat, et diffluerat in omne errorum genus. Regnabant innumerae superstitiones, invaluerat hypocrisis, salutis fiducia ad nugas neccio quas traducta erat; non modo pravis opinionibus imbuti erant, sed crassis etiam deliriis fascinati. Qui vero in diversas mundi plagas dispersi erant, maioribus corruptelis erant impliciti. Denique maxima ex parte gens illa a vera pietate vel defecerat prorsus, vel multum degeneraverat. Quum ergo patrum institutionem damnat Petrus, separat eam a Christo, qui solus est legis anima et veritas. Hinc vero colligimus, simul atque discedunt homines a Christo, eos exitialiter errare. Frustra hic val patrum auctoritas, vel mos antiquus praetexitur. Iudaeis enim clamabat propheta Ezechiel (20, 18.): In iustitiis patrum vestrorum ne ambulate. Hoc quoque non minus hodie inter nos valere debet. Nam ut efficax et fructuosa nobis sit Christi redemptio, pristinae vitae renuntiandum est, utcumque ex patrum institutione fluxerit. Ter ergo stulti papistae, qui nudum patrum nomen ita sibi ad omnium superstitionum defensionem sufficere putant, ut hac fiducia secure respiciant, quicquid ex verbo Dei adducitur.

19. *Velut agni.* Significat hao similitudine, in Christo nos habere, quicquid veteribus sacrificiis adumbratum fuit, quamquam praecipue alludit ad agnum paschalem. Atque hinc descendendum est, quid nobis prodest legis lectio in hac parte. Tametsi enim abolitus est sacrificandi ritus, non tamen parum hoc fidem nostram iuvat, veritatem conferre cum figuris, ut, quicquid illae continebant, in hac quaeramus. Agnum, qui immolandus erat in pascha, iubeat Moses integrum et sine macula deligi (Exod. 12, 5.). Idem saepius de sacrificiis repetitur, ut Levitici 3, 6. 4, 3. 22, 20—25.; Numerorum 28, 3. 9. 11. 19. 31. et aliis locis. Hoo dum Petrus ad Christum accommodat, ideo legitimum fuisse et Deo probatam victimam docet, quia integer et omni macula purus fuit. Nam si quid habuisset in se vitii, non poterat rite Deo offerri, nedum iram eius placare.

20. *Qui praesordinatus.* Rursum ex comparatione Dei gratiam amplificat, qua peculiariter eius saeculi homines dignatus fuerat. Neque enim aut vulgare aut parvum est, quod Christi manifestationem Deus in illorum usque aetatem distulit, quum tamen illum aeterno suo consilio in mundi salutem ordinasset. Simul tamen admonet, non esse hoc novum vel subitum Dei respectu, quod Christus in salutem apparuit; quae res in primis cognitu necessaria est. Praeterquam enim quod suspecta est semper novitas: qualis posset stabilitas fidei nostrae esse, si crederemus, post aliquot annorum millia repente tandem venisse Deo in mentem remedium, quo succurreret hominibus? Denique non possumus tranquilla fiducia recumbere in Christum, quin statuamus aeternam in eo esse salutem, semperque fuisse. Praeterea Iudaeos alloquitur Petrus, qui iam olim promissum fuisse audierant; et quamquam nihil veri, aut liquidi, aut certi de eius virtute et officio tenebant: residua tamen iuter eos manebat haec persuasio, redemptorem patribus a Deo esse promissum. Quaeritur tamen, quum ante mundi creationem nondum lapsus esset Adam, quomodo destinatus fuerit Christus redemptor; remedium

enim malo posterius esse debuit. Respondeo, hoc ad Dei praescientiam ferri. Nam certe Deus, autequam hominem creasset, non diu steterum in sua integritate praevitit. Ergo pro admirabili sua sapientia et bonitate Christum ordinavit liberatorem, qui perditum genus humanum ab interitu eriperit. Nam in eo melius relucet incomparabilis Dei bonitas, quod malum nostrum gratiae suae remedio antevertit, ac prius vitae restitutionem statuit, quam in mortem cecidisset primus homo. Si quid praeterea desideret lector, ex institutione nostra petat. *Manifestatus.* Sub hec voce tam exhibitionem ipsius Christi, quam evangelii promulgationem comprehendit puto. Nam Christi adventu exsecutus est Deus, quod statuerat; et quod obscurius indicaveret patribus, ad liquidum et plenum evangelii doctrina nobis pertefecit. Dicit hoc esse factum in his temporibus, eodem sensu quo Paulus ad Galatas capite 4, 4. dicit: tempore plenitudinis. Haec enim mature est opportunitas et vera perfectio, quam Deus suo decreto praefixit. *Propter vos.* Non excludit patres, quibus inutilis fuit promissio; sed quae nos illis praetulit Deus, quo maior erga nos est gratiae amplitudo, eo plus reverentiae, ardoris et studii a nobis exigi significet. Addit autem: *Qui creditis*, quia non ad omnes promiscue pertinet Christi manifestatio, sed eorum est propria, quibus per evangelium illucet. Notando autem est haec loquutio: *Qui per ipsum creditis in Deum*, quae breviter fidei natura exprimitur. Nam quum incomprehensibilis sit Deus, nunquam ad eum perveniet fides, nisi in Christum recta se conferat. Imo duae sunt rationes, cur nulla possit esse fides in Deum, nisi Christus quasi medius interveniat. Nam primo consideranda est divinae gloriae magnitudo, et simul ingenii nostri tenuitas. Multum certe abest, quin acies nostra tam alte conscendere possit, ut Deum apprehendat. Omnis itaque cogitatio de Deo extra Christum, immensa est abyssus, quae sensus omnes nostros protinus absorbeat. Huius rei luculentum exstat specimen non in Turcis modo et Iudaeis, qui sub Dei titulo somnia sua adorant, sed etiam in papistis. Tritum est illud scholarum axioma, Deum esse obiectum fidei. Ita de abscondita eius maiestate, praeterito Christo, prolixè et argute philosophantur; sed quo successu? Miris deliriis se intricant, ut nullus sit errandi finis. Fidem enim nihil esse putant nisi imaginariam speculationem (Col. 1, 15.). Ergo meminerimus, non frustra Christum vocari invisibilis Dei imaginem; sed ideo hoc nomen illi esse impositum, quia Deus nisi in ipso cognosci nolit. Altera ratio est, quod, quum fides coniungere nos Deo debeat, omnem accessum refugimus et horremus, nisi occurrat mediator, qui nos metu liberet. Peccatum enim, quod regnat in nobis, et nos Deo exosos reddit, et illum vicissim nobis. Ergo simulatque mentio Dei facta est, necesse est nos horrore corripit. Quod si appropinquamus, iustitia eius instar ignis est, qui nos penitus consumat. Hinc apparet, non posse nos Deo credere, nisi per Christum, in quo se Deus quodammodo parvum facit, ut se ad captum nostrum submittat, et qui solus tranquillitas reddit conscientias, ut familiariter ad Deum accedere audeant.

21. *Qui eum suscitavit.* Addit, Christum fuisse excitatum a mortuis, ut firmam haberent fulturam fides et spes nostra, qua niterentur. Quo rursus commentum de universali et confusa in Deum fide refellitur. Nam ut nulla sit Christi resurrectio: Deus nihilominus in coelo manet. Atqui Petrus negat in eum credi posse, nisi Christus resurrexit. Constat ergo, fidem aliud quam nudam Dei maiestatem intueri. Et merito ite Petrus loquitur; fidei animus est in coelos penetrare, ut illic petrem inveniat. Quomodo id poterit, nisi Christum habeat ducem? Per ipsum (inquit Paulus) habemus auctori fiduciam, Ephes. 3, 12. Item Hebr. 4, 14—16.: Freti nostro

poutifice, accedere possumus ad thronum gratiae cum fiducia. Spes est ancora animae, quae ad interiori sanctuarii adytum intrat; sed non nisi praesente Christo, Hebr. 6, 19. Fides victoria est nostra adversus mundum, I. Ioh. 5, 4. Quid autem ita eam reddit victricem, nisi quod Christus, coeli et terrae dominus, nos in fide tutelaque sua habet? Quoniam ergo in Christi resurrectione et summo imperio sita est nobis salus, illic fides et spes inveniunt, quo se fulciant. Nisi enim resurgendo de morte triumphasset, ac nunc summum principatum teneret ad nos sua virtute protegendos, quid nobis fieret in tanta hostium potentia, et inter tam violentos insultus? Discamus itaque, in quem scopum collimare nos oporteat, ut vere fidamus Deo.

22. *Purificantes animas vestras.* Erasmus male vertit: Qui purificastis. Non enim praedicat Apostolus, quales sint, sed quales debeant esse, admonet. Est quidem participium praeteriti temporis; sed quod gerundium resolvi potest, animas purificando, etc. Sensus autem est, non fore capaces gratiae animas nostras, donec purgatae fuerint; quo immundities nostra arguitur. Sed ne vim purificandi animas videatur nobis adscribere: mox correctionem addit: *Per spiritum*, acsi diceret: Purgandae sunt animae; sed quia id non potestis, offerite eas Deo, ut per spiritum suum tollat earum immunditiam. Animas tantum nominat, quamquam a carnis etiam inquinamenti nos mundari oportet, quemadmodum iubet Paulus II. Cor. 7, 1.; sed quia praecipua est interior mundities, et externam secum necessario trahit, eius tantum mentionem facere satis habuit Petrus, acsi dixisset, non externas modo actiones corrigi oportere, sed corda ipsa penitus reformari. Modum postea designat; nam in eo sita est animae puritas, si nos Deo in obedientiam addicimus. *Veritatem* accipit pro regula, quam nobis Dominus in evangelio praescribit. Neque tantum de operibus agitur, quin potius hic fides primatum tenet. Ideo specialiter Paulus eam esse tradit, qua obediunt Deo, Rom. primo et ultimo capite, et Petrus in Act. 15. hoc elogium illi tribuit, quod per eam Deus corda purificet. *In fraternam caritatem.* Breviter admonet, quid praecipue in vita nostra exigit Deus, et in quem scopum studia omnia dirigenda sint. Sic Paulus, quum de fidelium perfectione concionatur ad Ephesios 1, 4., eam in caritate statuit. Quod eo diligentius notandum est, quia mundus suam sanctitatem in nugis nescio quibus concludens, hoc summum caput fere negligit. Videmus, ut papistae in mille commentitiis superstitionibus se absque modo fatigent; interea ultima est caritas, quam in primis Deus commendat. Haec ergo causa est, cur nos ad eius studium revocet Petrus, quum de vita rite instituenda agitur. Prius de carnis mortificatione loquutus est, et nostra cum Deo conformatione; nunc autem admonet, qua in re exerceri nos velit Deus tota vita, nempe ut mutuam inter nos dilectionem colamus; nam ea testamur nos Deum quoque diligere. Atque hoc experimento probat Deus, quinam ipsum vere diligant. Vocat eam ἀνυπόκριτον, sicut Paulus I. Timoth. cap. 1, 5., quia nihil difficilius quam sincere animum applicare ad proximos diligendos. Regnat enim amor nostri, qui plenus est simulatione; deinde suum quisque amorem, quo alios prosequitur, proprio commodo metitur potius quam pio communicandi studio. Addit: *impense.* Nam quo sumus natura segiores, eo magis ad fervorem et contentionem acuere se quisque debet; neque id semel duntaxat, sed in dies magis ac magis.

23. Regenti non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per sermonem viventis Dei et manentis (vel viven-

tem et manentem) in aeternum, 24. Quandoquidem omnis caro tamquam herba, et omnis gloria eius tanquam flos herbae. Exaruit herba, et flos eius decidit: 25. Verbum autem Domini manet in aeternum. Hoc autem est verbum, quod annuntiatum est vobis.

23. *Regenisi* etc. Aliud exhortationis argumentum, quod, quum novi sint homines et a Deo regeneriti, vitam Deo et spirituali regeneratione dignam ipsos instituere deceat. Videtur autem connecti hoc debere cum sententia, quae proxime sequetur, de rationali laete appetendo, ut vivendi ratio geniturae respondeat. Potest tamen latius extendi, ut cohaereat etiam cum superioribus. Nam in genere colligit Petrus, quae ad studium rectae et sanctae vitae incitare nos possunt. Hoc ergo est Petri consilium, ut doceat nos non sive regeneratione esse Christianos, quia non praedicatur evangelium, ut tantum audiatur a nobis, sed ut animas nostras, tamquam immortales vitae semen, penitus refingat. Porro *semen corruptibile* ideo opponit verbo Dei, ut sciant fideles, priori naturae renuntiandum esse, ac ut melius pateat, quantum sit discrimen inter Adae filios, qui tantum in mundum nascuntur homines, et filios Dei, qui renovantur in coelestem vitam. Caeterum quia ambigua est Graecae orationis syntaxis, possumus legere tam *sermonem viventem Dei*, quam *Dei viventis*. Quia tamen minus coacta est haec posterior lectio, eam potius amplector, quamquam notandum est, haec epitheta Deo atri hui pro loci circumstantia. Nam sicuti ad Hebr. cap. 4, 12. ex eo, quod Deus omnia perspicit, ac nihil est illi absconditum, ratiocinatur apostolus, sermonem ipsius Dei ad intimas usque medullas penetrare, ut cogitationes et affectus discernat: ita, quum hoc loco Petrus eum viventem nominat et semper manentem, hoc ad sermonem refertur, in quo illa Dei perpetuitas relucet, tamquam in vivo speculo.

24. *Quandoquidem omnis caro*. Locum Iesaiæ (40, 6.) apte citat ad probationem utriusque membri, hoc est, ut constet, quam fluxa et misera sit prima hominis nativitas, et quanta regenerationis gratia. Nam quia illic propheta de restitutione ecclesiae concionatur, ut locum illi faciat, homines redigit in nihilum, ne sibi placeant. Scio, a quibusdam torqueri haec verba in alium sensum. Quidam enim de Assyriis exponunt, acsi diceret propheta, non esse, cur Iudaei sibi a carne tantopere metuant, quae similis est flori caduco. Alii inanem fiduciam reprehendi putant, quam Iudaei locabant in humanis praesidiis; sed utrumque sensum refellit propheta ipse, dum subiicit: Utique herba est populus. Diserte enim vanitatis Indaeos damnat, quibus promittit instaurationem a Domino. Hos itaque est, quod iam dixi, donec ostensa fuerit hominibus sua inanitas, non esse ad recipiendam Dei gratiam comparatos. In summa, talis est prophetae contextus: Quoniam Iudaeis exsilium instar mortis cuiusdam erat, novam de integro consolationem illis promittit, Deum enim adhuc prophetas missurum cum eiusmodi mandato; Adhuc dicit Dominus, inquit, Consolamini populum meum, ac in deserto et vastitate nihilominus vox prophetica resonabit, ut via Domino sternatur. Quoniam autem purgari animos perversa superbia, qua turgent, necesse est, ut Deo aditus patet, subiicit, quod hic refert Petrus de evanida carnis gloria. Quid est homo? inquit, gramen. Quid est hominis gloria? flos herbae. Nam quia difficile persuasu erat, hominem, in quo tantum praestantiae apparet, esse herbae similem, quadam concessionis specie utitur propheta, acsi diceret: Sit sane aliqua carnis gloria; sed ne ea vobis oculos per-

stringat, scitote, emarcidum esse florem. Postea ostendit, qualiter subito evenescat, quicquid hominibus conciliat gratiam, nempe spiritus Dei flatu. Quo significet, hominem videri aliquid, donec ad Deum accedat, sed totum eius fulgorem nihili esse coram Deo; denique eius gloriam in mundo residere, locum non habere in regno coelesti. *Exaruit herba.* Putant multi, hoc non nisi ad externum hominem pertinere, sed falluntur; spectanda est enim comparatio verbi Dei cum homine. Nam si corpus tantum et ea, quae sunt praesentis vitae, intelligeret, dicendum secundo loco fuerat, animam longe excellentiorem esse. Atqui flori et herbae non nisi sermoem Dei opponit: sequitur ergo, in homine solam vanitatem inveniri. Ideo quum de carne et eius gratia loquitur Iesaias, totum hominem, qualis et quantus in se est, comprehendit. Nam quod verbo Dei quasi proprium adscribit, vult homini detrahere. Denique idem agit propheta, quod Christus Ioh. 3, 3., hominem prorsus a regno Dei esse alienum, nihil nisi terrenum, caducum, et inane habere, nisi renatus fuerit.

25. *Verbum autem Domini.* Non docet propheta, quale sit in se verbum Dei; sed quale a nobis sentiatur. Postquam enim exinanitus est homo in se ipso, restat, ut alibi quaerat vitam. Hanc ergo vim atque efficaciam tribuit Petrus verbo Dei ex euctoritate prophetiae, ut esse solidum et aeternum nobis conferat. Huc enim respicit propheta, non esse stabilem vitam nisi in Deo; eam vero nobis communicari per verbum. Quemlibet ergo caduca sit hominis natura, aeternus tamen per verbum efficitur, quia refingitur in novam creaturam. *Verbum, quod annuntiatum est vobis.* Primum admonet, quum verbi Dei fit mantio, perperam nos facere, si illud in aere eut in coelo a nobis remotum imaginamur; debere enim agnoscere, ut nobis patefactum est a Domino. Quid est igitur sermo Domini, qui nos vivificat? Nempe lex, prophetiae, evangelium. Extra hos revelationis fines qui vagantur, pro verbo Domini non nisi Satanae imposturas et sua deliria apprehendunt. Quod eo diligentius notandum est, quia impii et Lucinianici homines estute relinquentes verbo Dei suum honorem, interea nos a scripturis abducere conantur, ut impurus ille canis Agrippa, dum verbi Dei aeternitatem magnifice extollit, scripserit illud prophetis et apostolis, et quae ita oblique verbum Dei subsannat. In summe, quemadmodum iam admonui, non fieri hic de verbo mentionem, quod in pectore Dei clausum lateat, sed quod ab ore eius profectum ad nos manavit: ita rursus habendum est, Deum per epistolas et prophetas voluisse nobis loqui, et illorum ora os unius Dei esse. Deinde quum dicit Petrus: *Vobis annuntiatum est,* significat, verbum non alibi quam in praedicatione, quae nobis offertur, quaerendum esse; et sane non aliter vim illam aeternitatis sentimus, quam fide. Atqui nulle erit fides, nisi verbum destinari nobis sciemus. Eodem pertinet, quod dicebat Moses (Deut. 80, 12.) populo: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in coelum, etc. Propo est verbum in ore tuo et in corde tuo. Illam enim concionem cum hac Petri congrueret Paulus ostendit, Rom. 10, 8., quum tradit, illud esse fidei verbum, quod praedicabat. Praeterea hic non vulgari elogio externa praedicatio ornatur, quum Petrus illam esse vivificam pronuntiat. Solus quidem est Deus, qui nos regeneret, sed ad eam rem utitur hominum ministerio; qua ratione gloriatur Paulus (I. Cor. 4, 15.) Corinthios spiritualiter a se genitos. Certum quidem est, eos, qui plantant et rigant, nihil esse; sed quoties Dominus benedicere vult eorum labori, spiritus sui virtute facit, ut efficeat sit eorum doctrina, et vox, quae per se mortua est, vitae aeternae sit organum.



## CAP. II.

1. Proinde deposita omni malitia, et omni dolo, et simulationibus, et invidiis, et omnibus obtreccionibus, 2. Tamquam modo geniti infantes, lac rationale et dolo vacuum appetite, ut per illud subolescatis, 3. Si quidem gustastis, quod benignus sit Dominus, 4. Ad quem accedentes, qui est lapis vivus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum vero electus ac pretiosus; 5. Ipsi quoque tamquam vivi lapides aedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendas spirituales hostias, acceptas Deo per Iesum Christum.

Postquam fideles docuit verbo Dei esse regenitos, nunc hortatur ad ducendam vitam, quae geniturae respondeat. Si enim spiritu vivimus, etiam spiritu ambulandum est, ut inquit Paulus (Gal. 5, 25.). Ergo non sufficit, nos semel a Domino renovatos esse, nisi vivamus, ut novas creaturas decet. Haec summa est. Verum quod pertinet ad verba, metaphoram suam continuat apostolus. Nam quia sumus regeniti, puerilem a nobis vitam exigit; quo significat, exiendum esse cum operibus suis veterem hominem. Ideo congruit haec sententia cum illa Christi (Matth. 18, 3.): Nisi efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum Dei. Et *infantia* haec carnis vetustati, quae ad corruptionem tendit, a Petro opponitur. *Lactis* vero nomine effectus omnes spiritualis vitae comprehendit. Est enim in hac quoque parte antithesis inter vitia, quae recenset, et lac rationale, ac si dixisset: Malitia et simulatio eorum est, qui mundi corruptelis assuefacti haec vitia imbiberunt; infantiae sincera et omni dolo pura simplicitas convenit. Homines diu vivendo imbuuntur invidia, discunt obtreccare alii aliis, erudiuntur ad nocendi artes; denique ad omne mali genus veteratores fiunt; infantes nondum per aetatem capiunt, quid sit invidere, nocere et similia. Vitia ergo, in quibus exercitata est carnis vetustas, robustis cibis comparat; lac autem vocatur consentanea innoxiae naturae et simplici infantiae vivendi ratio.

1. *Omni malitia.* Non est integra omnium enumeratio, quae deponi a nobis oportet; sed quum de veteri homine disputant apostoli, quaedam vitia proponunt in exemplum, quibus totum illius ingenium designant. Nota sunt carnis opera, inquit Paulus (Gal. 5, 19—21.); neque tamen omnia illic colligit, sed in paucis illis, quasi in speculo conspiciere licet immensam colluviem, quae ex carne nostra scaturit. Ita et aliis locis, ubi reformare vult totam hominis vitam, paucas tamen species duntaxat attingit, unde intelligi possit genus universum. Perinde ergo valet, quod dicit, atque: Depositis prioris vitae fructibus, quales sunt malitia, dolus, simulationes, invidiae, et eiusmodi reliqua, addicite vos contrariis studiis: bonitatem, sinceritatem, modestiam colite. Denique hoc contendit, ut novam vitam sequantur novi mores.

2. *Lac rationale.* Vulgo exponunt hunc locum, qualiter Erasmus transtulit: Lac non corporis, sed animae, quasi apostolus hoc verbo se metaphorice loqui admonet. Ego potius hoc verbum existimo convenire cum illa Pauli sententia (I. Cor. 14, 20.): Ne sitis pueri sensu, sed malitia. Ne quis enim putaret intelligentiae expertem infantiam, fatuitatis vero plenam ab eo laudari, mature occurrit: ita lac dolo vacuum iubet appetere, ut tamen recta intelligentia conditum sit. Nunc videmus, quorsum haec duo epitheta

simul oonnectat, *λεγικὸν καὶ ἄδολεον*. Sunt animæ res in speciem diversae simplicitas et perspicientia; verum simul misceri oportet, ut ne insipida sit simplicitas, nec pro intelligentia malitiosa vafrities obrepat. Sic bene temperata erit conditura, iuxta illud Christi (Matth. 10, 16.): Estote prudentes ut serpentes, et simplices ut columbae. Atque hoc modo solvitur quaestio, quae alioqui obici poterat. Paulus exprobat (I. Cor. 3, 1.) Corinthiis, quod pueris sint similes, ideoque solidum cibum ferre nequeant, sed lacte alendi sint. Eadem fere sententia habetur in epistola ad Hebr. 5, 12. Verum illic pueris comparantur, qui in pietatis doctrina semper novitii sunt ac rudes tirunculi, qui in primis elementis haerent, nec unquam penetrant in altiore Dei notitiam. *Lac* vocatur crassior et puerilis docendi forma, quum ultra prima rudimenta nunquam fit progressus. Merito itaque hoc vitio vertunt tam Paulus quam auctor epistolae ad Hebraeos. Hic vero lac non elementaris est doctrina, ut perpetuo quis discat, nunquam ad veritatis perveniat notitiam; sed vitae ratio; quae novam genituram sapiat, quum nos permittimus Deo educandos. Similiter *infantia* non virili et plane adultae Christi aetati (ut alibi, Ephes. 4, 13., Paulus vocat), sed vetustati carnis et prioris vitae opponitur. Porro sicuti perpetua est novae vitae infantia, ita continuum lactis alimentum Petrus commendat; vult enim nos ipso educatos grandescere.

3. *Si quidem gustastis*. Alludit ad illud Psal. 34, 9.: *Gustate et videte etc.* Hunc vero gustum in Christo percipi significat, ut certe nullam unquam extra Christum requiem animæ nostrae invenient. Duxit autem exhortationis argumentum a Dei bonitate, quod eius suavitas, quam in Christo sentimus, allicere nos debeat. Nam quod subiicitur: *Ad quem accedentes*, non simpliciter ad Deum refertur, sed ipsum designat, qualis patefactus est in persona Christi. Iam vero fieri nequit, quin nos ad se totos rapiat Dei gratia, sui que amore inflammet, ex quo serium eius sensum concepimus. Hoc si Plato de suo pulchro affirmat, cuius umbratilem duntaxat ideam procul intuebatur: multo verius in Deum competit. Hoc ergo notandum, quod Petrus accessum ad Deum cum bonitatis eius gustu coniungit. Sicuti enim necessario Deum horret ac fugit mens humana, quamdiu rigidum ac severum sibi fingit: ita simulac paternum suum amorem patefecit ipse fidelibus, nihil restat, nisi ut posthabitis omnibus, seque adeo ipsos obliti, ad eum properent. In summa, profecit is demum in evangelio, qui corde ad Deum accedit. Verum simul ostendit, in quem fidem, et qua conditione accedere nos ad Christum oporteat, nempe ut in ipso fundemur. Nam quum in lapidem constitutus sit: hanc vim erga nos proferat oportet, ne frustra et inutiliter quicquam illi a patre iniunctum sit. Occurrit autem scandalo, quum fatetur ab hominibus reprobatum. Nam quia bona pars mundi Christum respuit, multi etiam ab ipso abhorrent: posset hac occasione a nobis contemni, quemadmodum videmus quosdam imperitos alienari ab evangelio, quia non sit ubique plausibile, nec gratiam suis professoribus conciliet. Atqui Petrus minoris Christum a nobis fieri vetat, utcuque sit mundo contemptibilis, quia nihilominus suum coram Deo pretium honoremque retineat.

5. *Tamquam vivi lapides aedificamini*. Verbum hoc tam indicativi quam imperativi modi esse potest; nam apud Graecos quoque ambigua est terminatio. Caeterum utrovis modo sumatur, non dubium est, quin hortari Petrus velit fideles, ut se in spirituale Deo templum consecrent. Nam a fine vocationis, quale nostrum sit officium, apte ratiocinatur. Porro notandum est, quod ex universo fidelium numero domum unam construit. Nam etsi quisque nostrum Dei templum est ac dicitur, omnes tamen coadunari in unum, et

mutua caritate conglutinari necesse est, ut unum ex omnibus templum fiat. Ergo sicuti verum est singulos esse tampla, in quibus Deus per spiritum suum habitat: ita singulos inter se aptari necesse est, ut ad structuram universalis templi conveniant. Hoc fit, dum sua quisque mensura contentus, intra officii sui terminos se continet: omnes tamen, quicquid habent facultatis, in communia conferunt. Quod nos lapides vivos appellat, et spirituale aedificium, sicuti prius dixerat Christum vivum lapidem, in eo subest tacita comparatio veteris templi, atque id valet ad gratiae amplificationem. Eodem pertinet, quod subiicit de hostiis spiritualibus. Quanto enim figuris praestantior est veritas: eo magis excellunt omnia sub Christi regnum. Habemus enim coeleste illud exemplar, cui subserviebat vetus sanctorum, et quicquid Moyses in lege instituit. *Sacerdotium sanctum*. Haec singularis est dignatio, quod Deus non modo nos sibi in templum consecrat, in quo habitat ac colatur, sed vult simul esse sacerdotes. Atque hunc duplicem honorem ideo commemorat Petrus, ut nos ad Dei cultum acrius stimulet. Inter hostias spirituales primum locum obtinet generalis nostri oblatio, de qua Paulus ad Roman. 12, 1. Naque enim offerre quicquam possumus Deo, donao illi nos ipsos in sacrificium obtulerimus, quod fit nostri abnegatione. Sequuntur postea preces et gratiarum actiones, eleemosynae, et omnia pietatis exercitia. *Acceptas Deo*. Hoc quoque non parum alacritatis addere nobis debet, quum scimus Deo placere, quem illi praestamus cultum, sicuti dubitatio pigritiam secum necessario trahit. Ergo hic tertius est exhortationis stimulus, quod testatur, accepta esse Deo nostra officia, ne trepidatio segnioras nos raddat. Magno quidam fervore idololatriam ferunt ad fictitios suos cultus; sed hoc ideo fit, quia Satan inebriat eorum mentes, ne in operum suorum considerationem veniant; quoties autem in examen vocantur eorum conscientiae, labascere incipiunt. Cartum quidem est, fieri non posse, ut quisquam serio et ex animo se Deo addicat, nisi certo persuasus sit, non frustra se laborare. Sed addit apostolus: *Per Christum*. Nunquam enim ea reperietur in sacrificiis nostris puritas; ut par se Deo grata sint; nunquam integra ac plena est nostri abnegatio; nunquam tam sincerus precandi affectus, ut decebat; nunquam tam ardentem et strenuam incumbimus ad haec agendum, quin mutila sint ac multis vitiis implicita nostra opera. Sed Christus nihilominus illis gratiam conciliat. Diffidentiae igitur, quam de operum nostrorum acceptione concipere possemus, hic Petrus occurrit, quum dicit, accepta esse non praestantiae suae merito, sed propter Christum. Atque hoc studii nostri ardorem magis accendere debet, quum audimus, Deum tem indulgentem nobiscum agere, ut in Christo aestimat nostra opera, quae in se ipsis nihil merebantur, quamquam particula haec, *Per Christum*, apte coniungi possat cum verbo offerendi. Nam similis loquutio habetur apud Hebraeos cap. 13, 15.: Par ipsum offeramus hostiam laudis Deo. Idem tamen manebit sensus, quia per Christum offerimus, ut Deo sacrificium placeat.

6. Propterea etiam continet scriptura (*Ies. 28, 16.*): Ecce pono in Sion lapidem angularem, electum, pretiosum, et, qui crediderit in illo, non pudebit, 7. Vobis ergo, qui creditis, pretiosus, incredulis vero lapis, quem reproba-verunt aedificantes, hic positus est in caput anguli, 8. Et lapis impactionis, et petra offenciculi iis, qui impingunt in sermonem, nec credunt, in quod etiam ordinati fuerant.

6. *Continet scriptura.* Qui verbum *περιφέρειν* ad Christum referunt, et exponunt: complecti, quia per ipsum inter se hi omnes cohaereant, procul discedunt a mente apostoli. Nihilo magis recipienda est altera expositio: Christum excellere. Simpliciter enim scripturae testimonium citata voluit Petrus. Significat ergo proditum a spiritu sancto in scripturis, vel (quod idem valat) illic comprehendendi, quod subiicit. Nae vero supervacua fuit proximae sententiae confirmatio. Vidamus enim, quam levibus de causis ac prope nullis abhorreant multi a Christo, nonnulli vero deficient. Sed hoc offensionale prae aliis maxima quosdam impedit; abducit alios, quod Christum non modo vulgus hominum contemnit ac respuit, sed qui constituti sunt in aliquo dignitatis gradu, videnturque inter alios excellere. Hic error semper fere viguit in mundo, et hodie nimium grassatur, ut bona pars Christum aestimet ex perverso mundi iudicio. Porro, quae hominum est ingratitude et impietas, passim contemnitur Christus. Ita fit, dum alii alios respiciunt, ut pauci iustum honorem illi habeant. Ideo admonet Petrus, quid de Christo praedictum fuerit, ne eius contemptus aut relectio a recta fide non dimoveat. Caeterum primus locus, quem adducit, sumptus est ex Iesiae cap. 28, 16., ubi, postquam invectus est propheta in deploratam gentis suae malitiam, tandem subiicit: Non efficiet vestra perfidia, quin Deus ecclesiam suam instauret, quae nunc per vos toto facit in ruinis. Modum reparationis adscribit: Ponam in Sion lapidem. Unde colligimus, sine Christo nullum esse ecclesiae aedificium; neque enim alibi quam in ipso fundari potest, sicuti Paulus testatur (I. Cor. 3, 11.). Nec mirum; in eo enim comprehenduntur omnes salutis nostrae partes. Ergo quisquis vel minimum ab eo deflectit, pro futura praecipitium inveniet. Quara propheta non tantum lapidem angularem ipsum vocat, cui praecipua aedificii moles incumbit; sed lapidem probationis, ad quem exigi debet atque aptari structurae modus; deinde fundamentum solidum, quod structuram universam continet. Proinde ita est lapis anguli, ut sit totius aedificii regula, ut sit unicum fundamentum. Sed Patrus ex prophetae verbis sumpsit, quod praesenti instituto maxime quadrabat, nempe quod sit electus lapis, honorisque et praestantiae plenus; deinde quod in eo nos fundari oporteat. Honor huc pertinet, ne Christus, utenique mundo sit contemptibilis, a nobis spernatur, quando apud Deum summo in pretio est. Quum autem vocat *lapidem anguli*, significat, eos nullam habere suae salutis curam, qui in Christum non recumbunt. Quod aliqui in voce anguli subtilius philosophantur, quasi hoc ideo dictum sit, quod Christus Iudaeos et gentes, tamquam duos parietes diversos, simul coniungat, non satis firmum est. Contenti ergo sumus simplici expositione, ideo sic vocari, quia aedificii pondus illo nititur. Observandum praeterea est, quod propheta Deum inducit hic loquentem. Solus enim ipse opifex ecclesiae suae est ac architectus, quemadmodum in Psalmo (48, 9.) habetur, quod manus eius Sionem fundavit. Utitur quidem hominum opera ad hanc structuram, et ministerio; sed hoc non obstat, quin suum unius opus esse vere asserat. Christus ergo nobis salutis est fundamentum, quia in hunc finem nobis ordinatus est a patre. Dicit autem: in Sion, quia illic inchoari oportuit spirituale Dei templum. Quare ut solide fides nostra Christo nitatur, vertendum est ad legem et prophetas. Tametsi enim totum orbem ad extremos usque angulos occupat hic lapis: primo tamen in Sion locari necesse fuit, ubi tunc erat ecclesiae sedes. Tunc enim positus fuisse dicitur, quum pater eum manifestavit, ut ecclesiam suam restitueret. Denique sic habendum est, eos Christo niti solos, qui ecclesiae unitatem colunt, quia non nisi in Sion positus est lapis fulturae. Quia autem ex Sione prodit ecclesia, quae nunc qua

quaversum diffusa est, illinc quoque fides nostra habet axordium, sicut dicit Iesaias (2, 3.): E Sion exhibit lex, et verbum Domini a Ierusalem. Cui respondet illud Psalm. 110, 2.: Sceptra virtutis tuae emittet Dominus e Sion. *Qui crediderit.* Propheta non exprimit in ipso; sed generaliter dicit: Credens non festinabit. Quia tamen non dubium est, quin Deus Christum illic nobis proponat in scopum fidei: fides, de qua propheta loquitur, in hunc solum intueri debet. Et certa nemo rite credere potest, nisi qui Christum sibi statuit, in quo tota mente consistat. Caeterum prophetae sententia bifariam potest exponi, nempe ut sit vel promissio, vel exhortatio. Futurum tempus usurpat: Non festinabit, sed quod pro imperativo saepe capitur apud Hebraeos: Ne festinet. Ita sensus esset: Nolite in animis vestris tnmultuari, sed placide sustinete vestrum desiderium, et cohibete vestros affectus, donec praestet Dominus, quod promittit, quemadmodum alibi (Ies. 30, 15.) dicit: In silentio et quiete erit fortitudo vestra. Sed quoniam altera lectio propius ad Patri interpretationem accedere videtur, eam magis amplector. Et aensus non male conveniet: Credens non nntabit, aut vacillabit, quia firmam ac stabilem fulturam habet. Atque haec insignis est doctrina, quod Christo subnixi extra lapsus periculum simus. Porro idem valet *pudescere*, quod trepidare. Quare genuinum sensum prophetae retinuit Petrus, utcumque Graecam versionem sequentus sit.

7. *Vobis ergo, qui creditis.* Quum Deus Christum pronuntiet lapidem esse pretiosum et electum, talem nobis fore colligit apostolus. Nam certe illic describitur Christus, qualem ipsum apprehendimus fidei sensu, et qualem se veris experimentis probat. Quare diligenter notanda est illatio: Christus coram Deo electus est lapis: ergo fidelibus talis est. Sola enim est fides, quae pretium ac excellentiam Christi nobis patefacit. Quoniam autem apostoli consilium est obviare scandalo, quod nobis multitudo impiorum gignit, statim alterum membrum subiicit de ipsis incredulis, quod Christum respuendo non auferant tamen honorem illi a patre datum. In eam rem citatur Psal. 118, 22., quod lapis, quem reprobarunt aedificantes, statuatur nihilominus in caput anguli. Unde sequitur, Christum, iuvis hostibus, manere tamen in suo gradu, in quo pater illum locavit, quamquam duae sententiae hic notandae sunt. Prior est, Christum oportuisse reiici ab iis, qui regimen in ecclesia Dei obtinebant; altera vero, inanes fore ipsorum conatus, quia impleri oporteat, quod Deus decrevit, ut tamquam lapis angularis sustineat aedificium. Porro locum hunc de Christo vere et proprie debere intelligi, non modo spiritus sanctus testis est, et Christus ipse, qui sic exposuit (Matth. 21, 42.); sed ex eo etiam colligi potest, quod, antequam Christus veniret in mundum, vulgo ita receptum erat. Neo dubium, quin a petribus quasi per manus tradita esset haec expositio. Itaque videmus pueris quoque ipsis quasi vulgarem fuisse de Messia cantilenam. Quare ego de hac re non longius disputabo. Sumamus itaque pro confesso, Davidem sic fuisse aetate sua lapidem reprobatum, ut Christi personam gesserit. Redeamus nuno ad prius membrum. Christus ab architectis reiicitur: hoc in Davide fuerat prius adumbratum. Nam qui rerum potiebantur, eum habebant pro damnato et perduto. Idem in Christo impletum fuit. Nam qui praeserant gubernandae ecclesiae, ipsum quoque reprobarunt, quantum in ipsis fuit. Hoc valde percellere infirmos poterat, quum viderent, totidem esse Christi hostes, quot erant sacerdotes, presbyteri et doctores, in quibus solis conspicua erat imago ecclesiae. Huic scandalo dum mederi vult Petrus, Davidis testimonio praedictum fuisse admonet, quod tunc cernebant fideles. Praesertim autem Iudaeos alloquitur, ad quos proprie hoc pertinebat, quamquam non minus hodie utilis nobis est haec admoni-

tio. Nam qui sibi primatum arrogant in ecclesia, infestissimi sunt Christi hostes, ac diabolica rabie persequuntur eius evangelium. Papa se vicarium nominat; videmus autem, quam atrociter illi adversetur. Simples ac imperitos consternat hoc spectaculum. Cur istud? nempe quia non reputant occidere, quod David praedixit. Meminerimus itaque hoc, vaticinio non tantum admonitos fuisse, qui viderunt Christum a scribis et Pharisaeis relici; sed nos etiam muniri adversus quotidiana scandala, quae fidem nostram alioqui labefactare possent. Quoties inquam videmus eos, qui praesulum titulo gloriantur, insurgere adversus Christum, veniat hoc nobis in mentem, reprobari lapidem ab architectis, sicuti a Davide praedictum est. Quemadmodum autem trita est metaphora aedificii, quam de politioe vel spirituali regimine agit: ita David architectos vocat, quibus commissa est gubernandi cura et potestas, non quod recte aedificent, sed quia nomen habent, et ordinaria potestate sunt praediti. Unde sequitur, non semper fideles ac veros Dei ministros esse, qui sunt in officio constituti. Bis ergo ridiculum est papa cum suis, dum sibi hoc solo praetextu summam et indubiam auctoritatem arrogant, quod ordinarii sunt ecclesiae praesides. Primum nihilo iustior aut magis legitima est illorum vacatio ad regendam ecclesiam, quam Heliogabali ad regendum imperium. Verum ut illis demus, quod impudenter obtendunt, rite vocatos esse: videmus tamen, quid de ordinariis ecclesiae praesulibus David pronuntiet, Christum scilicet ab ipsis relici, ut porcis haram magis quam Deo templum aedificent. Sequitur altera pars, quod non efficiant magni omnes, qui potentia et dignitate sua superbiunt, quin maneat Christus suo loco.

8. *Lapis impactationis.* Postquam fideles consolatus est, quod in Christo habituri sint fundamentum solidum et stabile, quamvis maior pars, adeoque primores ipsi nullum illi in aedificio locum assignent: nunc poenam denuntiat, quae manet omnes incredulos, ut horum exemplo illi terreantur. In hunc finem citat Iesaeae testimonium ex capite 8, 14. Illic propheta Dominum minatur fore Iudaeis in lapidem offensionis et petram scandali. Hoc proprie in Christum competere, colligi potest ex textu, et Paulus ad Christum accommodat, Rom. 9, 32. Nam in eius persona Deus exercituum se plene manifestavit. Hic ergo terribilis Dei ultio denuntiatur omnibus impiis, quod illis Christus in offendiculum et impactationem futurus sit, quia in eo fundari renuunt. Qualis enim est Christi firmitudo ad sustinendos omnes, qui fide in ipsum recumbunt, talis est durities ad frangendos et conterendos omnes, qui illi resistunt. Nihil enim inter ista duo medium est, quin vel super eum nos extrui, vel ad ipsum collidi oporteat. *Qui impingunt in sermonem.* Modum hic designat, quo in offendiculum Christus cedit, nempe dum se perveraciter opponunt homines verbo Dei. Hoc fecerunt Iudaei, quia, tametsi Messiam se velle amplecti profitebantur, ipsum tamen a Deo sibi oblatum furiose repellebant. In eadem hodie causa sunt papistae: adorant nundum Christi nomen, evangelii doctrinam audire non sistent. Significet ergo Petrus, omnes, qui Christum evangelio suo vestitum non recipiunt, Dei esse adversarios, et eius verbo reluctari; deinde Christum nullis esse exitio, nisi qui caeco malitiae et obstinationis impetu adversus Dei verbum irruunt. Atque hoc notatu in primis utile est, ne vitii nostri culpa Christo imputetur. Nam quum nobis in fundamentum datus sit, illi accidentale est esse petram scandali. In summa, proprium eius munus est, nos in spirituale Deo templum aptare; fit autem hominum vitio, ut in ipsum impingant, quia scilicet incredulitas homines cum Deo in certamen committit. Itaque Petrus, ut conflictum exprimeret, dixit esse incredulos. *In quod etiam ordinati.* Bifariam exponi

potest hic locus. Certum quidem est, Petrum de Iudaeis loqui. Vulgo autem interpretantur, quod positi fuerint ad credendum, quia illis destinata erat salutis promissio; sed alter sensus peraeque quadrare potest, quod ad incredulitatem ordinati fuerint, quemadmodum Pharaeo dicitur (Exod. 9, 16.) in hoc positus, ut Deo resistat, et reprobis omnes in suum finem destinati sunt. Atque ut in hunc sensum inclinem, facit particula *sal* interposita. Quod si tamen prior expositio magis arridet, vehemens exprobratio est. Nam inde Petrus incredulitatem populi a Deo electi exaggerat, quod salutem peculiariter sibi ordinatam respuerit. Et certe haec circumstantia bis eos reddit inexcusabiles, quod prae aliis vocati Deum audire recusaverint. Caeterum quod dicit positos fuisse ad credendum, ad externam duntaxat vocationem refertur, nempe intuitu foederis, quod Deus promiscue cum tota gente pepigerat, quamquam (ut dictum est) satis convicta est hominum ingratitude, quum verbum sibi propositum reiiciunt.

9. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus in acquisitionem, ut virtutes enarretis eius, qui vos ex tenebris vocavit in admirabile lumen suum, 10. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; qui non consequuti eratis misericordiam, nunc misericordiam consequuti estis.

9. *Vos genus electum.* Iterum eos ab incredulis separat, ut eorum exemplo in transversum acti (ut plerumque fieri solet) a recta fide deficient. Quoniam ergo absurdum est, ut se impiorum societate involvant, quos Deus a mundo segregavit, fideles hic Petrus admonet, in quantum honorem eveci fuerint; deinde quorsum et ad quid vocati. Porro iisdem elogiis, quae in eos confert, veterem populum ornabat Moses (Exod. 19, 6.); sed docere vult, ipsos Christi beneficio tantam dignationem, a qua exciderunt, de integro recuperasse, quamquam simul verum est, terrenum duntaxat honorum istorum gustum praeuisse Deum patribus, solidam exhibitionem in Christo constare. Perinde igitur valet haec sententia, ac si dixisset: Patres vestros olim Moses gentem sanctam, regnum sacerdotale et Dei peculium vocabat; nunc maiori iure in vos competunt isti omnes tituli: quare videndum est, ne vos illis spoliaret vestra incredulitas. Interea tamen, quia maior pars gentis incredula erat, Iudaeos fideles apostolus reliquis omnibus tacite opponit, tsmetsi numero praevalerent, acsi diceret, eos demum genuinos esse filios Abrahae, qui in Christum credunt, eosque solos possessionem retinere honorum omnium, quae Deus singulari quodam privilegio in totam gentem contulerat. *Genus electum* vocat, quod sibi Deus praeteritis aliis tamquam maxime eximium adoptavit: *gentem sanctam*, quam dicavit sibi et destinavit in puritatem vitae ac sanctimoniam: *populum in acquisitionem*, ut illi sit quasi peculium et haereditas. Sic enim simpliciter accipio, quod Dominus nos vocavit, ut tamquam vere suos et sibi addictos possideat. Quem sensum comprobant verba Mosis (Exod. 19, 5.): Si custodieritis pactum meum, aritis mihi in thesaurum peculiarem prae cunctis populis. In *sacerdotio* regali elegans est verborum Mosis inversio. Is enim dicit regnum sacerdotale, quod idem valet. Itaque hoc vult Petrus: Patres vestros Moses vocabat sacrum regnum, quia totus populus quasi regia libertate praeditus erat, et ex eius corpore electi erant sacerdotes. Proinde utraque dignitas simul permista erat. Nunc vos estis sacerdotes regii, et quidem praestantiori modo, quia singuli in Christo consecrati estis, ut sitis et regni socii, et sacerdotii parti-

cipes. Tametsi ergo aliquid vobiscum simile habuerint patres, illis tamen longe praestatis. Caeterum postquam diruta est a Christo maceria, ex quacunque simus gente, his omnibus titulis nos Dominus insignit, dum nos populo suo accenset. Porro in his omnibus beneficiis consideranda est antithesis inter nos et reliquum genus humanum: unde melius apparet, quam incomparabilis sit erga nos Dei bonitas, qui nos sanctificat, quum polluti simus natura; elegit, quum nihil inveniatur in nobis nisi foedum et reprobum; nos ex nihili sordibus peculium suum facit; profanis sacerdotii honorem onfert; Satanae, peccati et mortis mancipia in regiam libertatem evehit. *Ut virtutes enarretis.* Sedulo finem vocationis inculcat, ut eos stimulet ad dandam Deo gloriam. Summa autem est, Deum immensis beneficiis nos dignatum esse, et assidue prosequi, ut per nos illustretur sua gloria. Nam per *virtutes* sapientiam, et bonitatem, et potentiam, et iustitiam intelligit, et quicquid tale est, in quo refulget Dei gloria. Porro has virtutes non lingua modo narrare nos decet, sed tota vita. Haec doctrina quotidie meditanda est, ac singulis momentis debet in memoriam recurrere, huc tendere omnia Dei beneficia, quibus nos afficit, ut per nos eius gloria praedicetur. Notandum etiam, quod dicit, *vocatos* esse ex tenebris in admirabile Dei lumen. Nam his verbis gratiae magnitudinem amplificat. Si Dominus in itinere nobis occurreret lumen quaerentibus, hoc mediocre esset beneficium; sed hoc multo excellentius, quod nos ex labyrintho caecitatis et tenebrarum abyssi eruit. Unde discendum est, qualis sit hominum conditio, antequam in regnum Dei transferantur. Atque hoc est, quod ait Iesaias (60, 2.): Tenebrae operient terram, et caligo populos; super te autem videbitur Dominus, et gloria illius in te refulgebit. Et sane fieri aliter nequit, quin si in profundis tenebris demersi, postquam a Deo discessimus, qui lux nostra est. Qua de re fusius ad epist. ad Ephes. cap. 2.

10. *Aliquando non populus.* Locum Hoseae 2, 23. adducit in confirmationem, et optime instituto suo accommodat. Nam postquam Hoseas Dei nomine repudium Iudaeis indixit: spem illis facit futurae reconciliationis. Hoc Petrus suo saeculo impletum fuisse admonet; nam huc illuc dispersi erant Iudaei, quasi laceri corporis membra, imo videbantur resecti esse ex Dei populo, nullus apud eos cultus restabat, gentium corruptelis erant impliciti. Aliud ergo dici non poterat, quam esse a Domino repudiatos. Quum autem in Christo colligantur, vere ex non populo fiunt populus Dei. Paulus in epist. ad Rom. cap. 9, 26., hoc vaticinium ad gentes quoque trahit, neo immerito; ex quo enim ruptum est foedus Domini, quo solo Iudaei excellunt, gentibus sunt aequales. Unde sequitur, communiter ad utrosque pertinere, quod Deus promittit, ut faciat sibi populum ex non populo. *Non consequuti misericordiam.* Hoc ideo additum fuit a propheta, quo melius exprimeret, gratuitum esse Dei foedus, quo nos in populum assumit, acsi dixisset, non aliam esse causam, cur Dominus nos pro suis reputet, nisi quia nostri misertus gratis nos adoptat. Sola igitur est gratuita Dei bonitas, quae nos facit ex non populo Dei populum, vel alienatos conciliat.

11. Amici, adhortor vos tamquam inquilinos et peregrinos, ut abstineatis a carnalibus desideriis, quae militant adversus animam, 12. Conversationem vestram inter gentes bonam habeatis, ut in quo detrahunt de vobis tamquam maleficis, ex bonis operibus aestimantes (vel *considerantes*), glorificent Deum in die visitationis.



11. *Tamquam inquilinos.* Dnae sunt huius exhortationis partes: ut animi intus pravis et vitiosis cupiditatibus vacui ac puri sint; deinde ut honeste versentur inter homines, ac bonae vitae exemplo non tantum confirmant pios, sed infideles quoque Deo lucrifaciant. Primum autem ut a cupiditatibus carnis eos revocet, hoc argumento utitur, quod advenae sint et peregrini. Sic autem eos appellat, non quia a patria exsulerent, ac dissipati essent in diversis regionibus; sed quia filii Dei, ubicunque terrarum agant, mundi sunt hospites. Priore quidem sensu, initio epistolae eos vocavit inquilinos, quemadmodum ex circumstantia loci apparet; sed quod hic dicit, iis omnibus commune est. Ideo enim nos carnis desideria implicitos tenent, quia mente in mundo residemus, nec cogitamus coelum esse patriam; qui autem tamquam peregrini per hanc vitam transeunt, carni nunquam erant addicti. *Carnis autem desideria* intelligit, non tantum crassos et cum peccudibus communes appetitus, sicuti sophistae exponunt; sed omnes animae nostrae affectus, ad quos natura ferimur ac ducimur. Certum enim est, cogitationem omnem carnis, hoc est, naturae non correctae, inimicitiam esse adversus Deum, Rom. 8, 7. *Quae militant adversus animam.* Aliud argumentum, quod non possint carnis desideriiis morem gerere, nisi in suam perniciem. Neque enim certamen hic notat, quale describitur a Paulo, septimo ad Rom. capite et quinto ad Galatas, ut animam statuat tamquam antagonistam; sed hoc dicit, carnis affectus, utcunque illis anima consentiat, in eius exitum tendere. Socordiam enim nostram in eo arguit, quod, quum anxie intenti simus ad cavendos hostes, a quibus timemus corporis periculum, ita sponte admittimus soticos animae hostes, ut nos interimant, imo quasi iugulum illis porrigimus.

12. *Conversationem vestram.* Alterum exhortationis membrum, ut se honeste gerant apud homines. Hoc quidem ordine praecedit, ut animi coram Dei purgati sint; sed habenda deinde est hominum ratio, ne scandalo illis simus. Nominatim autem dicit: *inter gentes, quae detrahunt.* Erant enim ubique Iudaei non tantum exosi, sed fere detestabiles. Eo itaque magis studendum erat, ut sancta vita et moribus recte compositis odium ac infamiam nominis sui delerent. Tenenda enim est illa Pauli admonitio (II. Cor. 11, 12.), ne detur occasio iis, qui eam captant. Itaque impiorum maledicentiae et sinistra sermones stimuli nobis esse debent ad recte vivendum. Neque enim secure oscitandi tempus est, dum illi ad observandum quicquid delinquimus, acriter vigilant. *Glorificent Deum.* Significat, non esse nostra causa laborandum, ut bene de vobis sentiant homines ac loquantur; sed quaerendam esse Dei gloriam, quemadmodum et Christus docet. Modum autem ostendit Petrus, nempe quod bonis nostris operibus adducti infideles, se quoque Deo subiicient, atque ita in suae conversionis ratione dabunt Deo gloriam. Hoc enim significat *dies visitationis.* Scio, quosdam ad extremum Christi adventum referre; sed ego aliter accipio, quod scilicet Deus sancta et honesta suorum vita tamquam praeparatione utetur, ut in viam errantes reducat. Hoc enim conversionis nostrae initium est, quum Deus paterno oculo respicere nos dignatur; si autem aversa est eius a nobis facies, perimus. Quare dies visitationis merito dicitur, dum nos ad se revocat.

13. Subditi ergo estote omni humanae ordinationi propter Dominum, sive regi, tamquam supereminenti; 14. Sive praesidibus, tamquam iis, qui per ipsum mittuntur, in vindictam quidem maleficorum, laudem vero bene agentium.

15. Sic enim est voluntas Dei, ut benefaciendo obstruat ignorantiam stultorum hominum, 16. Ut liberi, et non quasi praetextum habentes malitiae, libertatem; sed tamquam servi Dei.

18. *Subditi ergo estote etc.* Nuno ad particulares exhortationes descendit. Et quoniam obedientia erga magistratus pars est honestae conversationis, ideo ex hac colligit: Subditi ergo estote. Nam imperii iugum detrectando non parvam obloquendi occasionem gentibus dedissent. Et sane hoc potissimum nomine odiosi et infames erant Iudaei, quod propter suam pervicaciam indomiti habebantur. Et quoniam motus, quos in provinciis excitabant, magnarum calamitatum causae erant: ut quisque quieto ac pacato erat ingenio, ita ab illis tamquam a peste aliqua abhorrebat. Haec etiam causa Petrum impulit, ut de subiectioe tam sedulo praeciperet. Adde, quod evangelium multi putabant tale esse praeconium libertatis, ut se quisque a servitute eximere posset. Indignum esse videbatur, servire Dei filios et mundi haeredes, ne corporis quidem sui liberam habere potestatem. Accedebat tunc alia tentatio, quod magistratus omnes Christi erant adversarii, suoque imperio abutebantur: ita nulla in illis relucebat imago Dei, quae praecipuam reverentiam conciliat. Tenemus nuno Petri consilium, nempe quod necessariis de causis Iudaeos hortatus fuerit ad colendum politicae ordinem. *Omni humanae ordinationi.* Alii verterunt *creaturam*; sed in loquutione nimis obscura et ambigua multum se torquent, ut sensum aliquem eliciant. Ego autem non dubito, quin Petrus distinctam rationem notare voluerit, qua Deus gubernat humanum genus. Graecis enim verbum *κτίσειν* (unde nomen *κτίσεως* deducitur) fabricare ac aedificium struere significat. Convenit ergo nomen *ordinationis*, quo admonet Petrus, Deum mundi opificem non reliquisse humanum genus confusum, ut belluino more vivat; sed velut in aedificio rite disposito singulas partes suo loco esse distributas. Et *humana dicitur ordinatio*, non quod humanitus inventa fuerit; sed quod propria hominum est digesta et ordinata vivendi ratio. *Sive regi.* Caesarem ito appellat, meo iudicio, cuius imperium regiones illas continebat, quarum mentionem fecit initio epistolae. Tametsi enim nomen hoc odiosissimum erat Romanis: apud Graecos tamen in usu erat. Vocabant quidem saepe *αυτοκράτορα*; sed interdum etiam *βασιλεύς* illis dicebatur. Quod autem rationem subiicit, ideo parendum illi esse, quia excellit vel eminent, non est comparatio Caesaris cum aliis magistratibus. Tenebat quidem ille summum imperium; sed ista eminentia, quam Petrus commendat, omnibus communis est, qui publicam potestatem exercent: itaque Paulus (Rom. 13, 1.) ad omnes magistratus extendit. Sensus autem est, deberi omnibus, qui praesunt, obedientiam, quia non fortuito eveci sunt ad honorem, sed Dei providentia. Solent enim plerique nimium scrupulose inquirere, quo quisque iure adeptus sit imperium; atqui hoc solo contentos esse decet, quod videmus eos praesidere. Ideo Paulus ansam supervacuis obiectionibus praecidit, dum pronuntiat, non esse potestatem nisi a Deo. Et hac ratione scriptura toties commemorat, Deum esse, qui reges accingit balteo, qui erigit ipsos in sublime, qui regna transfert, quocumque voluerit. Praesertim quum de imperatore Romano ageret Petrus, hanc adnotationem addi necesse fuit. Certum enim est, Romanos malis artibus potius quam legitima causa penetrasse in Asiam, et sibi regiones illas subegisse. Deinde Caesares, qui tunc rerum potiebantur, monarchiam vi tyrannica ad se rapuerant. Petrus itaque haec omnia in disceputationem vocari prohibet, quoniam subditi abeque contro-

versis obedire praefectis suis debeant, quia non aminent, nisi Dei manu in sublime evecti.

14. *Sive praesidibus.* Quoslibet magistratus designat, acsi diceret, nullam esse speciem praefecturae, cui non subiicere se debeant. Hoc confirmat, quia Dei sint ministri. Nam qui pronomen *eum* ad regem referunt, multum falluntur. Est igitur haec communis ratio ad commendandam omnium magistratum auctoritatem, quod mandato Dei praesunt et ab eo mittuntur; unde sequitur (quemadmodum et Paulus docet), Deo resistere, qui potestati ab eo ordinatae non se obedienter submittunt. *In vindictam.* Secunda ratio est, cur politicum ordinem reverenter amplecti et colere deceat, quia in commune bonum humani generis constitutus est a Domino. Nimirum enim feri et belluini sumus, nisi nobis cordi sit publica utilites. Hoc itaque in summa vult Petrus, quum Deus mundum conservet magistratum ministerio, quicumque eorum imperium detrectant, eos esse humani generis hostes. Sumit autem dno illa membra, quibus republicae statum contineri tradit Plato, bonorum honorem scilicet, et malorum poenam. Nam antiquitus non modo constitutae erant poenae improbis, sed bonis etiam praemia. Ceeterum quamvis saepe contingat, non recte distribui honores, nec rependi bene meritis praemia: hic tamen non poenitendus est honor, quod boni saltem sub fide et tutela magistratum vivunt, quod non expositi sunt improborum violentiae et iniuriis, quod inter leges et iudicia multo quietius vivunt, suamque existimationem retinent melius, quam si singuli nullo freno cohibiti ad suum arbitrium viverent. In summa, haec singularis est Dei benedictio, quod improbis non licet, quicquid libet. Obiici tamen hic posset, reges et alios magistratus saepe sua potentia abuti, et tyrannica saevitia grassari magis quam legitimum imperium exercere. Tales fere erent magistratus, quum scripta fuit haec epistola. Respondeo, tyrannos et similes non facere suo abusu, quin maneat semper firma Dei ordinatio, quemadmodum non evertitur perpetua coniugii institutio, si uxor vel maritus aliter se gerat, quam decet. Ergo nuncunquam aberrant homines, non tamen suo loco movetur fixus a Deo scopus. Si quis iterum excipiat, non obediendum esse principibus, qui secum Dei ordinem, quantum in se est, pervertunt, adeoque immenes sunt belluae, quum magistratus imaginem Dei referre debeant. Respondeo, tantum debere fieri a nobis ordinem a Deo positum, ut tyrannis etiam, qui imperium obtinent, honor hebeatur, quamquam alia est clerici solutio, nullem nunquam fuisse vel posse cogitari edeo saevam et effraenem tyrannidem, in qua non eppereat aliqua aequitatis species. Deus enim nunquam hominum improbitate ordinem istum sic extinguere petitur, quin lineamenta quaedam semper appareant; deinde genus regiminis, quamvis deforme et corruptum, melius tamen sit et utilius quam *avayxla*.

15. *Sic enim est voluntas.* Redit ad superiorem illam doctrinam, ne detur incredulis maledicendi occasio; tametsi minus exprimit, quam prius dixerat. Tantum enim dicit, os obstruendum esse stultis. Summa est, sic vivendum esse, ut increduli, qui obloqui nobis volunt, obmutescere cogentur. Loquutio, quam usurpat, *obstruere ignorantiam*, quamvis propter novitatem dura sit, sensum tamen non obscurat. Praeterquam enim, quod incredulos appellat *stultos*, notare vult, quam habeant causam maledicendi, nempe quia Deum ignorant. Caeterum quod mente et ratione incredulos privat, inde colligimus, rectam intelligentiam non esse nisi in Dei notitia. Ergo quantumvis sibi in suo acumine placeant increduli, et alii etiam prudentes videantur: spiritus tamen Dei stultitiae ipsos damnat, ut discamus; non alibi quam in Deo sapere, sicuti extra ipsum nihil

est solidi. Modum autem praescribit cohibendae infidelium maledicentiae, nempe *benefaciendo*. Quo verbo complectitur omnia humanitatis officia, quibus hic defungi nos oportet erga proximos. In his continetur obedientia erga magistratus, sine qua unitas inter homines coli non potest. Si quis obiciat, nunquam adeo studiosos fore benefaciendi fideles, quin male audiant ab incredulis: prompta est responsio, apostolum hic eos minime eximere a calumniis et probris; sed intelligit, non habituros incredulos obloquendi materiam, ut eunque maxime cupiant. Porro ne quis exciperet, incredulos nequaquam dignos esse, ad quorum nutum vitam componant filii Dei: Petrus nominatim admonet, obstringi nos Dei mandato ad os illis obstruendum.

16. *Uz liberi*. Est proleptis, qua occupat, quae a nonnullis de libertate filiorum Dei obtendi solebant. Nam ut ingeniosi natura sunt homines in suis commodis captandis: multi evangelii initio liberos se putabant, ut sibi tantum viverent. Hoc ergo delirium corrigit Petrus, breviter ostendens, quantum ab effreni licentia differat Christianorum libertas. Ac primo velum aut praetextum malitiae esse negat, quo significat, non ideo esse datam, ut proximos laedamus, aut quicquam illis afferamus incommodi. Haec igitur vera est libertas, quae nemini damnosa est vel noxia. Ut hoc confirmet, eam pronuntiat liberos, qui Deo serviunt. Unde colligere promptum est, hunc esse finem nostrae libertatis, ut promptiores et magis expediti animi ad obsequium Dei. Neque enim aliud est quam manumissio a peccato; atque peccato dominium tollitur, ut se in subiectionem iustitiae homines addicant. In summa, est libera servitus, et serva libertas. Nam sicuti servos Dei esse nos oportet, ut hoc bono fruamur: ita moderatio requiritur in ipsius usu. Hoc modo liberae quidem sunt conscientiae, sed hoc non obstat, quin Deo serviamus, qui etiam hominibus nos subiicit.

17. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorate.

Est brevis conclusio superiorum. Significat enim, nec Deum timeri, nec suum ins reddi hominibus, nisi ordo politicus inter nos vigeat, et ius imperii sui magistratus teneant. Quod honorem omnibus haberi iubet, sic interpretor, nullos esse negligendos. Est enim generale praeceptum, quod ad fovendam hominum societatem spectat. Honoris nomen Hebraeis late patet. Scimus autem apostolos, licet Graece scriberent, eius linguae phrasin sequutos esse. Quare mihi non aliud sonat haec loquutio, quam ut omnium ratio habeatur, quandoquidem pacem cum omnibus et amicitiam, quantum in nobis est, colere debemus; concordiae vero nihil magis adversum quam contemptus. Quod subiicit de fratrum amore, speciale est, priora respectu. Loquitur enim de singulari amore, quo domesticos fidei prosequi iubemur, quia magis arcta necessitudine cum illis sumus coniuncti. Hos itaque gradus Petrus noluit omittere; sed tamen admonet, nuncunque praefereendi sint fratres, hoc tamen non obstat, quin caritas nostra ad totum humanum genus se extendat. Nomen *fraternitatis* collective accipio pro ipsis fratribus. *Deum timete*. Iam dixi, has omnes sententias ad praesentem causam accommodari a Petro. Significat enim, honorem, qui regibus defertur, ex timore Dei et hominum caritate oriri, atque ideo esse cum ipsis coniunctum, ac si dixisset: Quisquis Deum timet, fratres suos amat et totum humanum genus, quo decet, affectu complectitur, is regibus quoque honorem habebit. Atque interim Caesarem nominat, quia haec impe-

rii species prae aliis erat odiosa, et sub ea raliquae continebantur.

18. Famuli subiecti sint cum omni timore dominis suis: non solum bonis et humanis, sed etiam pravis. 19. Haec enim est gratia, si propter conscientiam Dei quispiam molestias ferat, patiens iniuste. 20. Qualis enim gloria, si, quum peccantes alapis caedimini, suffertis? Sed si bene facientes et malis affecti, suffertis, haec gratia apud Deum.

18. *Famuli subiecti.* Tametsi haec est particularis admonitio: cohaeret tamen cum proxima, sicuti aliae, quae sequuntur. Nam quod servi iubentur parere dominis, uxores item maritis, partes sunt subiectionis politicae. Primum servos vult esse cum omni timore; quo nomine significat purum et voluntarium reverentiae affectum, quia id se ex officio debere agnoscant. Ergo timorem tam simulationi quam violentae coactioni opponit. Nam *δεδουλοῦν* (ut Paulus vocat Coloss. 3, 22.) timori contraria est. Deinde si adversus necessitatem fremant servi, parati iugum excutere, si liceret, proprie timere non dicuntur. In summa, hic timor ex officii cognitione nascitur. Tametsi autem nulla exceptio additur hoc loco, tamen ex aliis locis subaudienda est. Neque enim eo usque se extendit, quae hominibus debetur subiectione, ut Dei imperium minuat. Ergo subiecti sint domino famuli, sed in Deo, et usque ad aras, ut loquuntur. Caeterum quoniam non hic habetur *δούλος*, sed *οἰκέτης*, possumus intelligere libertos nna cum servis, quamquam in ea re parum est momenti. *Non solum bonis.* Tametsi eatenus parere debent servi dominis, ne quid praeter conscientiam: si tamen iniuste tractantur, quantum ad ipsos spectat, non debent recusare imperium. Qualescunque itaque sint domini, nulla est servis excusatio, quin fideliter illis obsequia sua praestent. Nam superior, si potestate sua abutitur, rationem quidem olim reddet Deo, non tamen in praesentia ius suum amittit. Haec enim conditio servis imposita est, ut dominis serviant, licet indignis. *Pravos* aequis opponit vel humanis, atque hoc verbo saevos et intractabiles designat, vel qui nihil humanitatis et clementiae habent. Mirum, quid interpretem moverit, ut pro Graeco nomine alterum Graecum redderet; vertit enim *dyscolos*. Tacerem de turpi Sorhenicorum inscitia, qui *dyscolos* vulgo intelligunt dissolutos vel irregulares, nisi ex tam absurda interpretatione fidei articulum struere nobis vellent, quod papae et cornutis eius bestiis obediendum sit, quantumvis gravem et minime ferendam tyrannidem exerceant. Hic ergo locus ostendit, quam secure verbo Dei illuserint.

19. *Haec enim est gratia.* Idem valet nomen gratiae quod laudis. Intelligit enim, nullam gratiam vel laudem conciliari nobis coram Deo, si poenam sustinemus, quam nostris dilectis simus promeriti; sed qui patienter ferunt iniurias, eos laude dignos esse, et opus facere Deo acceptum. Quod gratum hoc fore Deo testatur, si quis propter Dei conscientiam retineatur in officio, etiamsi iniuste et indigne cum eo agant homines: valde necessarium fuit illo tempore. Erat enim perquam dura servorum conditio; contumeliose habebantur non secus ac pecudes; talis indignitas ad desperationem eos adigere poterat: hoc itaque unum reliquum fuit, ut in Deum respicerent. Hoc enim valet *conscientia Dei*, dum quis non hominum, sed

Dei respectu officio suo fungitur. Nam si uxor morigera sit et marito obsequens, ut se illi commendet, habet in mundo mercedem suam: quemadmodum Christus (Matth. 6, 16.) de ambitiosis loquitur, qui hominum favorem spectant. Idem de reliquis sentiendum. Si filius, ut patrem habeat benevolum ac sibi faventem, illi obsequitur, mercedem habebit a patre, non a Deo. Denique haec generalis est sententia, probari Deo nostra officia, si hunc finem habemus propositum, ut illi serviamus; non autem movemur solo hominum respectu. Porro qui sibi negotium esse cum Deo reputat, necesse est, ut studeat malum bono vincere. Neque enim tantum exigit a nobis Deus, ut teles erga unumquemque simus, qualem se ille vicissim erga nos praebuerit; sed etiam benefaciamus indignis, et qui nos persequuntur. Hoc tamen difficultate non caret, quod negat, ullam patientiae laudem fore, si quis iuste plectitur. Nam certe quamvis Dominus peccata nostra puniet: patientia tamen nostra sacrificium illi est boni odoris, si poenas aequo animo ferimus. Respondeo, Petrum hic non simpliciter, sed comparative loqui, quoniam haec tenuis et obscura laus sit, iustam poenam aequo animo ferre, praestet est hominis innoxii, qui non recusat ferre hominum iniurias, tantum quia Deum timet, quamquam videtur finem quoque tacite notare, quod hominum metu cogantur, qui delictorum suorum poenas luunt. Sed illa, quam adduxi, solutio sufficit.

21. In hoc enim vocati estis, quoniam Christus quoque passus est pro vobis, relinquens vobis exemplum, ut sequeremini vestigia eius. 22. Qui quum peccatum non fecisset, nec inventus esset dolus in ore eius, 23. Quum probro afficeretur, non regerebat probra; quum pateretur, non comminabatur; causam vero commendabat ei, qui iuste iudicat.

21. *In hoc vocati.* Tametsi de servis erat sermo, non tamen adeo restringi debet haec sententia. Nam communiter pios omnes admonet apostolus, qualis sit Christianismi conditio, acsi diceret, nos ea lege a Domino vocatos, ut patienter feramus iniurias, quemadmodum alibi dicit, nos ad hoc ordinatos esse. Porro ne id nobis sit molestum, exemplo Christi nos consolatur. Nihil magis indignum videtur atque ideo minus tolerabile, quem peti praeter meritum. Sed quum in filium Dei convertimus oculos, mitigetur illa acerbitas. Quis enim ipsam praecedentem sequi renuat? Notanda autem est particula *relinquens vobis exemplum*. Nam quum de imitatione agitur, discernere opus est, quid nobis in exemplum Christus proposuerit. Ambulavit siccis pedibus super mare, mundavit leprosos, mortuos suscitavit, caecis restituit visum; si eadem nos tentemus, praepostera erit aemulatio. Neque enim, quum signa potentiae suae edidit, nobis proponere voluit, quod imitaremur. Hinc factum est, ut ieiunium quadraginta dierum temere in exemplum traherent; atqui longe alius erat finis. Quare iudicium adhibendum est, sicuti etiam alicubi monet Augustinus, dum locum illum (Matth. 11, 29.) exponit: Discite a me, quod mitis sum et humilis corde. Atque id ex Petri verbis colligi potest; discretionem enim opus esse notat, quum nominatim dicit, Christi patientiam nobis in exemplum statui, quod sequamur. Hoc argumentum fusius tractat Paulus ad Romanos cap. 8, 29., quum omnes Dei filios praedeterminatos esse docet, ut conformes fiant Christi imagini, quo sit ipse primogenitus inter multos fratres. Ergo ut cum eo vivamus, prius nos commori oportet.

22. *Qui quum peccatum non fecisset.* Hoc ad praesentem causam pertinet. Nam si quis innocentiam suam iactet, Christus certe malefactorum poenam non sustinuit, quamquam simul ostendit, quantum a Christo distemus, quum dicit, *ne dolum quidem inuentum in ore eius.* Nam qui lingua non delinquit, hic perfectus est, ut inquit Iacobus (3, 2.). Summam ergo innocentiae perfectionem in Christo fuisse notat, quam nemo nostrum arrogare sibi ausit. Hinc melius apparet, quam iniuste passus sit prae aliis omnibus. Proinde uou est, cur recuset quisquam nostrum exemplo eius pati, quandoquidem nemo adeo sibi bene conscius est, quin vitio aliquo laboret.

23. *Quum probro afficeretur.* Hic designat Petrus, quid nos in Christo leceat imitari, nempe ut placide feramus iniurias, nec de illis vindicandis cogitamus. Ita enim fert ingenium nostrum, ut accepta iniuria protinus animi ebulliant ad cupiditatem vindictae; at Christus ab omni talione abstinuit. Frenandi igitur sunt animi, ne malum pro malo rependera appetant. *Causam vero commendabat.* Nomen causae non exponitur, sed facile subintelligi potest. Addit autem hoc Petrus ad piorum consolationem, quod, si patienter ferant impiorum probra et violentiam, Deum habituri sint vindicem. Esset enim istud valde durum, subiici nos improborum libidini, et Deo curae non esse nostras miseras. Ideo insigui hoc epitheto Daum ornat Petrus, quod iuste iudicet, acsi diceret: Nostrum est aequo animo mala tolerare; Deus interea partes suas non negliget, quin se iustum iudicem ostendat. Ergo utcunque ad tempus lasciviant improbi: non tamen impune illis cedet, quod nunc Dei filiis molesti sint. Nec est, quod sibi pii metuant, quasi destituti essent omni praesidio. Nam quum Dei officium sit tueri eos, et ipsorum causam suscipere, in patientia sua possidebunt animas suas. Porro sicuti non parum consolationis affert haec doctrina: ita ad placandos et domandos carnis impetus plurimum valet. Nemo enim in fidem ac patrocinium Dei recumbere potest, uisi qui mansueto animo exspectat eius iudicium. Nam qui ad vindictam prosilit, occupat ipse Dei vices, nec patitur Deum, quod sui officii est, agere. Quo respicit etiam illud Pauli (Rom. 12, 19.): Date locum irae. Significat enim quasi visum praecludi Deo, ne ipse iudicet, quum ipsi auertimus. Itaque dictum illud confirmat Moysis testimonio (Deut. 32, 35.): Mihi vindictam. Deuique hoc vult Petrus, nos Christi exemplo moderatos fore ad tolerandas iniurias, si tribuamus Deo suum honorem, nempe si, illum statuentes esse iustum iudicem, ius nostrum ac causam illi permittamus. Quaeritur tamen, quomodo causam suam patri Christus commendauerit. Nam si vindictam ab eo postulabat, hoc ipse nobis licere negat. Inbet enim (Matth. 5, 44.) benefacere iis, qui nos laedunt, precari pro iis, qui maledicunt. Respondeo, satis ex evangelica historia constare, Christum ita se retulisse ad iudicium Dei, ut tamen de hostibus suis vindictam non posceret, quin potius deprecatores se pro illis constituit: Pater, inquit, ignosce (Luc. 23, 34.). Et carta multum abest, qui carnis nostrae affectus cum iudicio Dei consentiant. Ergo ut causam quis suam iuste iudicanti permittat, necesse est, ut prius frenum sibi imposuerit, ne quid alienum a iusto Dei iudicio exposcat. Nam qui sibi ad expetendam vindictam indulgent, non iudicis officium Deo concedunt, sed quodammodo facere volunt suum carnificem. Qui ergo sic animo compositus est, ut cupiat amicos sibi fieri, qui nuno adversarii sunt, reducere eos in viam conetur, is causam suam rite Deo tradet, sic precando: Tu, Domine, animum meum nosti, ut salvos optem, qui me perditum volunt. Si conversi fuerint, illis gratulabor; quod si obstinati in malitia perstiterint, quia scio, te excubare pro salute mea, causam tibi mea relin-

quo. Hanc modestiam tenuit Christus: ergo haec nobis quoque regula servanda est.

24. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiae vivamus, cuius livore sanati estis. 25. Eratis enim tamquam oves errantes; sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.

Si in morte Christi nihil commendasset praeter exemplum, hoc nimis frigidum fuisset: ideo fructum eius longe excellentiorem praedicat. Tria igitur consideranda sunt in hoc contextu. Primum est, quod nobis patientiae exemplum Christus morte sua prodidit. Alterum, quod a morte redemptos restituit in vitam: unde sequitur, nos ita illi obstrictos esse, ut eius exemplum libenter sequi debeamus. Tertio finem mortis magis generelem commemorat, ut peccatis mortui iustitiae vivamus. Haec eadem omnia proximam exhortationem confirmant.

24. *Peccata nostra pertulit.* Haec loquutio ad vim mortis Christi exprimendam apta est. Sicuti enim sub lege peccator, ut reatu solveretur, victimam substituebat suo loco: ite Christus maledictionem peccatis nostris debitam in se suscepit, ut ea coram Deo expiaret. Et diserte addit: *super lignum*, quia non potuit tale piaculum impleri nisi in cruce. Ergo optime expressit Petrus, mortem Christi fuisse sacrificium expiandis peccatis nostris, quoniam cruci effixus, et se hostiam pro nobis offerens, reatum nostrum et poenam in se suscepit. Iesaias (53, 5.), ex quo summam eius doctrinam sumpsit Petrus, pluribus utitur loquendi formis: quod percussus fuerit manu Dei propter scelera nostra, vulneratus fuerit propter iniquitates nostras; quod effliotus et contritus nostra causa fuerit; quod castigatio pecis nostrae illi fuerit imposita. Sed Petrus idem exprimere voluit hoc verbo, nempe hac lege nos fuisse reconciliatos Deo, quia apud eius tribunal Christus se vadem et reum pro nobis constituit, ut poenam solveret, cui obstricti eramus. Hoc beneficium sophistae in suis scholis, quantum possunt, obscurant; nam mortis Christi sacrificio nos tantum a culpe post baptismum liberari gerunt, poenam vero satisfactionibus redimi. Sed Petrus, quum dicit, ipsum tulisse peccata nostra, non modo culpam illi imputatam fuisse intelligit, sed poena quoque defunctum, ut vere hoc modo esset expiatrix victima, secundum illud prophetae: *Castigatio pacis nostrae super eum.* Si excipiant, hoc duntaxat ante baptismum valere: circumstantia loci eos refellit, quia sermo ad fideles dirigitur. Caeterum hoc membrum, et quod proxime sequitur, *livore eius sanati estis*, praesenti quoque instituto accommodari potest, quod scilicet humeros nostros ferendis aliorum peccatis supponere nos deceat, non ad peragendam eorum expiationem, sed tantum ut onus nobis impositum feramus. *Peccatis mortui.* Alterum finem prius notaveret, nempe tolerantiae exemplum; sed hic (ut dictum est) letius patet, ut sancte et iuste vivamus. Utriusque mentionem aliquoties facit scriptura, nempe quod eorum et rebus adversis nos Dominus exerceat, ut configuremur morti Christi (Philipp. 3, 10.); deinde quod in morte Christi crucifixus sit vetus homo noster, ut in novitate vitae embulemus (Rom. 6, 4.), quemquam hic finis, de quo loquitur, non tantum a priore differt, ut genus a specie. Nam in patientia simplex eret exemplum; quum autem passum esse Christum dicit, ut peccatis mortui iustitiae vivamus: haec vim subesse morti Christi significat, ut carnem nostram mortificet, quemadmodum fusius tractet Paulus in epist. ad Romanos capite 6. Neque



enim hoc tantum boni nobis contulit, quod Deus gratis nos iustificat, non imputando peccata; sed quod mundo et carni morimur, ut resurgamus in novam vitam; non quod mortem istam dies unus perficiat; sed quia, ubicunque viget mors Christi ad expianda peccata, simul in carnis mortificatione est efficax.

25. *Eratis enim tamquam oves.* Hoc etiam mutuatus est Petrus ex Iesaja (53, 6.), nisi quod propheta universalem sententiam ponit: Omnes quasi oves erravimus. Caeterum in ovium nomine nulla est propria notatio; nam peoudibus nos comparat; sed tota vis est in epitheto, quod propheta exponit, addens, unumquemque declinasse in suam viam. Sensus est igitur, nos omnes alienos esse a via salutis, et tendere in exitium, donec Christus nos ex dissipatione colligat; idque melius patet ex membro opposito, quum dicit *conversos esse ad pastorem.* Quicumque enim a Christo non reguntur, eos tamquam devias pecudes in errore vagari pronuntiat. Ita erroria damnatur tota mundi sapientia, quae se Christo regendam non submittit. Insignes autem sunt isti duo tituli, quod Christus animarum sit *episcopus et pastor.* Neque enim timendum est, quin fideliter vigilet pro eorum salute, qui in eius ovili et custodia se continent. Etsi autem eius officium est, nos integros corpore et anima praestare: Petrus tamen *animas* exprimit, quia spirituali suo praesidio nos custodit hic coelestis pastor in vitam aeternam.

### CAP. III.

1. Similiter mulieres subiectae sint propriis maritis, ut etiam, si qui sunt increduli sermoni, per uxorum conversationem absque sermone lucrifiant, 2. Considerantes puram (vel *castam*) vestram in timore conversationem, 3. Quorum ornatus sit non externus, in plicatura capillorum et circumpositione auri, aut palliorum amictu; 4. Sed interior cordis homo, qui in incorruptione situs est placidi et quieti spiritus, qui spiritus coram Deo pretiosus est (vel *quod est coram Deo pretiosum*).

Alterum subiectionis ordinem nunc parsequitur, quum iubet uxores viris suis subesse. Et quoniam plus coloris ad exeutiendum iugum habere videntur, quae viris infidelibus coniunctae sunt, nominatim eas admonet officii, ac peculiarem esse causam ostendit, cur magis sedulo parere debeant, nempe ut probitate sua viros alluciant ad fidem. Quod si maritis impiis mulieres obedientiam debent, multo promptiores ad obsequium esse convenit, si maritos habeant fideles. Sed absurdum videri possit, quod tradit Petrus, *lucrifieri posse virum Domino absque sermone.* Ubi enim erit illud: Fides ex auditu (Rom. 10, 17.)? Respondeo, non sic intelligenda esse Petri verba, quasi sola vitae sanctitatis incredulos adducat ad Christum; sed quia mollit ac temperat eorum animos, ut a pietate minus abhorreant. Nam sicuti mala exempla offuscant: sic bona non parum adiuvant. Significat ergo Petrus, mulieres sancte et honeste vivendo hoc posse consequi, ut, etiam tacentes, maritos praeparant ad amplectendam Christi fidem.

2. *Considerantes puram.* Franguatur enim animi quantumvis a recta fide alieni, dum vident ita compositos fidelium mores. Nam quia Christi doctrinam non tenent, eam aestimant ex vita nostra: fieri ergo non potest, quin Christianismum laudent, qui ad puritatem et timorem instituit.

3. *Quarum ornatus.* Alterum exhortationis membrum, ut mulieres parca et modeste se ornent. Scimus enim, in hac parte plus iusto onerosas esse ac cupidas: quare non abs re Petrus hanc in ipsis vanitatem corrigere studet. Tametsi autem sumptuosum ornatum in genere reprehendit: species tamen quasdam designat: na capillos arte crispent vel torqueant, ut solebant ad eam rem calamistro uti, aut alias componant in cincinnos; deinde ne aurum circumponant capiti; in his enim praecipue luxuriam eminet. Nunc quaeritur, an simpliciter usum auri damnet apostolus in ornatu corporis. Si quis verba urgeat, non minus pretiosas vestes quam aurum prohibet; sufficit enim continuo post *amicum palliorum*. Atqui immedii rigoris esset, omnem in vestibus nitorem et elegantiam simpliciter vetare. Si materia nimis sumptuosa dicitur, eam Dominus creavit. Artificia atiam scimus ab ipso prodiisse. Non igitur quemvis cultum reprehendere voluit Petrus; sed morbum vanitatis, quo mulieres laborant. Dno in vestitu spectanda sunt, comeditas et decorum; partas autem decori sunt, mediocritas et modestia. Proinde si lascive pexa et compta incedit mulier, si luxum et pompam ostentat, excusari non potest eius vanitas. Qui obiciunt, rem esse indifferentem ac liberam hoc vel illo modo se vestire, nullo negotio refelli possunt. Nimia enim elegantia et superflus splendor, omnis denique excessus, ex animi vitio oritur. Porro ambitio, superbia, luxus, affectatio, et alia huiusmodi, non sunt res mediae. Quorum igitur animi ab omni vanitate purgati erunt, rite temperabunt omnia, ut modum non excedant.

4. *Sed interior cordis homo.* Haec antithesis diligenter notanda est. Dicebat Cato, qui anxie occupantur in corporis cultu, animi cultum negligere. Ita Petrus cohibendae mulierum cupiditati hoc remedium affert, ut excolendis animis studium potius suum addant. Cordis nomine non dubium, quia totam animam significet. Simul ostendit, in quo spiritualis mulierum ornatus consistat, nempe in spiritus mansueti et quieti incorruptione. *Incorruptio* (meo iudicio) rebus fluxis et caducis, quae ad corporis ornatum serviunt, opponitur. Itaque Eresmi versio e genuino sensu dissidet. In summa, intelligit Petrus animae ornatum non similem esse flori emarcido, nec in evanido splendore positum, sed esse incorruptibilem. Quam dicit *spiritum* tranquillum et *quietum*, proprias mulierum virtutes notat; nihil enim est, quod hunc sexum magis deceat, quam placidum et sedatum ingenium. Scimus enim, quam importunum sit animal, imperiosa et refractaria mulier. Deinde nihil ad corrigendam vanitatem, de qua Petrus loquitur, aptius est quam placida quies spiritus. Quod postea sequitur, *pretiosum id esse quodam Deo*, tam ad totum complexum, quam ad nomen spiritus referri potest; idem tamen manebit sensus. Unde enim mulieribus tanta se ornandi cura, nisi ut in se hominum oculos convertant? Petrus autem contra magis sollicitas esse iubet, ut in pretio sint apud Deum.

5. Sic enim aliquando et sanctae mulieres, quae sperabant in Deum, ornabant se ipsas, subiectae propriis maritis, 6. Quemadmodum et Sara obediebat Abrahae, dominum ipsum appellans, cuius filiae estis factae, si benefeceritis, et non terreamini ullo pavore.

Piarum mulierum exemplum illis proponit, quae spirituales potius ornatum sectatae sint, quam externi cultus lenociniis deditae fuerint. Sarem vero prae illis nominat, quae, quum fidelium omnium sit mater, praesertim apud suum sexum honore et imitatione digna est. Porro iterum ad subiectionem redit, eamque con-

firmat Sarae exemplo, quae (ut habetur apud Mosem, Gen. 18, 12.) maritum vocabat dominum. Non moratur quidem Deus istos titulos, et fieri interdum potest, ut, quae maxime petulans fuerit et immorigera, hanc appellationem lingua usurpat; sed intelligit Petrus, Sarae ita loqui solitam esse, quia hanc sibi legem a Domino impositam esse novarat, ut viro subesset. Subiicit Petrus, filius eius fore, hoc est, locum inter fideles habituras, quae eius prohibitatem imitatae fuerint.

6. *Et non terreamini.* Sexus imbecillitas facit, ut magis suspiciosae ac timidae sint mulieres, ideoque magis morosae, quia verentur, ne, si viris se subiiciant, magis contumeliose ab illis tractentur. Huo respicere videtur Petrus, quum vatat, ne turbentur ullo pavore, ac si diceret: Libenter subiicite vos virorum imperio, nec vos timor ab obsequio impediatur, quasi deterior futura sit vestra conditio, si patientes sitis. Posset magis generalis esse sententia: Ne turbes domi concitent. Nam ut sunt ad consternationem proclives, saepe ob rem frivolum tumultuantur, seque et familiam frustra turbant. Alii putant, in genere corrigi mulierum timiditatem, quae fidei contraria est, quasi Petrus eas hortetur ad obeundam forti et intrepido animo summam vocationem. Mihi tamen prima expositio magis placet, quumquum ab hac postrema non multum differt.

7. Viri similiter cohabitent secundum scientiam, tamquam infirmiori vasi muliebri impertientes honorem, tamquam etiam cohaereditas gratiae vitae (vel *multiplicis gratiae et vitae*), ne preces vestrae interrumpantur.

7. *Viri cohabitent.* A viris exigit prudentiam. Neque enim illis dominium in uxores permissum est, nisi haec lege, ut eas prudenter gubernent. Meminerint ergo mariti, sibi ad officium praestandum opus esse prudentia. Et sane multae ineptiae illis ferendae sunt, devorsanda multa sedis, et simul cavendum, ne sua indulgentia stultitiam foveant. Quae non supervacua est Petri admonitio, ut scienter cohabitent viri. *Tamquam infirmiori.* Partem eius prudentiae, de qua meminit, hic designat, ut viri in honore habeant suas uxores. Nihil enim est, quod magis dirimat vitae societatem, quam contemptus, nec possumus vere amare, nisi quos habemus in pretio, ut sit amor cum reverentis coniunctus. Porro duplici argumento utitur, ut viris persuadest, honeste at comiter tractandas esse uxores. Prius est ab infirmitate sexus; alterum ab honore, quo dignatur illas Deus. Videntur quidem haec quodammodo contraria: impendi honorem debere mulieribus, quod infirmas sint, et quod excellent; sed optime inter se consentiunt, ubi viget caritas. Hoc in confesso est, Deum contemni in suis donis, nisi honore afficimus, quibus aliquid praesentiae contulit; verum dum reputamus, nos eiusdem esse corporis membra, discimus, nos sufferre et obtegere mutuo nostras infirmitates venia. Hoc est, quod sibi vult Paulus, quum dicit (I. Cor. 12, 23.), membris infirmioribus maiorem honorem circumdari, quod scilicet magis solliciti sumus de protagendo ipsorum pudore. Non ergo absurde Petrus, dum mulierum curam ideo haberi, at esse liberali tractatione coonestari iubet, quia infirmas sunt. Deinde ut facilius pueris ignoscimus, si quid per aetatis imperitiam delinquant: ita sexus infirmitas facere debet, ut tam rigidi et austeri sumus erga uxores. *Vasis nomine quodvis organum in scriptura designari, satis notum est.* *Cohaereditas gratiae vitae.* Alii codices habent: Multiplicis gratiae; alii loco vitae habent epithetum vivae. Quidam in dativo legunt: cohaeredibus;

quae varietas de sensu nihil mutat. In aliis interponitur copula inter gratiam multiplicem et vitam; quae lectio optime congruit. Nam quum Dominus viros communiter et mulieres iisdem gratis dignetur, illos ad colendam cum his aequalitatem invitat. Scimus autem, multiplices esse gratias, in quibus mulieres virorum sunt sociae. Nam aliae ad communis vitae usum, aliae ad coeleste Dei regnum pertinent. Postea subiicit, esse etiam vitae cohaerentes; quod est praecipuum. Tametsi autem aliquae a spe salutis alienae sunt: quia tamen ipsis non minus ac viris a Domino offertur, hoc ad sexus honorem sufficit. *Ne preces vestrae.* Nam rite invocari Deus nequit, nisi tranquillis ac sedatis animis. Inter iurgia et lites precibus non est locus. Alloquitur quidem Petrus maritum et uxorem, dum iubet concordem esse, ut simul Deum uno animo precentur. Sed hinc colligi potest generalis doctrina, neminem ad Deum posse accedere, nisi qui fratribus suis coniunctus est. Ergo sicuti haec ratio domesticas omnes turbas et iurgia debet componere, ut in singulis familiis invocetur Deus: ita in communi omnium vita ad rixas omnes cohibendas quasi frenum esse debet. Sumus enim plus quam insani, si viam nobis ad invocandum Deum scientes ac volentes praeccludimus, quum sit hoc unicum salutis nostrae asylum. Nonnulli exponunt, parce et temperanter uxore utendum esse, ne frequens coitus precandi studium impediatur, iuxta illud Pauli (I. Cor. 7, 5.): *Ne vos fraudetis mutuo, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis ieiunio et precationi.* Sed latius patet haec Petri doctrina; deinde Paulus non intelligit, preces abrupti mutua cohabitatione. Ergo retineatur expositio, quam attuli.

8. Denique sitis omnes idem sentientes, compatientes, fraterne vos diligentes, misericordes, humiles (vel amantes consensus), 9. Non reddentes malum pro malo, vel convitium pro convitio; imo potius benedicientes, scientes, quod in hoc vocati sitis, ut benedictionem haereditate consequamini.

Sequuntur nunc generales praeceptiones, quae promiscue ad omnes pertinent. Porro summatim quaedam recenset, quae maxime ad fovendam amicitiam et caritatem necessaria sunt. Primum est, ut idem omnes sentiamus. Tametsi enim amicis liberum est diversa sentire: est tamen haec velut nubecula, quae amorem obscurat; imo ex hoc semine facile odium nascitur. *Συμπάθεια* ad omnes sensus extenditur, quum ea inter nos viget concordia, ut quisque proximorum malis non secus ac suis condoleat, prosperis rebus laetetur, non se ipsum modo curet, sed alios etiam complectatur. Quo proxime sequitur, *fraterne vos diligentes*, peculiariter inter fideles valet. Nam ubi Deus agnoscitur pater, illic demum vere regnat fraternitas. *Misericordia*, quam subiicit, non modo ad iuvandos fratres, levandasque eorum miseras nos sollicitat; sed etiam ad tolerandas eorum infirmitates nos instituit. In eo, quod sequitur, duplex est lectio apud Graecos; mihi tamen probabilior videtur illa, quam posui in contextu, quandoquidem scimus hoc praecipuum conservandae vinculum, quum de se quisque modeste et submisse sentit, sicut rursus nihil est, quod plures pariat discordias, quam dum nimium placeamus nobis. Prudenter ergo Petrus, qui nos *κατηγόρους* esse iubet, ne superbia et animorum altitudo ad proximorum contemptum nos stimulet.

9. *Non reddentes malum pro malo.* His verbis prohibetur omnis vindicta. Nam ut salva manserit caritas, necesse est multa ferre, quamquam hic non de mutua benevolentia concionatur; sed nos iu-

inriarum vult esse patientes, ubi impii homines nos lacessunt. Tametsi autem vulgo existiment pusilli hoc et abiecti esse animi, non ulcisci iniurias: summa tamen magnanimitas coram Deo cenatur, quemodum superius dictum est. Neo vero sufficit abstinere e vindicta; sed hoc quoque Petrus postulat, ut iis bene precemur, qui nos probris afficiunt. *Benedicere* hic pro bene precari accipitur, quia opponitur secundo membro. Sed in genere hoc docet Petrus, mala beneficiis vincenda esse. Hoc quidam valde arduum; sed patrem nostrum coelestem in eo nos imitari ducat, qui solem auum oriri facit super indignos. Quod autem sophistae consilium esse fingunt, futile est cavillum. Simul enim atque hoc dixit Christus: Diligite inimicos (Matth. 5, 44.), doctrinam suam confirmat: Ut sitis filii Dei (Matth. 5, 45.). *Scienter, quod in hoc vocati estis.* Significat, hanc legem impositam assa fidelibus, quum a Deo vocati sunt, ut ea non aatenus tantum mansuetos praebant, ne retaliant illatas sibi iniurias; sed etiam ut maladicentibus benedicant. Quia autem dura at propemodum iniqua vidari posset haec conditio, ad praemium eos revocat, acsi dicerat, non esse, our fideles querentur, quia in suum bonum remittent iniurias. In summa, ostendit, quantum sit patientiae laorum, quia, si aequo animo sustinemus iniurias, Dominus nos sua benedictione prosequitur. Verbum *ἀγαποῦμεν* positum videtur ad exprimendam perpetuitatem, acsi dixisset Petrus, nobis non ad breve tempus modo bene fore, sed semper, si in ferendis iniuriis moderati simus. Porro alio modo benedicit Deus quam homines. Nostrum enim est vota ad eum concipere; ipse effectum in manu habet. Ex adverso autem significat Petrus, qui ulcisci iniurias volent, illis infeliciter cessurum, quicquid tentabunt, quia hoc modo se Dei benedictione abdicant.

10. Qui enim vult vitam diligere, et videre dies bonos, contineat linguam suam a malo, et labia sua ne loquantur dolum, 11. Declinet a malo, et faciat bonum, quaerat pacem, et persequatur eam, 12. Quoniam oculi Domini super iustos, et aures eius in preces eorum; vultus autem Domini super facientes mala. 13. Et quis est, qui vobis male faciat, si boni aemuli sitis? 14. Verum etiam si patiamini propter iustitiam, beati; timorem vero eorum ne timueritis, neque turbemini; 15. Sed Dominum exercituum sanctificate in cordibus vestris.

10. *Qui enim* etc. Confirmat proximam sententiam Davidis testimonio. Locus ex Psal. 34, 13. sumptus est, ubi spiritus testatur, bene omnibus fore, qui sibi temperabunt ab omni maleficio et noxa. Communis quidem sensus longe aliud dicit; nam homines se inimicorum proterviae expositos fore putant, nisi strenue se vindicent. At spiritus Dei non aliis felicem vitam promittit, nisi mansuetis et malorum patientibus. Neque enim aliter bene habere possumus, nisi Dominus vias nostras prosperet. Atqui bonis et beneficiis, non truculentis et ferocibus, vult adesse. Sequutus est autem Petrus Graecam versionem, quamquam in sensu parum est discriminis. Ad verbum sic habet David (Psal. 34, 13.): Qui diligit vitam, et cupit dies videre bonos. Est autem hoc optabile, quum Deus in hoc mundo nos collocaverit, eorum nostrum in pece transigere. Modum ergo huius boni obtinendi indicat, si iuste et innoxie cum omnibus nos geremus. Ac primum notat, quae linguae vitia cavenda sint, nempe ne contumeliosi ac petulantes simus; deinde ne freudenti ac duplices. Hinc ad facta descendit, ne quem laedamus, vel necui infe-

ramus damnum; sed studeamus erga omnes esse beneficii, ac humanitatis officia exerceamus.

11. *Quaerat pacem.* Neque enim satis est oblatam amplecti, sed, dum fugere a nobis videtur, sectanda est. Saepe etiam accidit, ut, dum eam quaerimus, quantum in nobis est, alii non dent. Propter has difficultates et obstacula iubet eam quaerere et persequi.

12. *Quoniam oculi Domini super iustos.* Hoc ad mitiganda quaevis mala satis efficax solatium esse debet, nos a Domino respici, ut in tempore opem ferat. Summa ergo est, quod prosperitas illa, cuius meminit, ex Dei pendeat tutela. Nisi enim suis prospiceret Dominus, essent veluti oves lupis in praedam expositae. Et sane quod tam leviter tumultuamur, quod subito accendimur ad iracundiam, quod ardemus vindictae libidine, hinc fit, quia non reputamus nos orae esse Deo, neo in eius auxilio acquiescimus. Itaque frustra docebitur tolerantia, nisi prius imbuti hac doctrina animi fuerint, Deum nostri curam gerere, ut in tempore succurrat. Contra nbi hoc nobis persuasum est, iustorum causam Deum patrocinio suo tueri velle, primam innocentiae simpliciter studamus; deinde quum molesti et infesti sunt improbi, ad Dei praesidium confugimus. Nam quum dicit *aures Domini precibus apertas*, ad precandi studium nos incitat. *Vultus autem Domini super etc.* Hoc membro Dominum significat, nostrum fore vindicem, quia non semper passurus sit impiorum proterviam grassari. Et simul denuntiat, quid futurum sit, si vitam nostram maleficiis velimus tueri, nempe quod Deum habituri simus nobis adversum. Atqui obici contra posset, non longe aliud quotidie experiri. Nam quo quisque iustior est, pacisque amantior, eo magis vexatur a sceleratis. Respondeo, neminam adeo esse aequitatis et pacis studiosum, quin peccet interdum aliqua in parte. Sed hoc praecipue observandum est, promissiones huius vitae non longius extendi, quam quoad nobis expedit praestari, quod continent. Saepe ergo turbatur pax nostra cum mundo, ut caro nostra in Dei obsequium dometur, at alias ob causas, ut nihil nobis deperat.

13. *Et quis est, qui vobis etc.* Rursus confirmat superiorem sententiam argumento a communi experientia sumpto. Hoc enim ut plurimum usu venit, ut nobis improbi negotium facessant, vel lacessiti a nobis, vel quia illis demerendis operam non impendimus, ut decebat. Nam qui beneficentiae student, etiam ferreos alicui animos emolliunt. Eandem rationem adducit Plato libro 1. de republ.: *Σίασις γάρ που ἢ γε ἀδικία καὶ μιση καὶ μάχας ἐν ἀλλήλοις παύξει· ἢ δὲ δικαιοσύνη ὁμόνοια καὶ φιλίαν*, hoc est, seditiones et odia et pugnas iniustitia excitat; concordiam vero et amicitiam iustitia. Hoc tamen etsi communiter accidit, non est tamen perpetuum. Nam filii Dei quantumvis improbos placare beneficiis studeant, adeoque erga omnes beneficos se praestent: saepe tamen immerito a multis impetuntur. Ideo addit Petrus: *Si propter iustitiam patiamini etc.* Summa est, fideles ad tranquillum vitae statum obtinendum plus beneficiis profecturos, quam violentia et ulciscendi promptitudinae. Caeterum ubi nihil ad pacem comparandam omiserint, si contingat ipsos pati, hoc ipso beatos asse, quia patiuntur propter iustitiam. Hoc quidem posterius membrum longe a carnis nostrae sensu dissidet; sed non temere ita Christus pronuntiavit, neo temere Petrus ex ore magistri recitat. Aderit enim tandem Dens liberator, ac tum palam constabit, quod nunc incredibilia videtur, felices fuisse piorum miseras, qui patienter sustinuerunt. Pati propter iustitiam, non modo significat damni aliquid vel incommodi propter bonae causae patrocinium subire; sed iniuste pati, ubi quis innocenter sub timore Dei versatus sit inter homines.

14. *Timorem vera eorum.* Iterum fontem ac causam impatiantiae designat, nampe quod ultra modum turbamur, dum in nos insurgunt impii. Talis animi consternatio vel nos exanimat, vel de gradu deroit, vel in nobis accendit vindictae libidinem. Interea non acquiescimus in Dei praesidio: hoc igitur ad turbulentos animorum motus cohibendos optimum erit remedium, si immodica terrores divini auxilii fiducia vicerimus. Porro non dubium est, quin alludera Petrus ad locum Iesaeae voluerit, qui habatur cap. 8, 12. Nam quum Iudaei adversus Dei prohibitionem profanis mundis opibus munera se appetent, prophetam suum admonet Deus, ne illorum exemplo trepidet, quamquam Petrus timoris nomen videtur in divinum sensum trahere. Passive enim accipitur a propheta, qui populum incredulitatis ideo accusat, quod, quum auxilio Dei fretus fortiter deberet pericula contemnere, metu sic prostratus et fractus erat, ut undique illicita subsidia accerserat. Atqui Petrus aliter timorem accipit, nempe pro formidine, quam sua violentia et traouentis minis impii nobis innotare solent. Ergo a prophetae sensu recedit; sed in eo nihil est absurdi. Neque enim eius consilium fuit, exponere prophetae locum; tantum indicare voluit, nihil ad patientiam esse aptius, quam quod Iesaias praescribit, nempe ut Deo tribuamus suum honorem, tota animi fiducia in eius potentiam recumbentes. Si quis tamen interpretari malit Petri verba: *Ne simueritis eorum timorem*, acsi dixisset: Nolite, quemadmodum infideles, vel filii huius mundi solent, expavescere, quia de providentia Dei nihil tenent: non valde repugno, nisi quod (mao iudicio) coacta apositio foret. Neo vero de ea re laborandum est, quando hic Petrus singula prophetae verba interpretari noluit; sed tantum in ea parte insistere, quod intrepide stabunt fideles, nec ulla perturbatione ullove metu a recta officii sui linea dimoveri unquam poterunt, si Dominum exercituum sanctificent. Porro haec sanctificatio ad circumstantiam praesentis causae restringi debet. Unde enim fit, ut metu obruamur, et putemus nos esse perditos, dum aliquid periculi impendit, nisi quia plus potentiae ad nocendum homini mortali deferimus, quam Deo ad servandum? Salutis nostrae custodem se fore promittit Deus; iam contra evertera impii conantur. Nisi nos sustentet Dei promissio, annon eum afficimus iniuria et quodammodo profanamus? Docet igitur propheta, honorifice sentiendum esse de Domino exercituum, quod, utcumque omnia machinentur impii ad nos perdendos, et magnis etiam viribus instructi sint, ipse unus ad salutem nostram satis superque sit potens. Ideo addit Petrus, *in cordibus vestris*. Nam si penitus animis nostris insident haec persuasio, opem a Domino promissam nobis sufficere, optima ad repellendos omnes infidelitatis metus animi maniti.

Parati autem sitis semper ad responsionem cuiusvis possentis a vobis rationem eius, qui in vobis est, spei, 16. Cum mansuetudine et timore, conscientiam habentes bonam, ut, in quo vobis obtrectant, tamquam maleficis, pudeant, dum infamant bonam vestram in Christo conversationem.

Tametsi haec nova praeceptio est: pendet tamen ex superioribus. Nam exigit a fidelibus eam constantiam, ut adversariis intrepide respondeant de fide sua. Haec autem pars est eius sanctificationis, cuius nuper maminit, quia tunc vere suum honorem exhibamus Deo, quam nec metus nec pudor a recta fidei professione nos impedit. Caeterum non praecisa iubet Petrus, ut ubique et semper, et apud omnes promiscue asseramus ac publicemus, quicquid nobis a Domino datum est. Nam in hunc finem Dominus suos spiritus

discretionis instruit, ut iudicent, quando, et quousque, et apud quos loqui expediat. Tantum iubet paratos esse ad responsionem, ne sua socordia vel ignavo metu Christi doctrinam impiorum ludibriis silendo exponant. Summa ergo huc tendit, debere nobis in promptu esse fidei confessionem, ut eam proferamus, quoties opus est, ne in creduli ex nostro silentio totam religionem, quam sequimur, damnent. Porro notandum est, Petrum hic non mandare, ut, quaecunque de re agitata fuerit quaestio, parati ad eam solvendam simus; neque enim omnium est, de quovis argumento disserere. Atqui haec generalis est doctrina, quae ad rudes et idiotas pertinet. Ergo non aliud sibi vult Petrus, nisi ut infidelibus palam faciant Christiani, se Deum pure colere, et religionem habere sanctam et rectam. Atque in eo nihil est difficultatis. Esset enim nimis absurdum, quum de fide nostra quispiam inquirat, nihil nos proferre ad eius defensionem. Danda enim semper opera est, ut omnes agnoscant, nos Deum timere, pieque ac reverenter sentire de legitimo eius cultu. Hoc etiam exigebat temporis ratio. Perquam odiosum et infame erat Christianum nomen; multi nefariam multisque sacrilegiis refertam esse sectam putabant. Summa igitur in Deum perfidia fuisset, si rogati neglexissent pietatis suae testimonium reddere; idque (meo iudicio) significat apologiae nomen, quo Petrus utitur, nempe ut Christiani testatum mundo facerent, se procul ab omni impietate, veraeque pietatis corruptela abesse, quo nomine imperitis suspecti erant. *Spes* hic per synecdochen pro fide capitur. Neque tamen (ut dictum est) requirit Petrus, ut distincte et subtiliter sciant de singulis fidei articulis disputare; sed tantum ut ostendant fidem in Christum verae pietati esse consentaneam. Hinc vero colligimus, perperam Christianorum nomine omnes abuti, qui nihil certi tenent, nec quicquam habent, quod respondeant de fide sua. Sed rursus expendi sedulo debet, quod dicit, *eius, quae in vobis est spei*. Significat enim, eam demum confessionem probari Deo, quae ex corde manat, quia, nisi intus resideat fides, frustra garrat lingua: ergo radices in nobis agat, ut deinde proferat confessionis fructum.

16. *Cum mansuetudine*. Valde necessaria admonitio. Nisi enim ad modestiam compositae sint mentes, statim contentiones ebulliunt. Mansuetudo autem tam superbiae et ventosae ostentationi, quam nimio fervori opponitur. Huius merito *timorem* coniungit; nam ubi obtinet Dei reverentia, omnem animorum ferociam domat; praesertim vero efficit, ut placide tractemus Dei mysteria. Nam inde oriuntur contentiosae disputationes, quod bona pars minus honorifice, quam decebat, de coelestis sapientiae magnitudine sentiens, profana audacia effertur. Quare si Deo fidei nostrae confessionem probare volumus, absit omnis iactantia, fecessat omnis contentio. *Conscientiam habentes*. Quia peram auctoritatis habet sermo absque vita, ideo fidei professioni bonam conscientiam adiungit. Videmus enim plerosque satis prompta esse lingua, et multa libere effutire, nullo tamen profectu, quoniam vita non respondet. Deinde sola est conscientiae integritas, quae nobis dat fiduciam loquendi, ut oportet; nam qui multa garrunt de evangelio, vita autem dissoluta coargui possunt impietatis, non modo se faciunt ridiculos, sed doctrinam ipsam prostituunt impiorum calumniis. Cur anim nuper iubebat nos ad defensionem paratos esse, si quis fidei nostrae rationem postulet, nisi quod Dei doctrinam nostrum est vindicare a sinistris suspitionibus, quibus eam gravant imperiti? Atqui parum hic valebit linguae patrocinium, nisi vita simul respondeat. Ideo dicit: *ut pudeant*, qui vituperant bonam vestram in Christo conversationem, quia tamquam maleficis obloquuntur, acsi diceret: Si nihil habent adversarii, quod carpant in vobis, nisi quia Christum sequi-



mini, tandem ipsos malitiae suae pudebit, vel saltem innocentia vestra ad eoa refutandos sufficiet.

17. Praestat enim benefaciendo (si ita fert voluntas Dei) pati, quam malefaciendo, 18. Quia et Christus semel pro peccatis passus est, iustus pro iniustis, ut nos adduceret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.

17. *Praestat enim.* Hoc non ad proximam modo sententiam, sed ad totum complexum pertinet. Loquutus est de fidei professione, quae illo tempore periculosa erat; nuno dicit, multo esse melius, si quid incommodi pro bonae causae defensione sustineant, sic iniuste pati, quam si ob sua flagitia plectantur. Haec consolatio arcana potius meditatione, quam longo verborum circuitu percipitur. Passim quidem hoc apud profanos scriptores occurrit, satis esse praesidii in bona conscientia, quicquid malorum accidat, et perferre necesse sit. Loquuti sunt illi animose, sed tunc demum vere fortis erit animus, si in Deum respiciat. Ideo hanc exceptionem addidit Petrus: *Si ita ferat voluntas Dei.* Nam his verbis admonet, si quid iniuste patimur, id non fortuito accidere, sed certo potius Dei arbitrio; Deum autem nihil velle aut statuere nisi optima causa, pro confesso assumit. Quare hoc solatii semper habent in suis miseris fideles, quod sciunt, se Deum habere testem; deinde quod agnoscunt, ab eo se in arenam deduci, ut sub eius auspiciis fidei suae specimen edant.

18. *Quia et Christus semel.* Alia consolatio, quod, si in afflictionibus nostris sumus nobis bene conscii, exemplo Christi patimur: unde sequitur, nos beatos esse. Simul autem probat a fine mortis Christi, minime consentaneum esse, ut ob maleficia nostra plectamur. Christum enim passum esse docet, ut nos adduceret Deo. Quid hoc sibi vult, nisi nos Christi morte ita fuisse Deo consecratos, ut illi vivamus et moriamur? Sunt igitur duo huius sententiae membra. Prius est, ferendas esse aequo animo persecutiones, quia filius Dei nobis viam monstret; alterum vero, quod, quum in Dei obsequium addicti simus Christi morte, non ob delicta nostra, sed ob iustitiam pati debeat. Hic tamen moveri potest quaestio, annon fideles castiget Deus, quoties alicunde affligi patitur. Respondeo, saepe quidem fieri, ut Deus poenas ipsis, quas meriti sunt, irroget; neque hoc Petrus negat; sed admonet, quantum hoc sit solatii, habere coniunctam cum Deo causam. Quomodo autem peccata Deus in iis non puniat, qui persecutionem sustinent propter iustitiam, et quo sensu vocentur innocentes, proximo cap. videbimus. *Mortificatus quidem.* Hoc iam magnum erat, nos filio Dei esse conformes, quum sine causa patimur; sed accedit aliud consolationis argumentum, felicem mortis Christi exitum fuisse, quia, etsi passus est propter infirmitatem carnis, resurrexit in virtute spiritus. Ergo Christo nihil obfuit crux, neque mors, quum vita palmam obtinuerit. Hoc autem ideo dictum est, ut sciamus (quemadmodum etiam Paulus (II. Cor. 4, 10.) admonet) nos in corpore nostro ferre mortificationem Christi, quo vita eius manifestetur in nobis. *Caro* hic pro externo homine capitur, *spiritus* pro divina potentia, qua Christus victor a morte emerit.

19. In quo et iis, qui in specula (vel in excubiis, vel carcere) erant, spiritibus profectus praedicavit, 20 Quum increduli fuissent olim, quum semel expectabatur Dei patientia in diebus Noe, dum apparabatur arca, in qua paucae,

hoc est, octo animae servatae sunt per aquam. 21. Culus figurae respondens baptismus, nos quoque salvos reddit; non abiectio sordium carnis, sed bonae conscientiae examen apud Deum per resurrectionem Iesu Christi, 22. Qui est in dextera Dei, profectus in coelum, subiectis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus.

19. *In quo et iis.* Hoc addidit Petrus, ut sciamus, vivificam illam, de qua loquutus est, spiritus virtutem non exertam fuisse in aëla Christi persona, sed in nos etiam diffundi, quemadmodum et Paulus docet in epist. ad Roman. capite 5, 5. Dicit ergo, non sibi modo Christum resurrexisse, sed ut vim eandem spiritus sui alii patefaceret: adeoque ipsam usque ad mortuos penetrasse. Unde sequitur, nos eam non minus sensuros, ut, quicquid in nobis mortale est, vivificet. Caeterum quia loci huius obscuritas varias expositiones (ut fieri solet) nobis peperit, priore loco, quae ab alii afferuntur, refellam; deinde genuinum et verum sensum quaeremus. Trita et vulgaris opinio fuit, hic narrari Christi descensum ad inferos; sed verba aliud sonant. Neque enim animae Christi fit mentio, sed tantum quod spiritu venerit. Sunt autem haec longe diveraa, animam Christi venisse, et Christum praedicasse spiritus sui potentia. Nominatim ergo *spiritum* exprimit Petrus, ut imaginationem tollat realis (ut vocant) praesentiae. Alii de apostolis exponunt, quod scilicet eorum ministerio mortuis apparuit, id est, infidelibus. Fateor quidem, Christum per apostolos spiritu suo venisse ad eos, qui in carne detinebantur; sed haec expositio multis rationibus falsa coarguitur. Primum dicit Petrus, ad spiritum Christum venisse; quo nomine significat animas a corporibus separatas; vivos enim homines spiritus vocari nusquam receptum est. Deinde quod cap. 4. in eundem sensum repetet Petrus, allegoriam non admittit. Ergo de mortuis proprie verba intelligi oportet. Tertio hoc valde absurdum est, Petrum de apostolis agentem mox quasi sui oblitum transilire ad tempus Noe. Certe nimis intempestive hoc modo abrupta esset oratio: falsum ergo est illud commentum. Porro eorum delirium, qui putant incredulos Christi adventu post mortem suam a reatu liberatos esse, longa refutatione non indiget. Certa enim scripturae doctrina est, nos salutem non consequi in Christo, nisi fide: ergo qui ad mortem usque obstinati fuerunt, his nulla spes relinquatur. Probabilius aliquanto loquuntur, qui redemptionem a Christo partem profuisse dicunt mortuis, qui tempore Noe diu fuerant increduli: tamen resipuerant demum, paulo ante quam diluvio mergerentur. Illos ergo intelligunt poens contumaciae suae dedisse in carne, servatos tamen Christi beneficio, ne aeternum perirent. Sed haec parum firma est divinatio; deinde pugnat cum orationis contextu. Petrus enim uni duntaxat familiae Noe salutem attribuit; exitio autem addicit omnes, qui extra arcam fuerunt. Ego itaque non dubito, quin generaliter dicat Petrus, gratiae Christi manifestationem ad pios spiritus pervenisse, atque ita vitali spiritus effusioe esse perfusus. Quare timendum non est, ne ad nos usque emanet. Sed quaeri potest, curiam piorum animas, postquam e corporibus migrarunt, in carcere collocet. Mihi quidam *φυλακή* potius speculam significat, in qua aguntur vigiliac, vel ipsum excubiandi actum. Nam saepe ita capitur apud Graecos, et sensus optime fuet, pias animas in spem salutis promissae fuisse intentas, quasi eminus eam considerarent. Neque que enim dubium est, quin ad hunc scopum sancti patres tam in vita, quam post mortem, suas cogitationes direxerint. Verum si sui placeat retinere carceris nomen, non male conveniet. Sicuti

enim, dum vivebant, lex illis (teste Paulo, Gal. 3, 23.) quaedam arctior fuit custodia, in qua detinebantur: ita post mortem sollicito Christi desiderio constringi oportuit, quia nondum spiritus libertatis plene exhibitus erat. Ergo expectationis anxietas illis fuit valuti carcer. Hactenus apostoli verba cum re ipsa et filo argumenti belle congruant; sed, quod sequitur, nonnihil habet difficultatis. Neque enim hic fideles, sed incredulos solos commemorat, quo videtur tota illa superior expositio everti. Hac ratione adducti quidam putarunt, nihil hic dici aliud nisi in credulos, qui olim piis molesti infastique fuerant, spiritum Christi indicem expertos esse, quasi hoc argumento consoletur Petrus fideles, quia Christus etiam mortuus poenas de ipsis sumpsit. Sed eorum errorem convincet, quod proximo capite videbimus, mortuis evangelium praedicatum, ut vivant secundum Deum spiritum, quod peculiariter in fideles competit. Porro certum est, idem, quod nunc dicit, illic repetere. Deinde non animadvertunt, hoc praecipue velle Petrum, quemadmodum potentia spiritus Christi vivificam se in ipso ostendit, et talis a mortuis fuit cognita, talem etiam erga nos fore. Videndum tamen, quorsum hoc spectet, quod incredulos tantum nominat. Videtur enim dicere, Christum in spiritu apparuisse iis, qui olim fuerant increduli. Atqui ego aliter distingo; tunc quoque permixtos fuisse incredulis puros Dei cultores, imo eorum multitudinem fere opertos. Discrepat (fateor) ab hoc sensu Graeca syntaxis; debuerat enim Petrus, si hoc vellet, genitivum absolutum ponere. Sed quia apostolis novum non est liberius casum unum ponere alterius loco, et videmus Petrum hic confuse multas res simul coacervare, nec vero aliter aptus sensus elici poterat: non dubitavi ita resolvere orationem implicitam, quo intelligerent lactores, alios vocari in credulos, quam quibus praedicatum fuisse evangelium dixit. Postquam ergo dixit, Christum se mortuis manifestasse, mox addit: *quum increduli fuissent olim*; quo significat, nihil nocuisse sanctis patribus, quod impiorum multitudine paene obruti fuerint. Nam (meo iudicio) dubitationi occurrit, quae fideles eius temporis angera poterat. Videbant totum fere mundum occupari ab incredulis, illos potiri rerum, penes illos esse vitam. Haec tentatio omnem fiduciam iis excutere poterat, qui veluti sub morte conclusi erant. Eos itaque admonet Petrus, non aliam fuisse patrum conditionem; et tamen quum tunc impiorum multitudo totam terram operiret, illorum vitam Dei virtute salvam fuisse. Hoc modo salatur pius, na propter suam paucitatem fracto sint vel abiecto animo. Exemplum vero ex tota vetustate prae aliis illustre deligit, nempe quum diluvio submersus fuit mundus. Nam tunc in communi generis humani interitu sola Noe familia evasit. Ac modum designat, speciem baptismi fuisse dicens: quare in hac etiam parte nihil est absurdi. Summa est, mundum semper fuisse plenum incredulis: ideo ingenti eorum numero non debere terreri pius; quemadmodum Noe, tametsi undique obsidebatur ab impiis, et tam paucos secum habebat, non tamen abreptus fuit a recto fidei suae cursu.

20. *Quum semel expectabatur.* Hoc ad impios referri debet, quos Dei patientia segiores reddebat. Nam si ultionem suam differt Deus, nec statim exsequitur, minas omnes secure eludunt impii; contra vero Noe oraculo monitus diluvium multo ante habebat prae oculis. Hinc sedulitas in construenda arca, quod Dei iudicio tremefactus torporem omnem excusserat.

22. *Cuius figurae.* Omnino relativum in dativo casu legendum arbitror, ac errore factum esse, ut *o* in locum *o* subierit. Sensus tamen minime ambiguus est, quod Noe per aquam servetus quandam baptismi speciem habuerit. Et hoc commemorat apostolus, ut melius constet inter illum et nos similitudo. Iam dictum est, huc spe-

ctare membrum istud, ne pravīs exemplis abducti a timore Domini et recta salutis via nos cum mundo misceamus. Hoc in baptismo liquido patet, ubi Christo conspelimur, ut mundo et carni mortui Deo vivamus. Hac ratione baptismum nostrum ἀντίτυπον esse dicit baptismo Noe, non quod baptismus Noe primum fuerit exemplar, noster vero inferior sit figura, qualiter hoc nomen usurpat apostolus in epistola ad Hebraeos (9, 24.), quum legis ceremonias ἀντίτυπα vocat rerum coelestium. Similiter Graeci scriptores id sacramentis attribunt, ut, quum dicunt mysticum sacrae coenae panem, esse corporis Christi ἀντίτυπον. Sed hic non fit maioris aut minoris comparatio; tantum significat apostolus mutuam similitudinem esse, ac (ut vulgo loquuntur) correspondentiam. Forsan magis proprie loquutus foret ἀντίστοιχον vocando, qualiter Aristoteles dialecticam facit ἀντίστοιχον rhetoricae. Sed de verbis non est laborandum, ubi de re convenit. Ergo sicuti Noe vitam adeptus est per mortem, quum in arca non secus atque in sepulcro inclusus fuit, et toto mundo perennte servatus fuit cum exigua familia: sic hodie mortificatio, quae in baptismo figuratur, nobis ingressus est in vitam, nec salus speranda est, nisi a mundo simus segregati. *Non abiectio sordium.* Hoc ideo additum est, quoniam fieri interdum potest, ut maior pars hominum Christi nomen profiteatur, ac eodem nobiscum baptismo initiati sunt fere omnes in ecclesiae societatem. Hoc modo non conveniret, quod prius dixit, paucos hodie servari per baptismum, sicuti octo solum animas Deus per arcam liberavit. Hanc obiectionem Petrus occupat, quum testatur, se non loqui de nudo signo, sed simul coniungere effectum, acsi diceret, semper futurum, quod saeculo Noe contigit, ut humanum genus in suum exitium ruat; pusillum vero gregem mirabiliter eripiat Dominus. Videmus nuno, quid sibi velit haec correctio. Poterat enim quispiam obicere, baptismum Noe nostrum esse longe dissimilem, quia plerosque hodie baptizari contingat. Respondet autem, non sufficere externum symbolum, nisi vere et efficaciter baptismum suscipiant. Atqui eius veritas in paucis reperietur. Unde sequitur, non debere nos circumspicere, quid agat vulgus hominum, ut ab exemplis pendeamus, nec debere nos metuere, si pauci simus numero. Caeterum hoc testimonium perperam detorquent fanatici homines (ut Schuincfeldius), dum sacramentis omnem vim et effectum detrahere volunt. Neque enim hic docere voluit Petrus inane et inefficax esse Christi institutum, sed tantum excludere hypocritas a spe salutis, qui baptismum, quantum in se est, depravant ac oorrumpunt. Porro quum de sacramentis agitur, duo sunt consideranda, signum et res, ut in baptismo signum est aqua; res autem ablutio animae per sanguinem Christi, et carnis mortificatio. Horum utrumque sub se complectitur Christi institutum. Quod autem saepe inefficax et absque fructu signum apparet, id fit hominum abusu, qui sacramenti naturam non tollit. Discamus ergo rem signatam a signo non divallere, quamquam simul a diverso vitio cavendum est, quale inter papistas regnat. Quia enim inter rem et signum non distinguunt, ut oportet, consistunt in externo elemento, et illic locant salutis fiduciam. Itaque aquae conspectus eorum mentes a Christi sanguine et gratia spiritus abstrahit. Christum non cogitant honorum omnium, quae illic offeruntur, unicum esse auctorem, gloriam mortis eius ad aquam transferunt, aream spiritus virtutem alligant visibili signo. Quid ergo agendum est? Ne separemus, quae a Domino coniuncta sunt. Debemus in baptismo agnoscere spirituale Javacrum; debemus illic testimonium remissionis peccatorum et renovationis nostrae pignus amplecti; sio tamen relinquere et Christo et spiritui sancto suum honorem, ut nulla pars salutis ad signum transferatur. Certe quum Petrus, facta baptismi

mentionem, mox exoptat, non esse depositionem sordium carnis, satis ostendit, baptismum aliquibus esse duntaxat litteralem: ideoque externum signum per se nihil valere. *Sed bonae conscientiae.* Primum interrogatio hic vice responsionis vel testimonii capitur. Brevis autem vim usumque baptismi defuit Petrus, quum ad conscientiam revocat, et nominatim fiduciam requirit, quae sustineat Dei conspectum, et apud eius tribunal consistat. Nam his verbis docet baptismum praecipua sui parte spirituale esse; deinde peccatorum remissionem et reformationem veteris hominis in se complecti. Quomodo enim bona et pura esse conscientia poterit, donec correctus fuerit vetus homo noster, et in iustitiam Dei renovati simus? Et quomodo respondebimus coram Deo, nisi gratuita peccatorum venia freti ac suffulti? In summa, baptismi effectum indicare voluit Petrus, ne quis nudo et emortuo signo glorietur, quemadmodum hypocritae solent. Sed notandum est, quod dixit, *per resurrectionem Christi.* Quibus verbis docet, non esse in elemento aquae haerendum; sed a Christo solo fluere, et ab eo petendum esse, quicquid illic figuratur. Porro quum resurrectionem nominat, respicit ad superiorem doctrinam, quam tradidit, Christum spiritu vivificatum esse; nam resurrectio mortis fuit victoria, et salutis nostrae complementum. Unde colligimus, mortem Christi non excludi, sed potius contineri sub resurrectione. Ergo non aliter in baptismo proficimus, quam si sensus nostri omnes in Christi morte ac resurrectione consistant.

22. *Qui est in dextera.* Christi in coelos ascensum nobis commendat, ne eum oculi nostri in mundo quaerant; idque fidei maxime interest. Sessionem in dextera patris commendat, ne dubitemus, satis in eo potentiae esse et praesidii ad nos servandos. Porro quid loquutio ista valeat: *sedere ad patris dexteram*, alibi exposuimus, quod scilicet Christus ubique summum imperium, tamquam Dei legatus, exercent. Ad cuius rei explicationem faciunt, quae mox sequuntur, *subiectis sibi angelis* etc. Quod *virtutes et potestates* addit, tantum ad amplificationem spectat; nam usitatum est angelos his nominibus designari. Magnitudinem ergo imperii, quod obtinet Christus, his elogiis ornare Petrus voluit.

#### CAP. IV.

1. Christo igitur passo pro nobis carne, vos quoque eadem cognitione armamini, quod scilicet, qui passus est in carne, destitit a peccato, 2. Ne amplius hominum concupiscentiis, sed voluntati Dei, quod residuum est temporis in carne, vivat. 3. Satis enim nobis est, quod anteacto vitae tempore voluntatem gentium patrauerimus, quum ambularemus in lasciviis, concupiscentiis, violentiis, comessionibus, potationibus et nefariis idololatriis; 4. Quod illis videtur insolens, quod non concurratis in eandem luxum profusionem, ideoque male loquuntur, 5. Qui reddituri sunt rationem ei, qui paratus est iudicare vivos et mortuos.

1. *Christo igitur* etc. Quum nuper Christum proponeret, tantum de crucis tolerantia diserebat; nam interdum crux mortificatio vocatur, quia afflictionum exercitiis corrumpitur homo exterior, caro

etiam nostra domatur. Nunc autem altius conscendit; tractat animam de totius hominis reformatione. Duplicem hanc mortis Christi similitudinem scriptura nobis commendat, nempe ut illi configuremur in prebris et aerumnis (Philipp. 3, 10.), deinde ut nobis mortui, et extincto veteri homine, renovemur in spiritualem vitam (Rom. 6, 4.). Tametsi non simpliciter considerandus est nobis Christus tamquam exemplum, ubi de carnis mortificatione agitur; sed spiritu eius vere insarimur in eius mortem, ut ipsa in nobis sit efficax ad crucifigendam carnem nostram. In summa, sicuti Petrus in fine proximi capituli nos Christi exemplo hortatus est ad patientiam, quia mors illi transitus ad vitam fuerit; ita nunc ex eadem morte ducit altioram doctrinam, quod scilicet carni et mundo nos mori oporteat, sicuti in epist. ad Romanos capite 6., ubi fusius hoc argumentum prosequitur Paulus. Ideo dicit: *armamini*, significans, vara et efficaciter nos invictis armis instrui ad subigendam carnem, si vim mortis Christi percipimus, ut decet. *Quod scilicet qui passus*. Particulam *dei* non puto hic notara causam, sed potius expositive capi. Declarat enim Petrus, quatenam sit illa cogitatio, quo mors Christi nos armat, nempe quod abolitum peccati regnum in nobis esse debeat, ut Deus in vita nostra regnet. Male Erasmus, meo iudicio, qui varit: patiebatur, ad Christum referens. Nam est indefinita oratio, quae generaliter ad omnes pios extenditur, atque omnino eundem habent sensum haec verba, quem illa Pauli in epist. ad Romanos cap. 6, 7.: Qui mortuus est, justificatus est, vel absolutus a peccato. Uterque enim apostolus significat, ex quo mortui sumus in carne, nihil esse nobis amplius cum peccato negotii, ut vigeat in nobis, ac suam vim in vita nostra exercent. Obiici tamen poterit, improprie hinc loqui Petrum, dum nos in eo conformes Christo fecit, quod in carne patimur. Certum enim est, nihil fuisse in Christo vitiosum, quod corrigi debuerit. Verum facilis est solutio, quod necesse non sit hanc similitudinem per omnia congruere: sufficit ergo, quod aliquatenus configuremur morti Christi. Quo sensu etiam non inepte exponitur illud Pauli (Rom. 6, 5.), nos inseri in similitudinem mortis eius, quia non eadem prorsus sit ratio, sed quia mors eius typus sit modo ac exemplar mortificationis nostrae. Proinde notandum est, *carnis* nomen hic diverso sensu bis esse positum. Nam quum passum carne Christum dicit, naturam humanam, quam a nobis sumpserat Christus, morti subiectam fuisse docet: hoc est, Christum, quatenus homo erat, naturaliter fuisse mortuum. In secundo autem membro quum de nobis sermo est, caro est naturae nostrae corruptio ac vitiositas. Ita passio in carne significat nostri abnegationem. Nunc videmus, quid inter Christum et nos similia, quid diversum sit, nempe quod, sicut passus est in carne a nobis sumpta, sic totam carnem nostram crucifigi oporteat.

2. *Ns amplius*. Hic modum exprimit desistendi a peccato, ut scilicet renuntiantes hominum concupiscentiis vitam nostram studeamus ad Dei voluntatem componere. Itaque duss renovationis nostrae partes hic comprehendit, carnis interitum, et vivificationem spiritus. Ab illo itaque inchoandus est bene vivendi cursus; ad hanc vero pergendum. Porro hic definit Petrus, quae sit bene vivendi regula, quum scilicet a Dei voluntate pendet homo: unde sequitur, nihil in vita esse rectum nec compositum, simulac inde aberrat. Praeterea notanda est antithesis inter *Dei voluntatem et hominum concupiscentias*. Unde intelligimus, quanta sit nostra pravitas, et quantopere luctandum sit, ut Deo reddamur obsequentes. Quum dicit: *residuum temporis in carne*, cero pro vita praesenti accipitur, sicuti ad Hebraeos capite 5, 7.

3. *Satis enim nobis.* Non intelligit Petrus, taedio nos voluptatum affici debere, quemadmodum solent, qui ad satietatem illis sunt expleti; sed potius vitae praeteritae memoria ad poenitentiam eos stimulat. Et certe hic eorrimus nobis stimulus esse debet ad bene currendum, dum reputamus, nos magna parte vitae extra viam errasse. Admonet autem Petrus, absurdum fore, si a Christo illuminati vitam in melius non mutant. Nam hic inter ignorantiae et fidei tempora discernit, acsi diceret, aequum esse, ut novos et alios se homines praebeant, ex quo Christus eos vocavit. Caeterum pro hominum concupiscentiis nunc ponit *gentium voluntatem*, in quo Iudaeis exprobrat, quod gentibus in omni pollutionis genere permixti essent, quum eos Dominus segregasset. In posterum vero docet, exuenda esse vitia, quae caecitatem ac Dei ignorantiam in hominibus arguunt. Pondus etiam habet haec particula: *quod residuum est vitae.* Significat enim ad finem usque perseverandum, sicuti quum dicit Paulus (Rom. 6, 9.) Christum a mortuis excitatum, iam amplius non mori. Nam ideo redempti sumus a Domino, ut illi serviamus omnibus diebus vitae nostrae. *In lasciviis.* Non recenset integrum catalogum; sed tantum quasdam species attingit, ex quibus summam colligere liceat, quidnam appetat, et quorsum propensum sint homines spiritu Dei non regauit. Crassiora autem vitia nominat, ut fieri in profereudis exemplis solet. In verborum interpretatione non immorabor, quia nihil habent difficultatis. Sed hic exoritur quaestio, quia videtur multis iniuriam facere Petrus, quum omnes lasciviae, dissolutionis, libidinum, ebrietatis et comessionum reos facit. Certum est enim, non fuisse omnes his vitis implicitos, imo in gentibus quosdam scimus honesta et citra infamiae notam vixisse. Respondao, Patrum non sic tribuere gentibus haec vitia, quasi omnium demnet singulos homines, sed quia sic ad malum neture proclives sumus, neque id modo, sed etiam previtati addiotti, ut necessario isti fructus, quos enumerat, ex male radice prodeant. Nemo quidem est, qui non inclusum in se habet vitiorum omnium semen; sed non omnia in singulis germinant atque amergunt. Sic tamen per totum humanum genus sparsa est ac diffusa contagio, ut appareat totum corpus innumeris malis refertum esse; nullum vero membrum a communi corruptela esse immuna vel purum. Postremum quoque membrum aliam quaestionem gignere potest. Iudaeos enim alloquitur Petrus; et tamen in nefariis idololatriis versatos esse dicit. Atqui Iudaei, ubicunque terrarum agerent, solliciti sibi cavabant ab idolis. Duplex solutio afferri potest: vel quod per synagochen communiter de omnibus pronuntiet, quod tantum ad paucos spectabat; (naquo enim dubium est, quin ex Iudaeis promiscue ac gentibus compositae fuerint acclasiae, ad quas scribebat) vel quod idololatrias appallet quasi superstitiones, quarum tunc pleni erant Iudaei. Quamquam enim se Daum Israel colere profitebantur, scimus tamen nullam Divini cultus partem apud eos sinceram fuisse. Et quanta in regionibus barbaris ac in turmis dissipetis confusio esse poterat, quum ipsa Hierosolyma, ex cuius radiis lucem suam mutuabantur, ad extremum impietatis prolapsa esset? Scimus enim illic omne genus deliriae impune grassata esse, ut summum quoque sacerdotium et praecipuum ecclesiae regimen penas Sadducaeos esset.

4. *Quod illis videtur.* Ad verbum sic Petrus habet: In quo peragrinatur, non concurrentibus vobis in eandem luxu profusionem, blasphemantes. Sed *peragrinari* capitur pro morari, ut in re nova et insolita. Qua loquutione et Latini interdum utuntur, ut quum Cicero dicit, se hospitam esse in urbe, quia, quae illic aguntur, non cognoscat. Caeterum hoc loco monet Petrus fideles, ne parvaris impiorum iudiciis vel sermonibus turbari se vel corrumpi sinant.

Est enim haec non levis tentatio, quum ii, inter quos versamur, vitam nostram insimulant quasi a communi humanitate abhorrentem. Istis, inquit, fabricandus esset novus mundus, quoniam ita ab humano genere dissident. Ita filios Dei accusant, quasi orbis divortium moliantur. Praevenit ergo apostolus, ac fideles vetat talibus probris vel calumniis frangi. Fulturam autem illis proponit, Dei iudicium. Hoc enim est, quod nos contra omnes insultus sustinet, quum diem illum patienter expectamus, quo vindicabit Christus eos omnes, qui nunc temere nos damnant, sibi que nos ad causam nostram probari ostendet. Dicit autem nominatim *vivos ac mortuos*, ne quid putemus, nos damni pati, si morientibus nobis maneant illi superstites, quia non propterea manum Dei effingent. Porro quo sensu vivos et mortuos dicat, discere licebit ex I. Corinth. cap. 15.

6. In hoc enim et mortuis evangelizatus fuit (vel *praedicatum fuit evangelium*), ut iudicentur quidem secundum homines carne, vivant autem secundum Deum spiritu. 7. Porro omnium finis propinquus est: sobrii itaque estote, et vigilantes ad precandum. 8. Ante omnia vero caritatem inter vos intentam habentes, quia caritas operiet multitudinem peccatorum, 9. Invicem hospitales sine murmurationibus, 10. Ut quisque accepit donum, ministrantes illud inter vos, tamquam boni dispensatores multiplicis gratiae Dei. 11. Si quis loquitur, loquatur tamquam eloquia Dei; si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam suppeditat Deus, ut in omnibus glorificetur Deus per Iesum Christum, cui est gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

6. *Mortuis evangelizatus.* Videmus, in quem sensum accommodet superiorem sententiam, quam capite 5. habuimus, nempe mortem nihil obstare, quin Christus semper nihilominus sit vindex noster. Insignis itaque est piorum consolatio, quod eorum saluti mors nihil affert iacturae. Ergo utcumque in hac vita non appareat Christus liberator, non tamen inanis est aut irrita eius redemptio, quia ad mortuos usque extenditur eius virtus. Caeterum quod Graeca vox ambigua est, tam in masculino genere quam in neutro verti potest, sed eodem fere sensu, nempe quod Christus mortuis patefactus fuerit redemptor, vel quod illis salus per evangelium patefacta fuerit. Quod si gratia Christi semel penetravit ad mortuos, non dubium est, quin eam a morte quoque sensuri simus. Itaque nimis angustos limites illi statuimus, si restringimus ad praesentem vitam. *Ut iudicentur.* Aliorum expositiones omitto, quia mihi videntur a mente apostoli procul remotae. Hoc enim (meo iudicio) per anticipationem dictum est, quia obiici poterat, nullum exstare evangelii erga mortuos profectum, quos minime restituit in vitam. Partem huius obiectionis concedit Petrus, sic tamen, ut salute a Christo parva non priventur. In priore itaque membro quum dicit, ut iudicentur carne secundum homines, concessio est; ac iudicari hic pro damnari capitur, ut saepe alias; caro autem pro externo homine, ut sit sensus: Quamvis secundum rationem mundi interitum patiantur mortui in carne sua, et damnati, quo ad externum hominem, habeantur: vivere tamen apud Deum non desinunt, idque spiritu, quia Christus eos spiritu suo vivificat. Nunc addendum, quod Paulus ad Rom. cap. 8, 10. docet, spiritum esse vitam, ac proinde futurum, ut mortuis reliquias, quae adhuc haerent in nobis, tandem absorbeat. Sum-



ma est, utcumque deterior sit mortuorum conditio in carne secundum homines: sufficere tamen, quod eos spiritus Christi vivificat, qui aliquando eos ad perfectionem vitae adducet.

7. *Porro omnium finis.* Tametsi audiunt fideles, alibi quam in mundo suam felicitatem esse: quia tamen diu se victuros putant, haec preva imeginatio pigros, imo socordes reddit, ne studia sua applicent ad regnum Dei. Quamobrem apostolus, ut eos excitet a sopore carnis, admonet, propinquum esse rerum omnium finem. Quo significat, non desidendum esse in hoc mundo, unde paulo post migrare nos oporteat, quamquam non de privato tantum cuiusque fine loquitur, sed de universa mundi reparatione, acsi diceret, venturam brevi Christum, qui finem omnibus imponet. Non mirum igitur, si nos obruent mundi curae, sopitosque teneant, si oculos perstringat praesentium rerum adspectus, quia omnes fere nobis aeternitatem in mundo promittimus, saltem nunquam finis venit in mentem. Quod si auribus nostris insonaret Christi tuba, sensus omnes nostros acriter percelleret, neque ita torpere pateretur. Caeterum obici posset, longam aetatem seriem fluxisse, ex quo hoc scripsit Petrus, necdum tamen finem conspici. Respondeo, nobis ideo longum videri tempus, quia longitudinem metimur caducae huiusce vitae spatii; verum si in perpetuitatem futurae vitae respicere possemus, multa saecula nobis instar momenti fore, quemadmodum et proxima epistola dicit. Praeterea tenendum est illud principium, ex quo semel apparuit Christus, nihil fidelibus relictum esse, nisi ut suspensis animis semper ad secundum eius adventum intenti essent. Vigilantia et sobrietas, ad quas eos hortatur, mentis sunt potius quam corporis, meo iudicio. Congruunt enim haec verba cum illis Christi (Matth. 25, 13.): Vigilate, quia nescitis diem neque horam. Nam sicuti crepulae et somnii indulgentia gravatur corpus, ne sit ad officia sua expeditum: ita vanae huius mundi curae aut deliciae mentem inebriant, redduntque somnolentem. Quum addit: *ad precandum*, vel ad preces, maxime necessarium exercitium designat, in quo fideles praesertim occupari decet, quum tota eorum fortitudo a Domino pandeat, acsi diceret: Quando nimium a vobis infirmi estis, petite a Domino, ut vos confirmet. Interea vicissim admonet, serio, non perfunctorie precandum esse.

8. *Ante omnia.* Caritatem in primis commandat, quia vinculum sit perfectionis. Et *intentam* esse iubet, aut vehementem, quod idem est, quia quisque amore sui ultra modum fervens alios frigide amat. Commendat autem eam a fructu, quia innumera peccata sepeliat; quo nihil est optabilius. Est autem ex Salomona haec sumpta sententia; cuius verba sunt Proverb. 10, 12.: Odium convitia dategit; caritas eutem operit multitudinem peccatorum. Quid velit Salomon, satis clarum est; membra enim antitheseos inter se respondent. Quum itaque priore membro dicat, odium in causa esse, ut mutua sa traducant et infament homines, et quicquid probri est ad dedecoris, in medium proferant: sequitur, tribui caritati contrarium effectum, nempe quod, dum inter se amant homines, benigne et humaniter multa invicem condonant: unde fit, ut sepultis ultro citroque vitiiis elter alterius honorem salvum esse cupiat. Hac ratione suam exhortationem confirmat Petrus, quod nihil ipsis utilius sit, quam fovere mutua caritatem. Quis enim non multis vitiiis laborat? Proinde venia opus habent omnes, et nemo est, qui non sibi parci cupiat. Hoc singulare bonum nobis affert caritas, dum inter nos viget, ut innumera mala oblivione oontegantur. Contra, ubi frenum odio laxatur, necesse est, ut homines invicem mordendo et lacerando se consumant, quemadmodum Peulus dicit (Galat. 5, 15.). Et notandum est, quod non pauca tantum peccata obtegi tradit Salomon,

sed multitudinem, iuxta Christi sententiam (Matth. 18, 22.), qua iubet ignoscere fratribus septuagies septies. Caeterum quo pluribus peccatis medetur caritas, eo latius patet eius utilitas ad conservationem humani generis. Hic simplex est verborum sensus. Unde apparet, quam ridiculi sint papistae, qui suas satisfactiones elicere hinc volunt, quasi eleemosynae et alia caritatis officia compensationis loco sint apud Deum in delendis peccatis. Crassam eorum inscientiam obiter notasse sufficiat, quia in re perspicua pluribus disputare supervacuum foret.

9. *Invicem hospitaliter.* Postquam in genere adhortatus est ad caritatem, unum eius officium specialiter commemorat. Erat illo tempore in usu communi hospitalitas, et sacra quodammodo species humanitatis fuit habita, ut alibi diximus. Iubet ergo, ut eam mutuo exercent, ne quis ab aliis plus requirat, quam ipse praestare sit paratus. Addit: *sine murmurationibus*, quia rarum est exemplum, ut quis proximo se ac sua impendat, quin maligne obtrectet. Vult ergo apostolus, liberaliter et hilari animo beneficentiam a nobis coli.

10. *Ut quisque accipit.* Admonet, quid nobis sit considerandum, quum benefacimus proximis. Nihil enim ad corrigendas murmurationes aptius, quam dum reputamus, non largiri nos de proprio, sed tantum dispensare, quod a Domino commissum est. Quum ergo dicit: Administrantes, quod quisque accipit, donum, significat, hac lege singulis distributum, quod habent facultatis, ut in iuvandis fratribus Dei sicut ministri. Itaque secundum membrum prioris est expositio; nam loco ministerii ponit oeconomiam; pro eo, quod dixerat: Ut quisque donum accipit, commemorat multiplices gratias, quas varie distribuit nobis Deus, ut in commune singuli portiones suas conferant. Proinde si qua pollemus facultate supra alios, meminerimus, nos eatenus oeconomos esse Dei, ut comiter impartiamus proximis, prout eorum necessitas vel usus postulat. Ita fiet, ut ad communicationem propensi simus ac faciles. Sed haec quoque consideratio multum valet, quod sic Dominus multiplices gratias inter homines divisit, ut nemo se uno et suis facultatibus sit contentus, sed quisque fratris sui ope auxilioque indigeat. Hoc, inquam, vinculum retinendae inter homines societatis statuit Deus, quod sine mutuo auxilio vivere nequeant. Ita fit, ut, qui fratrum opem multis in rebus implorat, libentius, quod accipit, cum illis communicet. Hoc fovendae unitatis vinculum a profanis hominibus animadversum fuit; sed Petrus hic docet, Deum hoc consulto fecisse, ut alios aliis obligaret.

11. *Si quis loquitur.* Quia de recto puroque donorum usu loquutus erat, species duas, exempli causa, recitat, et eas quidem elegit, in quibus plus est praestantiae, vel quae sunt prae aliis illustres. Docendi munus in ecclesia est eximiae gratiae Dei distributio: praecipit ergo nominatim, ut, qui ad illud vocati sunt, fideliter se gerant, quamquam hic non tantum, quid debeamus hominibus, tradit; sed quid etiam Deo, ne scilicet eum frandemus sua gloria. Qui loquitur ergo, hoc est, qui publica auctoritate rite ordinatus est, loquatur, ut eloquia Dei, hoc est, reverenter in timore Dei sinceroque affectu defungi iniuncta sibi cura studeat, reputans, se in gerendis Dei negotiis versari, et verbum Dei esse, non suum, quod ministrat. Aduhuc enim insistit in illa doctrina, quum aliquid conferimus in fratres nostros, Dei mandato nos illis ministrare, quod in eum finem apud nos deposuit. Et sane si hoc unum expendere, quicumque se doctores ecclesiae profitentur, maior in illis fides ac religio esset. Quantum enim hoc est, quod in tractandis Dei eloquiis Christi personam sustinent? Inde igitur tanta securitas et licentia, quod

paucis in mentem venit sacrosancta verbi Dei maiestas: ideoque tamquam in profana villicatione sibi indulgent. Interea colligimus ex Petri verbis, non aliud licere iis, qui ad docendum praesunt, nisi ut fideliter acceptam a Deo doctrinam alijs per manus tradant. Vetat enim quemquam in medium prodire, nisi qui Dei sermone instructus tamquam ex eius ora certa oracula proferat. Itaque nullum humanis commentis locum relinquit. Genus enim doctrinae, quod ecclesiae tradendum est, breviter definit. Nec vero particula similitudinis minuendi causa hic posita est, quasi profiteri sufficiat, verbum esse Dei, quod traditur. Nam hoc olim pseudopropheta tritum fuit, et hodie videmus, quam arroganter papa cum suis hoc titulo praetextat impias omnes suas traditiones. At Petrus non voluit ad hypocrisim pastores instituire, ut tantum a Deo se habere praetenderent, quamcunque ipsis liberit proferre, doctrinam; sed ex re ipsa argumentum sumit, ut eos ad sobriam modestiam, ad Dei timorem, attentumque agendi studium hortetur. *Si quis ministrat.* Haec secunda species latius patet, imo sub se continet docendi officium. Sed quoniam singula ministeria recensere nimis longum iuisset, summam de omnibus simul pronuntiare maluit, acsi dixisset: Quamcunque oneris partem sustineas in ecclesia, scias, te nihil praestare posse, nisi quod a Domino datum est, nec te aliud esse quam Dei organum. Cave igitur, ne Dei gratia ad te efferendum abutaris; cave, ne Dei virtutem supprimas, quae se exerit ac profert in tuo ministerio ad fratrum salutem. Ministret ergo *tamquam ex Dei virtute*, hoc est, nihil sibi proprium esse reputans, humiliter Deo eiusque ecclesiae suum obsequium impendat. *Us in omnibus glorificetur.* Quum dicit: In omnibus, tam masculinum genus quam neutrum esse potest, atque ita vel ad dona, vel ad homines referri, perinde utrumque convenit. Sensus est, Deum non ideo nos ornare suis donis, ut sa ipsum spoliis, seque velut inane idolum faciat, suam in nos gloriam transferendo; sed potius ut sua gloria ubique reluceat. Proinde sacrilegam esse donorum Dei pollutionem, quum aliud sibi homines proponunt, quam ut Deum glorificent. Dicit: *Per Christum*, quia, quicquid habemus ad ministrandum virtutis, solus ipse nobis suggerit. Est enim caput, ex quo totum corpus per inuncturas et nexus compactum crescit Domino, prout singulis membris vim inspirat. *Cui gloria.* Nonnulli ad Christum referunt; verum circumstantia loci postulat, ut ad Deum potius referatur. Confirmat enim proximum exhortationem, quod Deus iure suo omnem gloriam sibi vindicet: ideoque illi scelerate eripiant homines, quod suum est, dum eius gloriam ulla in re aut parte obscurant.

12. Dilecti, ne miremini, quum exploramini per ignem ad probationem vestri, perinde acsi novum aliquid vobis obringat; 13. Sed quatenus consortes estis passionum Christi; gaudete, ut in revelatione quoque gloriae eius gaudeatis exsultantes. 14. Si probris afficimini in nomine Christi, beati estis, quoniam spiritus gloriae et Dei super vos requiescit; secundum ipsos quidem contumelia afficitur; secundum vos autem glorificatur. 15. Ne quis enim vestrum patiat, ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut cupide rebus alienis inhians; 16. Si autem ut Christianus, ne pudeat, imo glorificet Deum in hac parte, 17. Quandoquidem et tempus est, ut iudicium incipiat a domo Dei.

12. *Dilecti, ne miremini.* Frequens in hac epistola afflictionum fit mentio; causam alicui exposuimus. Sed observandum est discrimen, quod interdum, ubi ad patientiam hortari vult fideles, de communibus vitae humanae aerumnis in genere loquitur; hoc autem loco sermonem habet de iniuriis, quas sustinent fideles propter Christi nomen. Ad primum quidem admonet, non debere ipsos tamquam in re subita vel inopinata mireri, quo significat, eos prius longa meditatione ad ferendam crucem debere esse comparatos. Quisquis eorum hoc sibi proposuit, militandum sub Christo esse, si qua persecutio inciderit, non consternabitur, sed tanquam assuefactus patienter eam feret. Ergo ut praesenti simus animo, quum excipiendi sunt persecutionum fluctus, mature assuefieri nos oportet ad meditationem assiduam crucis. Porro duobus argumentum utile nobis esse crucis exercitium probat, quod scilicet hoc modo fidei nostrae experimentum Deus capit; deinde quod sumus Christi consortes. Primo itaque loco hoc nobis in mentem veniat, eramen hoc, quo probatur fides nostra, esse plus quam necessarium; itaque libenter obtemperandum esse Deo, dum salutem nostram consulit. Praecipua tamen consolatio ex Christi societate petenda est. Ideo non tantum mirari vetat Petrus, quum eam nobis proponit; sed gaudere etiam iubet. Est quidem et illa gaudii materia, quod Deus ad fidei nostrae probationem persecutionibus nos exercet; sed haec altera gaudii species longe exsuperat, quod in suum ordinem nos aggregat filius Dei, ut in beatam coelestis gloriae societatem nos secum adducat. Tenendum est enim axioma illud, nos mortificationem Christi in carne nostra ferre, ut vita eius manifestetur in nobis. Plurimas quidem afflictiones etiam reprobi sustinent; sed quia separati sunt a Christo, nihil praeter iram Dei et maledictionem concipiunt. Ita fit, ut eos tristitia et horror penitus absorbeat. Hinc igitur tota piorum consolatio, quod cum Christo communicant, idque in eum finem, ut aliquando gloriae sint consortes. Semper enim considerandus est transitus ille a cruce ad resurrectionem. Sed quia hic mundus labyrintho similis est, in quo nullus malorum exitus iis apparet; Petrus futuram gloriae Christi revelationem commemorat, acsi diceret, non ideo sperendam esse, quia sit nunc abscondita; sed expectandum esse revelationis diem. Duplex autem gaudium ponit: alterum, quo iam fruimur in spe; alterum, cuius plenam fruitionem nobis afferet Christi adventus. Quia prius illud cum dolore et tristitia mistum est, secundum cum exultatione coniungit. Neque enim gaudium in mediis afflictionibus imaginari convenit, quod nos omnis molestiae expertes reddat; sed malorum sensum temperant Dei consolationes, ut simul tamen gaudeamus.

14. *Si probris afficiamini.* Probrorum meminit, quoniam plus saepe acerbis in se habent, quam bonorum iactura, vel etiam tormenta et cruciatus corporis. Itaque nihil est, quod ingenuos animos magis frangat. Videmus enim multos ad ferendam inopiam fortes, animosos in tormentis, imo ad mortem quoque oppetendam intrepidos, ignominiae succumbere. Huic malo ut occurrat Petrus, beatos iuxta Christi sententiam (Marc. 8, 35.) pronuntiat, qui probris afficiuntur ob evangelium. Quod a communi hominum sensu abhorret; sed causam reddit: quia spiritus Dei, qui idem est gloriae spiritus, super eos quiescit. Quidam disiunctim legunt: *Id, quod gloriae est*, acsi dictum esset: Gloria et spiritus Dei; sed illa prior lectio ad sensum aptior est, et, quo ad linguae proprietatem, simplicior. Ostendit ergo Petrus, hoc nihil obesse piorum felicitati, si quid ignominiae propter Christi nomen sustineant, quia integram nihilominus gloriae possessionem retinent coram Deo, dum in illis habitat spiritus, qui gloriam secum perpetuo coniunctam habet. Ita, quod

carni videtur paradoxum, spiritus Dei certo sensu in eorum animis comprobatur. *Secundum ipsos quidem.* Proximae sententiae confirmatio. Significat enim, debere hoc piis sufficere, quod spiritus Dei illis testatur, beata et plena gloriae esse probra, quae evangelii causa sustinent, utcunque reprobi longe aliud moliantur, acsi diceret: Potest secure impiorum contemnere protarviam, quia intus fixum manet apud vos gloriae testimonium, quod vobis reddit Dei spiritus. Dicit autem, *spiritum Dei* probris affici, quia ludibrio habent infideles, quicquid nobis ad consolationem suggerit ac dicat. Atque hoc *κατὰ πρόληψιν*; nam utcunque mundus pro sua caecitate nihil in probris Christi nisi probrosum cernat, non vult piorum oculos falsa hac opinione perstringi, quia potius in Deum respicere debeant. Ita non dissimulat, quid vulgo sentiant homines; sed arcenum fidei sensum, quo praediti sunt filii Dei in suis conscientiis, illorum temeritati opponit. In hunc modum iactat Paulus (Gal. 6, 17.) se ferre Christi stigmata, et ceteris suis gloriatur; quum tamen satis compertum haberet, quale de illis esset mundi iudicium. Interea subindicat perpetram sentire, et cum mundo esse excaecetos, quibus ignominia carius gloriosa non est.

15. *Ne quis enim vestrum.* Hic quoque obiectionem praevent. Hortatus eret fideles ad tolerantiam, si contingeret ipsos ob Christi causam affligi; nunc subiicit, cur tentum loquutus sit de illo afflictionum genere, quia sollicit abstinere ab omni maleficio debeant. Itaque hic inclusa est altera exhortatio, ne committant, ut merito videantur plecti. Itaque particula causalis hic supervacua non est, quum valit Apostolus causam reddere, cur tantum ad societatem passionum Christi hortatus sit fideles, et simul per occasionem eos monere, ut iuste et innoxie vivant, ne iustas sibi poenas accersant propria culpa, acsi diceret, Christianorum esse, de omnibus bene merari, et interea male ac inhumaniter tractari a mundo. Si quis obiciat, neminam adeo insontem posse inveniri, quin temen ob multa delicta flagellis Dei dignus sit: respondeo, Petrum hic de sceleribus loqui, a quibus nos prorsus alienos esse decet, ut sunt furta, et homicidia; deinde respondeo, Christianis apostolum praecipere, quales esse debeant. Non mirum est igitur, si discrimen inter eos et huius mundi filios statuit, qui Dei spiritu destituti ad omne flagitii genus se prostituunt. Filios Dei in eadem esse causa non vult, ut iniusta vivendo iustas legum poenas in se provocent. Porro alibi iam diximus, utcunque semper in electis multa sint peccata, quae Deus punire iure possit, ipsum tamen pro peterna sua indulgentia filiis suis parcere, ne poenas, quas meriti sunt, exiget; interea vero honoris causa suis et Christi sui insignibus eos ornare, dum affligi ob evangelii testimonium patitur. Nomen *ἀλλοτριου ἐπίσκοπος* videtur mihi alieni cupidus designare. Nam qui ad rapinas vel fraudes inhiant, hominis oculis (ut inquit Horatius) in res alienas inquirunt. Pecuniae autem contemptor (ut idem alibi loquitur) auri ingentes oculo irretorto spectat acervos.

16. *Si autem ut Christianus.* Postquam eb omni leesione et iniuria Christianos prohibuit, ne pariter cum incredulis ob sua maleficia mundo sint exosi; nunc Deo iubet gratias agere, si persecutiones propter Christi nomen sustineant. Et sane hoc non vulgare est Dei beneficium, quod nos communibus peccatorum poenis solutos et exemptos ad honorificam militiam vocat, ut pro evangelii sui testimonio, vel exilia, vel carceres, vel probra, vel mortem ipsam subeamus. Ergo ingratos Deo esse significat, qui in persecutionibus fremunt vel murmunt, quasi indigna tractentur; quum potius hoc in lucro reputare, et Dei gratiam agnoscere debeant. Ceterum quum dicit: Ut Christianus, non tam nomen quam causam respicit.

Certam est, nihil omittere Christi adversarios, ut evangelium infament: ergo quascunque probrosas voces comminiscantur, sufficiat fidelibus, quod non nisi pro evangelii defensione laborant. *In hac parte.* Nam quum omnes effluiones originem trahant a peccato, haec cogitatio in mentem venire piis debet: Ego quidem dignus eram, cui Dominus et has et maiores poenas irrogaret pro peccatis; nunc autem vult me pati ob iustitiam, acsi essem innocens. Utunque enim suam culpam agnoscant sancti; quia tamen in persecutionibus diversum finem considerant, quam illis Dominus proponit, reatum suum deletum coram Deo et abolitum esse sentiunt. In hac parte causam habent glorificandi Dei.

17. *Quandoquidem et tempus est.* Consolationem illam amplificat, quam nobis affert causae, pro qua patimur, bonitas, dum affligimur pro Christi nomine. Nam haec, inquit, necessitas totam Dei ecclesiam manet, ut non tantum communibus hominum miseris subisceat, sed peculiariter et praecipue Dei manu castigetur: tanto igitur aequiore animo ferendae sunt pro Christo persecutiones. Nisi enim expungi e numero fidelium velimus, Dei ferulis nos tergum aptare convenit. *Suave* autem istud condimentum est, quod non ut in alios passim Deus sua in nos iudicia exeroet, sed filii sui personam nobis imponit, ut non nisi eius causa et nomine laboremus. Porro hanc sententiam ex trita et perpetua scripturae doctrina sumpsit Petrus, idque mihi probabilius est, quam quod alii putant, certum aliquem locum notari. Hoc Domino iam olim fuisse usitatum, testes sunt omnes prophetae, ut prima castigationum exempla in populo suo ederet; quemadmodum paterfamilias in suos potius quam in alienos animadvertit. Quamquam enim totius mundi iudex est Deus, specialiter tamen in regenda sua ecclesia providentiam suam vult cognosci. Itaque quum surrecturum se totius mundi iudicem denuntiat, hoc fore subiicit, postquam totum opus suum compleverit in monte Sion (Ies. 10, 12.) Promiscue quidem in suos at alienos exerit manum suam; utrosque enim videmus communiter rebus adversis subiici; verum si fiat comparatio, videtur quodammodo reprobis parcere, praesent in electos severus est. Unde illae piorum quarelae (Iob. 21, 7—13. Psal. 73, 3.), quod reprobi vitam in continuis deliciis transigunt, quod vino et cithara se oblectant, et tandem momento absque dolore descendunt in sepulcrum; quod pinguedo tegit oculos eorum; quod molestiis exempti, secure et suaviter, aliis contemptis, beata vita fruuntur, ita ut in coelum os suum efferre non dubitent. Denique sic Dens iudicia sua in hoc saeculo temperat, ut reprobos aeginet usque ad diem maetationis: multa igitur eorum scelera praeterit, quasi conniveat. Interim filios suos, quorum curam habet, simul atque lapsi sunt, correctionibus in viam revocet. Secundum hanc rationem dicit Petrus, iudicium incipere a domo Dei. Nam iudicii nomine poenas omnes complectitur, quae Dominus infligit hominum peccatis, et quicquid ad mundi reformationem spectat. Cur autem nunc dicit tempus esse? Significat (meo iudicio), quod de suo saeculo prophetae affirmant, in regnum Christi maxime competere, ut initium correctionis ab ecclesia fiat. Ideo dicit Paulus (I. Corinth. 15, 19.): Christianos sublata fide resurrectionis, omnium hominum miserimos fore; et merito, quia dum alii absque metu sibi indulgent, assidue ingemiscunt fideles; dum aliorum peccata dissimulat Deus, et alios torpere sinit, suos sub crucis disciplina multo rigidius exeroet.

Si autem primum a nobis: quis finis eorum, qui non obediunt evangelio Dei? 18. Et si iustus vix servatur

impius et peccator ubi apparebunt? 19. Itaque qui patiuntur secundum Dei voluntatem, tamquam fideli possessori commendent animas suas benefaciendo.

Quum fideles melis bene esse vident, fieri non potest, quin aemulatione teganitur, atque haec velde periculosa tentatio est. Omnibus enim cordi est praesens felicitas. Iteque in hoc sedulo incumbit spiritus Dei, cum multis in locis, tum Psal. 57., ne fideles prosperis rebus impiorum invadeant. Idem nunc egit Petrus; docet enim afflictiones filii Dei moderate ferendas esse, si eliorum sortem cum sue conferent. Sumit eutem illud pro confesso, Deum esse mundi iudicem: ideoque neminem posse impune effugere ex eius manu. Hinc colligit, horrendum ultionem iis instare, quorum nunc potior vidatur conditio. Summa (quemadmodum dixi) huc spectat, ne filii Dei praesentium malorum coerbitate offensi deficient, quin potius afflictiones ad exiguum tempus placide ferant, quorum salutaris est exitus, quum prosperitatem fluxam at caduam impii redimant aeterno interitu. Porro argumentum est a minore ad maius: quia, si filiis suis, quos diligit, et quos sibi obsequentes habet, non parcit Deus: adversus inimicos et rebelles plus quam formidabilis erit eius severitas. Nihil ergo melius quem obedire evangelio, ut nos Deus clementer in salutem peterne menu corriget.

18. *Et si iustus.* Putarunt hanc sententiam ex Proverb. cap. 11, St. sumptam esse. Atque ita Graeci verterunt, quod dicit Salomon: Si iustus in terra plectitur, quento magis impius? Sive eutem locum illum adducere voluerit Petrus, sive tritam ac proverbialem sententiam (quod mihi probabilius est) citaverit, sensus est, formidabile Dei fore iudicium adversus impios, quum tam spinose et difficilis sit electis via ad salutem. Hoc eutem ideo dictum est, ne secure deliciamur, sed in peragendo cursu nostro simus solliciti; deinde ne molle ac delicatum iter appetamus, cuius finis erit horrendum praecipitium. Porro quum dicit *iustus vix servari*, hoc ad praesentis vite difficultates referri debet. Nam cursus noster in mundo temquam periculose navigatio est inter multos scopulos, multisque procellis ac tempestatibus infesta. Nemo itaque ad portum pervenit, nisi qui effugerit ex mille mortibus. Interea certum est, nos regi Dei menu, ne esse nobis periculum a neufragio, quemdiu illum habemus gubernatorem. Quere absurdum fuerunt interpretes, qui puterunt, nos eegre ac difficulter servendos esse, ubi ad Dei iudicium ventum fuerit. Praesens enim tempus, non futurum Petrus designat; nec Dei rigorem predicat, sed docet, quot et quam ardue discrimina superenda sint homini Christiano, priusquam ad metem pertingat. Peccator hic pro scelere coaptur, quemadmodum instos nominet non qui pevitus absoluti sint in iustitia, sed qui recte vivere student.

19. *Itaque qui patiuntur.* Concludit, aequo enim ferendas esse persecutiones, quia in illis facilius multo est piorum conditio, quam infidelium, quum prosperis rebus ad votum fruuntur. Reducit tamen in memoriam, nihil nisi Dei permissu nos pati, quod multum ad consolationem valet. Quum dicit: *Animas suas Deo commendent*, perinde est, acsi dixisset: Se ipsos ac vitam suam tredeat in fidem Dei. Porro eum vocat *fidum possessorem*, quia fideliter servet ac tuetur, quicquid in tutelem suam vel dominiuum recepit. Alii conditorem vertunt, et *πίστις* utrumque Graecis significat; sed prior sensus mihi magis placet, quia, dum vitam nostram deponi iubet apud Deum, ipsum eius custodem fecit. Addit: *in bene faciendo*, na fideles illates sibi injurias retalient, sed potius benefaciendo certent cum improbis, a quibus laeduntur.

## CAP. V.

1. Presbyteros, qui inter vos sunt, hortor ego, qui simul sum presbyter et testis passionum Christi, et gloriae, quae revelabitur, particeps: 2. Pascite, quantum in vobis est, gregem Dei (vel Christi, vel Domini), episcopatu fungentes non coacte, sed voluntarie, neque turpis lucri causa, sed liberaliter; 3. Nec tamquam dominium exercentes adversus clericos, sed ut sitis exemplaria gregis. 4. Et quum apparuerit princeps pastorum, reportabitis immarcessibilem gloriae coronam.

Dum pastores ad officium hortari vult, tria potissimum vitia notat, quae plurimum obesse solent: pigritiam scilicet, lucri captandi cupiditatem et licentiam dominandi. Primo vitio opponit alacritatem aut voluntarium studium, secundo liberalem affectum, tertio moderationem ac modestiam, qua se ipsos in ordinem cogent. Dicit ergo, pastores non debere sollicitos esse de grege Domini, quantum necessitas cogit duntaxat. Nam qui non plus praestare student, quem necesse est, defunctorie et negligenter ad opus se applicent. Vult ergo, quod agunt, sponte ipsos agera, ut sedulo ad munus suum intenti sint. Ut avaritiam corrigat, iubet ipsos propenso affectu facere officium. Quisquis enim huic finem non habuerit propositum, ut se at operam suam ingenue et libenter ecclesiae impendat, non Christi minister erit, sed ventris aut crumanae mancipium. Tertium vitium, quod taxat, est dominandi libido. Sed quaeritur, quae dominationis genus intelligat. Verum hoc mihi ex opposito membro posse colligi videtur, ubi iubet, ipsos esse formem gregis vel exemplar. Perinde enim est, acsi diceret, eos praeesse in hunc finem, ut sanctitatem emineant, quod fieri non potest, nisi se ad suam vitam modeste subiciant communi regulae. Huic virtuti opponitur tyrannica superbia, dum pastor sa ipsum omni subiectione eximens, ecclesiam servitute opprimit. Hoc pseudoprophetae Ezechiel (34, 4.) exprobrat, quod austere dominantur et cum imperio; Christus atque (Matth. 23, 4.) Phariseis, quod onera importabilia populi humeris imponant, quae ne digito quidem volunt attingere. Ergo non aliter corrigi potest imperiosus ille rigor, quem mali pastores in ecclesiam exercent, nisi quum huc rastringitur eorum auctoritas, ut praesint honesto vitae exemplo.

1. *Presbyteros.* Hoc nomine pastores designat, et quicumque ad ecclesiae regimen constituti erant. Vocarunt autem presbyteros vel seniores honoris causa, non quod aetate omnes essent senes; sed quia ex senibus praecipue eligebantur. Senectus enim ut plurimum at prudentiae et gravitatis et experientiae plus habet. Caeterum quia interdum (ut Graeco proverbio fertur) non est canities sapientia, et reperiuntur iuvenes magis idonei, qualis fuit Timotheus: hos quoque vocari presbyteros, postquam sunt in ordinem cooptati, usu receptum est. Quum Petrus se *presbyterum* similiter nominat, hinc apparet, commune fuisse nomen; quod etiam ex compluribus locis clarius patet. Porro hoc titulo auctoritatem sibi conciliat, acsi diceret, se iura suo monera pastores, quia unus sit ex ipsis; debet enim mutus haec libertas inter collegas esse. Quod si ius primatus habuisset, poterat illud obtendere; idque ad praesentem causam aptius fuisset. Verum quamvis apostolus esset, sciebat tamen, minime delatum sibi esse imperium in collegas; sed potius societate officii se reliquis esse con-



iunctum. *Testis passionum.* Potest hoc de doctrinam exponi; malo tamen ad vitam referre, quamquam utrumque probabile est; sed posterius hoc ideo magis amplector, quia melius inter se cohaerent haec duo membra: quod Christi passiones in carne sua praesentet Petrus, et futurus sit etiam gloriae consortis. Convenit enim haec sententia cum illa Pauli (II. Timoth. 2, 12.): Si compatimur, etiam coregnabimus. Deinde hoc ad faciendam verbis fidem non parum valet, quod per crucis tolerantiam fidei suae experimentum dedit. Nam hinc constat, serio eum loqui; et Dominus, quum suos hoc modo probat, quasi obsignat eorum ministerium, ut plus dignitatis et reverentiae habeat apud homines. Huc siquidem spectat Petri consilium, ut audiat tamquam fidus Christi minister; cuius rei documentum proponit in persecutionibus, quas passus erat, et in spe futurae vitae. Observandum autem, quod Petrus intrepide se consortem gloriae praedicat, quae nondum revelata est. Haec enim est fidei natura, acquiescere bonis absconditis.

2. *Pascite, quantum in vobis est.* Hinc calliginus, quid valeat nomen presbyteri, nempe quod in se contineat pascendi munus. Longe in aliud finem suos presbyteros creat papa, ut scilicet quotidiana Christum immolent; in eorum ordinatione nulla pascendi mentio. Proinde meminerimus, Christi ordinem a papae confusione discernerem, tamquam lucem a tenebris. Tenenda est quoque verbi definitio, quia pasci grex Christi non potest, nisi pura doctrina, quae sola spiritalia est pabulum. Quare pastores non sunt vel mutae larvae, vel qui sua signata quasi mortifera venena ad necandas animas spargunt. Particula *quantum in vobis est*, tantundem valet, ac si dixisset: Huc intendite omnes nervos, et, quicquid facultatis vobis contulit Deus, impendite. Vetus interpret reddiderat: Qui in vobis est; atque hic potest esse verborum sensus; veterior tamen est Erasmi interpretatio, quam sequutus sum, etsi altaram illam non refallo, neque improbo. *Gregem Dei*, an Domini, an Christi legas, parum refert; nam haec tria leguntur in diversis codicibus. *Episcopatu fungentes.* Erasmus reddidit: Curam illius agentes; sed quum sit Graeca *ἐπισκοποῦντες*: non dubito, quin Petrus ipsum episcopatum officium et nomen exprimere voluerit. Colliigi atque potest ex aliis scripturae locis, haec duo esse synonyma, episcopum et presbyterum. Praecipit ergo, quomodo munus pastorale recte exercent, quamquam verbum *ἐπισκοπῆν* alias generaliter significat praeesse, vel inspectionem habere. Ubi posui: *non coacte*, ad verbum est: *non necessario*, quia, dum agimus ad necessitatis praescriptum, lente et frigide, tamquam coacti, in opera progredimur.

3. *Dominium exercentes.* Quia Graecis propositio *κατὰ* fere in malam partem capitur: taxat hic Petrus praeposteram dominationem, qualis est eorum, qui, se ministros esse Christi et ecclesiae non reputantes, plus aliquid appetunt. *Cleros* autem appellat particulares ecclesias. Nam quum universum ecclesiae corpus haereditas sit Domini: ut per oppida et pagos distributa sunt ecclesiae, totidem sunt veluti praedia, quorum culturam singulis presbyteris assignat. Nimis imperite quidam de clericis (quos vocant) hoc dictum putant. Vastus quidem fuit ille loquendi modus, ut totum ordinem ministrorum clericum vocarent; sed utinam patribus nunquam venisset in mentem ita loqui, quia, quod toti ecclesiae scriptura communiter tribuit, minime consentaneum fuit ad paucos homines restringere. Et hic loquendi modus adulterinus fuit, vel saltem a recto apostolorum usu degener. Nominatim vero Petrus ecclesias hoc titulo commendat, ut sciamus, Domino eripi, quicquid ad se homines trahunt, sicuti multis locis peculium suum et virgani haereditatis suae ecclesiam nominat, dum integrum sibi domi-

nim vult assere. Neque enim regnum pastoribus tradit, sed eam adiungit duntaxat, ut ius illi suum interea salvum maneat.

4. *Quum apparuerit.* Nisi in hanc finem intenti sint pastores, fieri nullo modo potest, ut graviter in cursu vocationis suae pergant, quin potius subinde deficerent. Nam innumera sunt offensa, quae exanimare possent atiam optime cordatos. Saepe cum ingratis hominibus negotium est, a quibus rapenditur indigna merces; longi et immensi labores saepe irriti; Satan perversis suis machinationibus interdum praevalet: ergo ne frangatur pius Christi servus, unicum hoc remedium habet, ut in Christi adventum oculos convertat. Ita fiet, ut summo laborem, qui carere profectu videtur apud homines, graviter quisque obeat, cui tanta merces apud Dominum sit reposita. Porro ne longior expectatio languorem gignat, simul praedicat amplitudinem mercedis, quae ad moram compensandam valere debet. Vos, inquit, *immarcessibilis gloriae corona* manet. Notandum etiam, quod Christum vocat *pastorum principem*, quia non nisi sub ipso eiusque nomine ecclesiam regimus, ut sit nihilominus ipse in solidum pastor. Itaque *princeps* hic non praecipuum modo significat, sed eum, cuius potestati reliquos omnes subesse oportet, sicuti non nisi eius mandato et nomine personam hanc sustinent.

5. Similiter iuniores subiecti estote senioribus: sic et omnes alii aliis subiiciamini. Humilitatem animi induite, propterea quod Deus superbis resistit, humilibus vero dat gratiam. 6. Humiliamini ergo sub potenti manu Dei, ut vos extollat, quum erit opportunum, 7. Omni cura vestra la eum coniecta, quoniam illi cura est vestri.

5. *Iuniores.* Seniores alio sensu hic ponit quam prius. Necessesse enim est, quum antithesis sit inter eos et iuniores, ut membra inter se respondeant. Ergo aetate senes vocat, quum prius de officio loquutus sit; atque ita a specie conscendit ad genus. Iubet autem in summa, unumquemque, ut est aetate inferior, parere maiorum consiliis, seque docilem et modestum praebere. Est enim iuvenum praesertim lubrica aetas, quae freno opus habet. Deinde non poterunt officium facere pastores, nisi vigeat ac colatur haec reverentia, ut minores patientur se gubernari. Nam si nulla est subiectio, eversa est politia. Ubi eorum, qui vel iure vel naturae ordine praeesse debent, nulla est auctoritas, statim proterve omnes lasciviunt. *Et omnes.* Finem ostendit, cur iuvenes senibus obtemperare debeant: ut scilicet inter omnes constet aequabilitas et temperatura. Neque enim, quum senibus defertur auctoritas, ius vel licentia illis datur excutiendi freni; sed ipsi quoque in ordinem coguntur, ut mutua sit subiectio. Sic maritus caput est uxoris; sed tamen illi aliquo modo vicissim subiectus est. Sic pater imperium habet in filios; nec tamen omni subiectione eximitur, quin ipsis aliquid debeat. Idem et de reliquis sentiendum. Denique omnes gradus politici ad tuendum universi corporis statum pertinent; quod fieri non potest, nisi membra omnia mutuo subiectionis nexu inter se cohaerent. *Humilitatem animi induite.* Nihil humano ingenio magis adversum est, quam subiectio. Vere enim illud olim dictum est: regis animum quemque intra se habere. Donec ergo subiecti fuerint alti illi spiritus, quibus surget hominum natura: nemo alteri cedere volet, quin potius singuli, aliis contemptis, omnia sibi arrogabunt. Quare prudenter apostolus, ut modestia inter nos locum habeat, fastum et superbiam corrigit. Elegans autem est metaphora, qua utitur, acsi diceret: *Omni ex parte am-*

plectimini humilitatem, sicuti vestis totum corpus tegit. Interea significat, nullum pulchriorem esse ornatum aut decentiorem, quam tibi nos submittimus. *Propterea quod.* Est gravissima comminatio, quod, quicumque ea efferre cupient, hostem habituri sint Deum, qui eos prosternet; contra vero humiles propitium et faventem. Fingendae sunt nobis duae manus Dei: altera, quae sursum, veluti malleus, deiiciat ac conterat, qui se attollunt; altera, quae humiles, qui sponte se demittunt, excipiat, veluti stabilis fulcra ad eos sustinendos. Hoc si vere persuasum et animis nostris infixum esset, quis superbiendo auderet bellum cum Deo suscipere? Nunc spes impunitatis facit, ut in coelum usque cornu attollere non horreamus. Sit igitur haec Petri sententia, quasi coeleste fulmen ad humiliandos homines. Caeterum *humiles* vocat, qui omni propriae virtutis, sapientiae et iustitiae fiducia exinaniti, quicquid boni est, in solo Deo quaerunt. Si non nisi hac via ad Deum pervenitur, quis non propriae gloriae oblitus libenter submittare se debet?

6. *Humiliamini ergo.* Semper tenendum est, in quam finem nos coram Deo humiles esse iubeat: ut scilicet faciles atque humani fratribus simus, nec recusemus nos illis subiacere, quantum postulat caritatis ratio. Ergo qui fastuosi sunt vel praefracti erga homines, eos dicit adversus Deum protervire. Proinde hortatur omnes pios, ut Dei potentiae se subiciant. Et *manum Dei potentem* vocat, quo plus incutiat terroris. Tametsi enim perpetuum est manus Dei epithetum: hic tamen ad praesentis causae circumstantiam accommodatur. Caeterum quia timere vulgo solemus, ne damno sit nobis nostra humilitas, et alii hac occasione magis insolescant: occurrit Petrus, ac eminentiam promittit omnibus, qui se submiserint. Sed addit: *in tempore*, ut nimiae festinationi simul obviam eat. Significat ergo, opus esse, ut humilitatem ad tempus discamus; Dominum vero satis tenere, quando nos attolli expediat. Ita eius consilio permittere nos decet.

7. *Omni cura vestra.* Expressius adhuc nobis commendat Dei providentiam. Unde enim haec proverbialia, ululandum esse inter lupos; item, stultos esse, qui ovibus sunt similes, quia lupis se vorandos exponunt; nisi quia putamus nostra modestia frenum laxari impiorum audaciae, ut petulantius nobis insultent? Porro hic motus ex divinae providentiae ignorantia nascitur. Contra autem simul atque hoc constitutum fuerit, curam nostri esse Deo, facile ad patientiam et mansuetudinem compositi erant animi. Ergo ne hominum improbitas ad ferociem nos sollicitet, hoc remedium praescribit apostolus, sicut et David Psalmo 37., ut cura nostra in Deum reiecta interim quiescamus. Nam qui in Dei providentiam non recumbunt, eos omnes assidue secum tumultuari necesse est, et violento impetu adversus alios ruere. Quo magis in hanc meditationem incumbere nos oportet, Deum habere curam nostri, primum ut pax nobis interne constet; deinde ut erga homines modesti mansuetique simus. Caeterum non ita iubemus coniciere omnem in Deum curam, quasi nos lapideis cordibus praeditos, omnique sensu privatos esse Deus velit; sed ne trepidatio vel anxietas nimia ad impatientiam nos impellet. Similiter divinae providentiae cognitio non ita omni cura liberat, ut secure sibi homines indulgeant; neque enim carnis torporem, sed quietem fidei nobis afferre debet.

8. Sobrii estote, vigilate, quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circumit, quaerens, quem devoret (vel *quempiam devorare*). 9. Cui resistite firmi fide, scientes, easdem passiones vestrae, quae in mundo est, fra-

ternitati adimpleri. 10. Deus autem omnis gratiae, qui nos vocavit in aeternam suam gloriam per Christum Iesum, pauperum afflicto ipse vos perficiat, confirmet, corroboret, stabiliat. 11. Ei gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

8. *Sobrii estote.* Haec exhortatio latius patet, nempe quia illa bellum est cum hoste acerrimo et potentissimo, ut ad resistendum intenti sint. Duplici autem metaphora utitur: ut sobrii sint, et excubias agant. Ignaviam at somnum orapula generat: ita etiam, qui se terranis curis aut voluptatibus ingurgitant, spirituali veterno oppressi, nihil cogitant. Nunc tenemus apostoli mentem. Nobis in hoc mundo militandum esse dicit, ac negotium esse admonet eum hoste non vulgari, sed qui instar leonis huc illuc cursitet, paratus ad vorandum. Hinc sedulo excubandum esse colligit. Eodem argumento studium nostrum acuit Paulus, ad Ephesios cap. 6., quum dicit, non esse nobis certamen cum carne et sanguine, sed eum spiritualibus naquitibus etc. Pace enim ut plurimum ad desidiam abutimur, atque hinc fit, ut nos subinda hostis circumveniat et opprimat, quia, tamquam extra periculum constituti, pro carnis libitu delioiamur. Laoni diabolum comparat, acsi diceret, trulentam esse belluam. *Circumire* dicit ad devorandum, ut nos ad cavendi studium excitet. *Adversarium* piorum nominat, ut sciant, hoo lege se Deum colere, et Christi fidem profiteri, ut cum diabolo continuum bellum habeant. Neque enim membris parcat, qui cum capite praeliatur.

9. *Cui resistite.* Sicuti hostis potentia nos acuere, et magis sollicitos reddere debet: ita periculum esset, ne occupati immodico terrore animi conciderent, nisi spes victoriae ostenderetur. Id ergo nunc agit apostolus, ut sciamus, prosperum fore balli aventum, si quidem militemus sub Christi vexillo. Quisquis animi fide instructus in certamen descendet, eum fore certo victorem pronuntiat. *Resistite*, inquit. Si quis obliiciat: Quomodo? Respondat, in fide satis esse firmitudinis. Paulus eo, quem super citavi, loco (Ephes. 6, 15.), singulas armaturae partes recenset. Idem tamen est sensus, quia, teste Iohanne, una fides victoria nostra est adversus mundum. *Scientes eandem passionem.* Altera consolatio, quod nobis cum omnibus filiis Dei commune est certamen. Nam periculose nos tentat Satan, quum a Christi corpore nos separat. Audimus, qualiter animum Iobi parcellere conatus sit (Iob 5, 1.): Respice ad sanctos, an ullus eorum tala aliquid passus sit. E converso hic apostolus nos monet, nihil nobis accidere, quod non in reliquis ecclesiae membris cernamus. Porro minime recusanda nobis est cum sanctis omnibus societas, vel similis conditio. Quum dicit: *adimpleri eandem passionem*, significat, quod dicit Paulus ad Coloss. 1, 24., perfici quotidie in fidelibus, quae desunt passionibus Christi. Particula: *quae in mundo est*, bifariam potest exponi: vel quod promiscue ubique gentium Deus fideles suos exerceat; vel quod militandi necessitas, quamdiu in mundo sumus, nos maneat. Notandum autem, quod, quum prius dixisset, nos a Satana oppugnari, statim omne genus afflictionum comprehendit. Unde colligimus, semper cum spirituali hoste nobis negotium, undecunque prodeant res adversae, sive nos premant morbi, sive agrorum sterilitas famem minatur, sive nobis molesti sint homines.

10. *Deus autem omnis gratiae.* Postquam satis incubuit in monitiones, nunc se ad preorationem convertit. Nam frustra in aera fundetur doctrina, nisi Deus per spiritum suum operetur. Atque hoc exemplum sequi debent omnes Dei ministri, ut successum det

ipse eorum laboribus, quando alias plantando aut rigando nihil proficiunt. Nonnulli codices habant futurum tempus, etsi esset promissio; sed altera lectio magis recepta est, quemquam apostolus Deum precando simul eos confirmet, quibus scribit. Nem quum Deum *omnis gratiae* auctorem nuncupet, et illis revocet in memoriam, quod in gloriam aeternam vocati sint: huc procul dubio intendit, ne dubitent, opus salutis esse ab eo, qui coepit, perfectum iri. *Deus omnis gratiae*, est effectus, more Hebraico; et *omnem gratiam* nominatim exprimit, primum ut discant, quicquid est honorum, referra acceptum Deo; deinde alias cum aliis gratias coniungere, ut eam, quae sibi adhuc desunt, occasione in futurum sperent. *Qui vocavit nos*. Hoc (ut dixi) ad augendam fiduciam valat, quia Deus non bonitate modo sua, sed beneficiis etiam provocatur ad nos magis ac magis invandos. Nec simpliciter vocationis meminit; sed docet, quorsum vocati sint, nempe ad aeternam gloriam. Praeterea vocationis fundamentum statuit in Christo. Utrumque ad perpetuitatis fiduciam valet. Nam si vocatio nostra in Christo fundata est, et partingit ad coeleste Dei regnum et beatam immortalitatem: hinc sequitur, non fluxam esse nec caduam. Obiter etiam observare conavit, quum dicit, in *Christo* nos vocatos esse, primum stabiliri vocationem, quae probe fundata sit; deinde omnem nostrae dignitatis ac meriti respectum excludi. Nem quod Deus per evangelii praedicationem nos ad se invitat, id iam est gratuitum, maioris etiam gratiae, quod efficaciter corde nostrae afficit, ut voci suae obediemus. Fideles autem peculiariter alloquitur Petrus: ideo cum externa doctrina spiritus efficaciam coniungit. Pro tribus verbis, quae sequuntur, alii codices habent tria nomina ablativi casus, quae possunt in gerundia resolvi: fulciendo, roborando, stabiliendo. In eo tamen parum est momenti, quod ad sensum attinet. Caeterum quod pluribus verbis rem unam designat Petrus, nempe fidelium confirmationem, hoc ideo fecit, ut sciemus, rare esse difficultatis cursum nostrum persequi, et proinde singulari Dei gratiae opus esse. Particule *paulisper afflictos*, quae hic inserta est, significet, breve esse afflictionum tempus. Atque haec quoque non levis est consolationis materia.

11. *Ei gloria*. Quo plus fiduciae piis addat, statim pronunciat in gratiarum actionem, quemquam hoc tam indicativo, quam optandi modo lagi potest: eodem tamen fere sensu.

12. Per Silvanum vobis fidum fratrem (ut arbitrator) paucis scripsi, exhortans et testificans, hanc esse veram gratiam, in qua statis. 13. Salutatio vos, quae in Babylone est, ecclesia simul vobiscum electa, et Marcus filius meus. 14. Salutatio vos invicem in osculo caritatis. Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Iesu.

12. *Per Silvanum*. Hac epistolae clausula eos ad fidei constantiam hortetur, imo hoc scribendi consilium sibi fuisse esserit, ut eos in doctrinae, quemplexi erant, obedientiam retineret. Sed primo epistolam e brevitate commendat, ne illis molesta sit lectio; deinde addit brevem nuntii commendationem, ut viva etiam vox ad scriptum excedat; huc enim spectet testimonium, quod reddit eius fidei. Caeterum exceptio haec ut *arbitrator* vel modestiae causa addita est, vel ut certo sciant, eum ex animi sui sensu loqui. Eret autem absurdum, ipsos tanti apostoli iudicio non subscribere. *Exhortans et testificans*. Quem difficile sit in suscepta fide perstare, testes sunt quotidianae multorum defectiones; nec vero id mirum est in tanta hominum levitate et inconstantia, deinde in tanta

ad vanitatem propensione. Porro quia firmas et perpetuas habere radices nulla doctrina potest in hominum cordibus, si qua dubitatione sit implicita, certam Dei veritatem esse testatur, in qua edocti sunt. Et certe nisi animis nostris constet haec certitudo, necesse erit subinde vacillare, et flexibiles esse ad quemvis novae doctrinae ventum. Per Dei gratiam fidem cum suis effectis et fructibus intelligit.

13. *Quae in Babylone.* Multi ex veteribus Romam aenigmatica putarunt notari. Hoc commentum papistae libenter arripiunt, ut videatur Petrus Romanae ecclesiae praefuisse. Nequus enim deterret eos nominis infamia, modo sedis apostolicae titulum praetexere ipsis liceat; nec Christum magnopere curant, modo Petrus ipsis relinquatur. Quinetiam modo retineant cathedrae Petri nomen, nam Romam in profundis inferis collocare non recusabunt. Atqui vetus illud commentum nihil habet coloris, nec video, cur Eusebio et aliis placuerit, nisi quia illo errore iam occupati erant, Petrum Romae fuisse. Adde, quod secum ipsi pugnant. Marcum octavo Neroneis anno Alexandriae mortuum esse tradunt; Petrum vero sex annis postea fingunt Romae a Nerone fuisse occisum. Si Alexandrinam ecclesiam Marcus (ut volunt) constituit, diuque illo episcopatu functa est; nunquam potuit Romae esse cum Petro. Nam quod Eusebius et Hieronymus Romanam Petri sessionem in viginti quinque annos extendunt, id facile refellitur ex epistolae ad Galat. cap. 1. et 2. Quum itaque Marcum tunc secum Petrus comitem habuerit, quum scripsit hanc epistolam: Babylone fuisse probabilius est. Atque id quoque eius vocationi fuit consentaneum. Scimus enim, peculiariter datum fuisse apostolum Iudaeis: quare eas praecipue regiones lustrabat, in quibus maior erat gentis suae frequentia. Quod ecclesiam illic esse dicit eiusdem electionis participem, huc spectat, ut inde alii magis ac magis in fide se confirmet. Erat enim hoc magnum, Iudaeos ex tam remotis mundi plagis in unam ecclesiam colligi. *Filius meus.* Sic Marcum appellat honoris causa; ratio tamen est, quod eum in fide genuerat, sicut Timotheum Paulus. De osculo alibi dictum est. Vult autem hoc osculum esse caritatis, ut animi sinceritas externae caerimoniae respondeat.

---

## ARGUMENTUM

## EPISTOLAE SECUNDAE PETRI.

**D**e hac epistola quod olim fuisse dubitatum refert Eusebius, ab eius lectione nos avertere non debet. Nam si nudae hominum auctoritati stetur, quandoquidem, a quibus mota sit haec quaestio, subticet, non plus illis deferre necesse esset, quam hominibus ignotis. Et postea subiicit, passim sine controversia fuisse receptam. Magis aliquanto me movet, quod scribit Hieronymus, quosdam styli diversitate adductos Petrum auctorem non putasse. Nam quamvis aliqua notari possit affinitas: fateor tamen manifestam esse discrimen, quod diversos scriptores arguat. Sunt et aliae probabiles coniecturae, ex quibus colligera liceat, altarius esse potius quam Petri. Interim omnium consensu adeo nihil habet Petro indignum, ut vim spiritus apostolici et gratiam ubique exprimat. Quod si pro canonica recipitur, Petrum eius auctorem fateri oportet, quando non tantum nomen eius inscriptum habet, sed ipse etiam testatur cum Christo se vixisse. Haec autem fictio indigna esset ministro Christi, obtendere alienam personam. Sic igitur constituo, si digna fide censetur epistola, a Petro fuisse profectam: non quod eam scripserit ipse, sed quod unus aliquis ex discipulis, ipsius mandato complexus fuerit, quae temporum necessitas exigebat. Nam tunc eum extrema fuisse senectute, verisimile est; morti enim se vicinum esse dicit. Et fieri potest, ut, piorum rogatu, hoc sensus sui testimonium sub mortem consignari passus fuerit, quod eo mortuo bonis fulciendis et impiis reprimendis nonnihil valeret. Certe quum in omnibus epistolae partibus spiritus Christi maiestas se exerat, eam prorsus repudiare mihi religio est, utcunque genuinam Petri phrasin hic non agnoscam. Caeterum quia de auctore non constat, nunc Petri, nunc apostoli nomine promiscue uti mihi permittam. Iam venio ad argumentum, quod breviter tantum indicare sufficiet. Hic scopus est, ut, qui semel rectam Christi fidem professi sunt, vocationi suae ad extremum respondeant. Postquam ergo Dei gratiam magnifice extulit, sanctitatem vitae illis commendat, quoniam Deus plerumque fallacem nominis sui praetextum horrenda excaecatione in hypocritis punire solet; contra autem dona sua auget iis, qui pietatis doctrinam vere et ex animo amplexi sunt. Hortatur ergo, ut suam vocationem pie vivendo approbent. Et quo plus habeat ponderis haec admonitio, se iam morti vicinum indicat, et simul excusat, se eadem ideo saepius repetere, ut, qui se mortuo superstites in terra manebunt, altius animis infixae habeant, quae vivus scripserit. Quoniam autem totius pietatis fundamentum est evangelii certitudo, quam indubia sit eius veritas, primum ex eo demonstrat, quod ipse omnium, quae illic habentur, oculatus fuerit testis, ac praesertim quod Christum audierit et coelo pronuntiari Dei filium; deinde quod prophetarum oraculis Deus illam testatam ac comprobata esse voluerit. Simul tamen tam a falsis doctoribus, qui impia signa spargant, quam a Dei contemptoribus, qui totam religionem subsannent, periculum instare praedicit, quo fideles ad cavendum instructi sint ac muniti. Videtur autem hoc consulto dicere, ne sibi tranquillum et aequabilem, atque ab omni certamine remotum doctrinae cursum sub regno Christi promittant.

Postea, quasi in tabula, ingenium moresque eorum depingit, qui suis corruptalis Christianismum inquinaturi erant. Porro descriptio, quam prosequitur, in nostram aetatem maxime competit, sicuti magis patebit ex comparatione. Stylum enim praecipue stringit in Lucianos homines, qui ad omnem nequitiam proiecti profanam licentiam ad Dei contemptum inducunt, imo spem futurae vitae penitus ludibrio habant, qua hominum colluvie mundum videmus passim hodie refertum. Fideles porro hortatur, non modo ut suspensis erectisque animis Christi adventum semper expectent, sed etiam ut diem illum quasi praesentem sibi ante oculos statuunt; interea vero se Domino impollutos custodiant. In qua doctrina Paulum sibi facit socium ac suffragatorem, atque ut sine scripta ab impiorum calumniis vindicet, omnes, qui alio ipsa detorqueant, severe damnat.

---



## PETRI APOSTOLI EPISTOLA SECUNDA,

CUM

IOH. CALVINI

## COMMENTARIIS.

## CAP. I.

1. Simeon Petrus servus et apostolus Iesu Christi iis, qui aequae pretiosam nobiscum sortiti sunt fidem, per iustitiam Dei nostri et servatoris Iesu Christi. 2. Gratia vobis et pax multiplicetur per cognitionem (vel cum agnitione) Dei et Iesu Domini nostri, 3. Quemadmodum divina eius potentia omnia nobis, quae spectant ad vitam et pietatem, dedit per cognitionem eius, qui vocavit nos propria gloria et virtute (vel per gloriam et virtutem), 4. Quibus et maximae et pretiosae promissiones nobis donatae sunt, ut per haec fieretis divinae consortes naturae, ubi fugeritis corruptionem, quae in mundo est in concupiscentia.

1. *Simeon Petrus.* In hoc epistolae exordio praestio primum locum obtinet; deinde sequitur gratiarum actio, qua Iudaeos incitat ad gratitudinem, ne obliviscantur, quae et quanta beneficia iam ex manu Dei acceperint. Cur se *Iesu Christi servum et apostolum* inscribat, alibi diximus, quia scilicet nemo in ecclesia audiendus, nisi tamquam ex ore Christi loquatur. Porro servi nomen magis generale est, quia omnes Christi ministros complectitur, qui publicum aliquod munus in ecclesia sustinent. In apostolatu altior est honoris gradus: significat ergo, se non quemvis esse ex grege ministrorum, sed a Domino constitutum esse in ordine apostolico, qui inter reliquos eminebat. *Iis, qui aequae pretiosam.* Hoc ad commendationem gratiae valet, qua Deus omnes suos electos promiscue dignatus erat. Neque enim hoc vulgare erat donum, quod in unam et eandem fidem omnes vocati fuerant, quum fides praecipuum sit ac summum hominis bonum. Porro *aequae pretiosam* vocat, non quod in omnibus sit aequalis, sed quia eundem omnes Christum cum eius iustitia, et eandem salutem fide possident. Tametsi ergo dispar est fidei mensura, id non impedit, quin omnibus communis sit Dei cognitio et fructus, qui inde provenit: ita nobis cum Petro et apostolis vera est fidei societas. Addit: *per iustitiam Dei*, ut sciant se non propria industria aut virtute fidem esse adoptos, sed habere ex mero Dei dono. Sunt enim res inter se oppositae iustitia Dei (quo sensu hic capitur) et hominis meritum. Nam ideo effectrix, fidei causa vocatur iustitia Dei, quod nemo ad eam sibi conferendam est idoneus. Ita iustitia intelligi debet non quae inclusa in Deo maneat, sed quae in homines se diffundit, sicuti Rom. 3, 22. Praeterea hanc insitiam communiter Deo et Christo attribuit, quia ex Deo manet; per Christum autem ad nos usque defluit.

2. *Gratia vobis et pax.* Gratiae nomine paternum erga nos Dei favorem notari cartum est. Semel quidem reconciliati sumus Deo per Christi mortem, et fide in huius tanti boni possessionem venimus; sed quia pro fidei nostrae modo percipimus Dei gratiam, dicitur augeri, quo ad sensum nostrum, dum nobis familiarius innotescit. Additur *pax*, quia, sicuti hoc nostrae beatitudinis initium est, ut nos Deus in gratiam recipiat, ita, quo magis sumus in cordibus nostris amorem confirmat, eo locupletius sua nos benedictione prosequitur, ut nobis bene sit in omnibus ac prospere. *Per agnitionem.* Ad verbum est: in agnitione; sed particula *per* valet per vel cum. Tametsi uterque sensus contextui quadrare potest: ego tamen priorem libentius amplector. Nam quo quisque magis in Dei cognitione proficit, in eo perinde una cum divini amoris sensu augetur omniae bonorum genus. Ergo quisquis ad plenam beatæ vitæ fruitionem adspirat, hanc, quae praescribitur a Petro, viam tenere meminerit. Dei et Christi agnitionem simul connectit, quia rite non potest, nisi in Christo, Deus cognosci, iuxta illud (Matth. 11, 27.): Nemo patrem novit, nisi filius, et cui voluerit filius revelare.

3. *Quemadmodum divina.* Immensam Dei bonitatem, quam experti iam erant, commemorat, quae plus in posterum fiduciae concipiant. Hoc enim Deo perpetuum est, ut beneficentiae suae cursum ad finem usque prosequatur, nisi dum ipsi nostra infidelitate eum abrumpimus. Nempe illi facultas est inexhausta, et par beneficiendi voluntas. Proinde merito apostolus ex superioribus Dei beneficiis fideles ad bene sperandam animat. Eodem pertinet verborum amplificatio. Poterat enim simplicius loqui: Quemadmodum omnia nobis largitus est; sed divinae potentiae nomen exprimens altius consurgit, quod scilicet copiose explicuerit Deus immensa virtutis suae opes. Caeterum hoc posterius membrum tam ad Christum quam ad patrem referri potest, atque utrumque convenit. In Christum tamen aptius competit, acsi dixisset, gratiam, quae ab ipso in nos diffusa est, specimen esse deitatis, quia humanitas id fieri non potuit. *Quae ad vitam et pietatem.* Nonnulli hanc vitam praesentem notari putant, ut pietas sequatur tamquam excellentius donum, acsi duobus istis testimoniis probare vellet Petrus, quam beneficus sit Deus ac liberalis erga fideles, quod ipsos in lucem edidit; quod illis omnia abunde suppeditat, quae ad conservationem terrenae vitae pertinent; deinde quod illos regenuit in spiritualem vitam, dum ipsos pietate ornavit. Verum haec distinctio a Petri menta aliena est, quia, simulac vitae mentionem fecit, mox pietatem adiungit, quae est veluti eius anima. Tunc enim nos vere Deus vivificat, quum nos reformat in obedientiam suae iustitiae. Ita Petrus hic non de naturæ Dei donis loquitur, sed tantum ea praedicat, quae electis suis peculiariter supra communem naturae ordinem confert. Quod nati sumus homines, quod sensu et intelligentia praediti, quod vita nostra necessariis subsidiis iuvatur, hoc quidem totum ex Deo est; quae tamen homines, ut maligni sunt et ingrati, promiscue haec (quae vocant) naturae bona in Dei beneficiis non reputant: ideo hic vulgeris humanae vitae conditio non attingitur; sed propriae novae et spiritualis vitae dotes eligit, quae originem suam ducunt ex regno Christi. Quod si in supernaturalibus Dei donis cansetur, quicquid ad pietatem facit et salutem: discant homines nihil sibi arrogare, sed humiliter petere a Deo, quicquid sibi deesse vident, et, quicquid rursus boni habent, exceptum illi referre. Nam Petrus hic totam pietatis summam, omniaque salutis adiumenta, divinae Christi potentiae vindicans, communi hominum naturae adimit, ut ne minimam quidem ullius virtutis guttam nobis relinquat. *Per cognitionem eius.* Nunc modum describit, quo

nos tantorum bonorum Deus facit compotes, nempe quum se nobis patefacit per evangelium. Dai enim cognitio principium est vitae et primus in pietatem ingressus. Denique nullus spiritualium donorum usus in salutem esse potest, donec evangelii doctrina illuminati Deum cognoscimus. Caeterum huius cognitionis auctorem Deum facit, quia nunquam ad eum accedimus, nisi vocati: ergo non ingenii nostri perspicacia, sed Dei vocatio effectrix fidei causa est. Loquitur autem non de externa tantum vocatione, quae per se est inefficax; sed de interiori, quae arcana spiritus virtute constat, quum Deus non tantum hominis voce in auribus personat, sed intus per spiritum suum corda ad se trahit. *Propria gloria et virtute.* Receptor quidem lectio est: *per gloriam*; sed quia quidam codices habent *ιδία δόξη*, hoc est, propria gloria, atque ipsa reddidit vetus interpres: hanc lectionem amplecti malui, quia sic melius videtur fluere sententia. Nam Petri consilium est, diserte adscribere uni Deo totam salutis nostrae laudem, ut sciamus, nos illi omnia debere. Id autem clarius exprimitur his verbis, quod nos vocaverit propria gloria et virtute. Altera tamen lectio, licet obscurior, in eundem finem spectat. Docet enim, nos ignominia esse opertos at penitus vitiosos, donec nos gloria vestiatur Deus, et virtute ornet. Porro hunc vocationis effectum in electis esse significat, ut reparetur in ipsis gloriosa Dei imago, et reformatur in sanctitatem et iustitiam.

4. *Quibus maximas.* Dubium est, an gloriam et virtutem tantum, an vero superiora etiam referat. Tota difficultas inde oritur, quod gloriae et virtuti, quas nobis Deus confert, hoc non convenit. Quod si legimus: *Propria gloria et virtute*, nihil erit ambiguum nec perplexum. Quaecunque enim nobis a Deo promissa sunt, propriae et merito virtutis eius et gloriae effectus censeri debent, quamquam hic quoque variant codices. Nam aliqui habent *δι' ὧν*, propter quem, ut ad Christum referatur. Utramvis lectionem eligas, hic tamen sensus manebit, Dei promissiones primum maximi aestimandas; deinde gratuitas esse, quia nobis dono sint oblatae. Excellentiam vero promissionum inde ostendit, quod nos tandem efficiant naturae divinae consortes; quo nihil praestantius cogitari potest. Cogitandum enim est, unde nos Deus in tantum honoris culmen evehat. Scimus, quam abiecta sit naturae nostrae conditio: quod ergo Deus ita se nostrum facit, ut sua omnia quodammodo nostra sint, huius gratiae amplitudo satis percipi animis non potest. Quare haec una meditatio abunde sufficere nobis debet, ut mundo renuntiantes toti in coelum feramur. Notemus ergo, hunc esse evangelii finem, ut aliquando conformes Deo reddamur; id vero est quasi deificari, ut ita loquamur. Caeterum *naturae* nomen hic non substantiam, sed qualitatem designat. Manichaei olim nos ex traduce Dei ortos somniabant, et tandem decurso vitae stadio ad originem nostram reverti. Sunt hodie fanatici homines, qui sic in Dei naturam transire nos imaginantur, ut ipsa naturam nostram absorbent. Sic exponunt, quod Paulus dicit (1. Cor. 15, 28.): Deum futurum omnia in omnibus. Eodem quoque locum praesentem trahunt. Atqui nunquam eiusmodi delirium sanctis apostolis in mentem venit; tantum dicere voluerunt, nos omnibus carnis vitiis exutos, sed divinae immortalitatis beataeque gloriae fore participes, ut simus velut unum cum Deo, quantum modulus noster feret. Haec doctrina non proorsus ignota fuit Platoni, qui passim hoc summum hominis bonum esse definit, Deo fieri penitus conformem; verum ut errorum nebulis obvolutus erat, postea ad sua commenta delabitur. Nos vero, supervacuis speculationibus omissis, hoc uno contenti simus, ea lege reparari in nobis Dei imaginem in sanctitate et innocentia, ut simus tandem aeternae vitae et gloriae socii, quantum

ad plenam beatitudinem necessaria est. *Ubi fugeritis.* Iam exposuimus, hoc esse apostoli consilium, ut proposita coelestis gloriae, ad quam nos Deus invitatur, dignitate, nos abstrahat a vanitate huius saeculi. Porro naturae divinae mundi corruptionem opponit. Sed hanc non in elementis, quae nos circumstant, sed in corde nostro esse ostendit, quia illic regnant vitiosi et pravi affectus, quorum fontem vel radicem voce *concupiscentiae* notat. Ergo ita locatur in mundo corruptio, ut sciamus, in nobis esse mundum.

5. Atque in hoc ipsum omne studium applicantes, subministrare in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, 6. In scientia vero temperantiam, in temperantia autem patientiam, in patientia vero pietatem, 7. In pietate autem fraternum amorem, in fraterno vero amore caritatem. 8. Haec enim si vobis adsint, et abunde suppetant, non otiosos neque infructuosos constituent vos in cognitione Domini nostri Iesu Christi. 9. Cui enim haec non adsunt, caecus est, manu palpans, purgationis oblitus veterum delictorum.

5. *Atque in hoc.* Quoniam arduum ac immensae molis opus est, corruptionem, quae in nobis est, exuere: ad eam rem contendere et eniti iubet. Quo significat, non esse hic ignaviae locum, nec lente vel oscitanter obsequendum esse vocanti Deo; sed alacri studio opus esse, acsi diceret: Exserite omnem conatum, ac in medium proferte. Id enim valet participium, quo utitur. *Subministrare in fide.* Ostendit, quorsum fideles eniti deceat, nempe ut fidem habeant honestis moribus, prudentia, tolerantia et caritate ornatam. Fidem ergo significat non debere nudam esse vel inanem, sed has esse individuas eius comites. Subministrare in fide, est fidei adiungere. Non tamen hic proprie est gradatio, quantum ad sensum attinet, utcunque verbis appareat. Neque enim tolerantiam ordine sequitur caritas, vel ex ea procedit. Quare ita simpliciter resolvi potest oratio: Date operam, ut ad fidem vestram accedant virtus, prudentia, temperantia, et quae sequuntur. *Virtutem* pro honesta et bene composita vita accipio; neque enim hio est *ἐθιξις*, sed *ἀρετή*; *scientiam* pro ratione prudenter agendi. Postquam enim generale nomen posuit, praecipuas quasdam hominis Christiani dotes enumerat. *Φιλადελφία* mutuus est inter filios Dei amor. *Caritas* latius patet, quia totum humanum genus complectitur. Potest tamen hic quaeri, quum Petrus subministrandae virtutis partes nobis assignet, an eatenus extollat vim liberi arbitrii et facultatem. Qui liberum arbitrium statuere volunt in homine, Deo quidem concedunt priorem locum, ut agero in nobis incipiat; sed fingunt, nos simul cooperari, atque ita hoc nostrum esse, quod non irriti sunt et inefficaces Dei motus. Atqui perpetua scripturae doctrina huic delirio reclamatur. Palam enim testatur, rectos affectus formari in nobis a Deo, atque ad effectum perducitur; testatur etiam, profectus omnes nostros ac perseverantiam a solo Deo esse; praeterea nominatim prudentiam, caritatem, patientiam, Dei et spiritus dona esse praedicat. Quare dum haec requirit apostolus, minime asserit nos posse; sed tantum quid debeamus ostendit, et quid fieri oporteat. *Fidei* autem hominibus, ubi infirmitatis propriae conscii deficere se in officio vident, nihil aliud restat, nisi ut ad Dei confugiant auxilium.

8. *Haec enim si vobis adsint.* Tunc, inquit, demum Christum a vobis vere fuisse cognitum probabitur, si virtute, et temperantia,

et reliquis dotibus eritis praediti. Est enim res efficax Christi cognitio, et viva radix, quae in fructus emergit. Nam quum dicit haec: *vos constituent non otiosos neque infructuosos*, falso et inaniter Christi notitia gloriari significat, quicunque eam sine caritate, patientia et similibus donis iactat, quemadmodum et Paulus loquitur ad Ephes. capite 4, 20 ss.: Non ita didicistis Christum, si quidem eum audistis, et in eo edocti estis, quemadmodum est veritas in Christo, deponere veterem hominem, qui corrumpitur etc. Eos enim, qui Christum profitentur absquo vitae novitate, nunquam in eius doctrina rite fuisse institutos significat. Nec vero fideles tantum instructos vult esse patientia, pietate, temperantia, caritate; sed continuos horum donorum profectus augmentaque requirit, atque id merito. Longe enim adhuc distamus a meta: quare semper ultra progrediendum, ut in nobis crescant Dei dona.

9. *Cui enim haec non adsunt.* Iam clarius exprimit, alienos prorsus esse a vera intelligentia, qui nudam fidem obtinent. Dicit ergo, tamquam caecos in tenebris errare, quia viam non tenent, quae nobis evangelii luce monstratur. Hoc quoque addita ratione confirmat, quia tales Christi beneficio a peccato se fuisse purgatos oblii sunt. Atqui hoc Christianismi nostri principium est: sequitur ergo, ne prima quidem fidei rudimenta tenere, quibus nullum purae et sanctae vitae studium est. Sumit autem hoc pro confesso Petrus, *purgationis suae oblitus esse*, qui adhuc in carnis sordibus se volunt. Neque enim in hunc finem sanguis Christi nobis lavacrum factus est, ut sordibus nostris inquinetur. Ideo *vetera delicta* nominat, quo intelligit, vitam aliter instituendam esse, ex quo a peccatis mundati sumus. Non quod purus esse quisquam possit ab omni vitio, quamdiu in mundo agit; vel quod mundities, quam consequimur per Christum, unica tantum venia constet; sed quod ab infidelibus differre nos oporteat, ex quo Deus nos sibi segregavit. Tametsi ergo quotidie peccamus, et quotidie nobis Deus ignoscit, et Christi sanguis nos a peccatis mundat; non tamen peccatum in nobis regnare debet, quin praevaleat sanctificatio spiritus. Ita enim Paulus I. Corinth. capite 6, 11.: Et haec quidam fuistis, sed abluti estis etc.

10. Quamobrem magis, fratres, studete firmam vestram vocationem et electionem facere; haec enim si feceritis, non cadetis unquam. 11. Sic enim abunde subministrabitur vobis ingressus in regnum aeternum Domini nostri et servatoris Iesu Christi. 12. Itaque non negligam vos semper de iis commonefacere, etiamsi noveritis, et confirmati sitis in praesenti veritate. 13. Iustum autem admonitor, quamdiu sum in hoc tabernaculo, excitare vos admonitorem, 14. Quum sciam, brevi me depositurum hoc tabernaculum, quemadmodum et Dominus Iesus manifestavit mihi. 15. Dabo autem operam, ut etiam semper post meum discessum possitis horum habere memoriam.

10. *Magis, fratres, studete.* Concludit, hanc esse unam rationem, qua nos a Domino vere electos et non frustra vocatos probemus, si bona conscientia et vitae integritas fidei professioni respondeat. Infert autem, plus adhibendum esse studii ac diligentiae, quia prius dixerat, fidem non debere esse sterilem. Nonnulli codices habent: *bonis operibus*; sed hoc de sensu nihil mutat, quia subaudiendum est, etiamsi non exprimitur. *Vocationem* priorè loco

nominat, quae tamen ordine est posterior. Ratio est, quia electio plus habet momenti. Est autem haec recta orationis dispositio, ut subiiciatur, quod praeponderat. Sensus ergo est: Studete, ut re ipsa testatum fiat, vos non frustra vocatos esse, imo electos, quamquam hic de vocatione loquitur, ut est effectus ac testimonium electionis. Si quis pro eodem sumere malit, non repugnó, quia scriptura interdum discrimen, quod est inter duas istas voces, confundit. Ego tamen, quod magis probabile mihi visum est, adduxi. Nunc exoritur quaestio, an vocationis nostrae et electionis stabilitas bonis operibus nitatur. Nam si ita est, sequetur, a nobis pendere. Atqui tota scriptura docet, primum in aeterno Dei proposito fundatam esse Dei electionem; deinde vocationem gratuita eius bonitate inchoari et perfici. Sophistae, ut ad nos, quod proprium est Dei gratiae, transferant, hoc testimonio abuti solent. Sed nullo negotio refellitur eorum cavillum. Nam si quis intelligat, firmam apud homines reddi vocationem, nihil in eo erit absurdi; longius tamen extendere licet, ut se quisque in vocatione sua pie ac sancte vivendo confirmet. Sed hinc perperam colligi dico, quod sophistae contendunt; est enim haec probatio non ex causa sumpta, sed potius ex signo vel effectu. Porro hoc non obstat, quominus gratuita sit electio; nec facit, ut in manu nostra vel arbitrio sit, ratam facere electionem. Sic enim res habet: Deus efficaciter vocat, quos ante mundum conditum arcano suo consilio praeordinavit ad vitam; idem perpetuum vocationis tenorem mera gratia prosequitur. Sed quia in hunc finem nos eligit et vocat, ut puri simus et immaculati in conspectu suo: vitae puritas non immerito electionis specimen ac documentum vocatur, quo fideles non modo aliis testantur se Dei filios, sed se quoque in hac fide confirmant, sic tamen, ut alibi stant solidum fundamentum, quamquam firmitas ista, cuius meminit Petrus, ad conscientiam (meo iudicio) referenda non est, quasi ea fideles coram Deo agnoscant electos et vocatos; verum simpliciter de re ipsa accipio, quod vocatio ex vitae sanctitate firma appareat. Posset etiam legi: Studete, ut firma fiat vestra vocatio; verbum enim *νομιζομαι* mediatur est; utrumvis tamen legas, non admodum diversus erit sensus. Summa est, discerni hac nota filios Dei a reprobis, dum pie et sancte vivunt, quia hic divinae electionis scopus est. Unde palam fit, quam indigne Deo oblatrent impuri quidam canes, dum gratuitam eius electionem praetextum faciunt omnis licentiae, quasi vero impune ideo peccare fas sit, quia ad iustitiam et sanctitatem praedestinati sumus. *Haec enim si feceritis.* Iterum videtur Petrus operum meritis tribuere, quod Deus salutis nostrae cursum promovet, atque etiam quod constanter perstamus in eius gratia. Sed facilis est solutio, quia tantum docere voluit, in hypocritis nihil esse solidi; contra autem qui vocationem suam bonis operibus firmam esse comprobant, immunes esse a periculo cadendi, quia stabilis est Dei gratia, qua fulciuntur. Hoc modo salutis nostrae stabilitas minime in nobis locatur, ut certe causa eius extra nos est. Verum qui spiritus efficaciam in se sentiunt, eos Petrus bono in posterum animo esse iubet, quia Dominus solidum in ipsis verae et certae vocationis fundamentum iecerit. Modum perseverantiae exponit, quum dicit: *Subministrabitur vobis ingressus.* Cuius loquutionis sensus est: Deus novas identidem gratias large suggerendo ad regnum usque suum vos perducet. Hoc autem ideo additum est, quia, tametsi iam a morte in vitam transierimus, spei tamen est ille transitus; quantum vero spectat ad vitae fruitionem, longum iter adhuc nobis restat. Interea multis necessariis adminiculis destituimur. Quare dubitationi occurrit Petrus his verbis: Dominus inopiae vestrae satis superque succurret, donec in aeternum eius regnum ingressi fueritis. Regnum Chri-

ati appellat, quia non nisi eo duce et auspice in coelum contendimus.

12. *Itaque non negligam.* Quia eorum memoriae vel studio diffidere videmur, quos saepe commonefacimus de re aliqua, modeste excusat apostolus, quod fidelibus rem notam et penitus eorum animis infixam inculcare tamen non desinat, nempe quia hoc postulet rei gravitas et magnitudo. Vos quidem, inquit, probe tenetis, quoniam ait evangelii veritas, neque vos quasi fluctuantes confirmo, sed in re tanta monitiones nunquam sunt supervacuae: quare nunquam molestae esse debent. Simili etiam excusatione utitur Paulus ad Rom capite 15, 14.: Persuasus sum, inquit, de vobis, fratres, quod referti sitis intelligentia, ut possitis alii alios monere; sed confidentius scripsi vobis, quasi in memoriam reducens. *Praesentem veritatem* nominat, in cuius possessionem certa fide iam ingressi erant. Fidem ergo ipsorum commendat, quo constantius in ea infixae maneant.

13. *Iustum autem arbitror.* Hic clarius exprimit, quam utilis adeoque necessaria sit monitionum usus, quia fideles excitare convenit; alioqui enim obrepat a carne torpor. Utcunque igitur doctrina non indigeant; utiles tamen monitionum stimulos esse dicit, ne securitas et indulgentia (ut fieri solet), quod recte didicerunt, obruat, et tandem extinguat. Addit alteram causam, cur magis ad hoc sit intentus: quia breve sibi tempus restare noverit. Strenue, inquit, tempore utendum est; Dominus enim mihi manifestavit, non diuturnam mihi fore vitam in hoc mundo. Hinc colligimus, sicut temperandas esse monitiones, ne populus, cui volumus prodesse, sibi iniuriam fieri putet; sic rursus cavendas esse offensiones, ut tamen doctrina liberum cursum habeat, et exhortationes non cessent. Haec autem moderatio apud eos locum habet, quibus acrior obiurgatio non convenit; sed qui blande potius iuvandi sunt, quum ad officium sponte sint propensi. Docemur etiam Petri exemplo, quo brevius nobis superest vitae spatium, diligentius ad munus nostrum exsequendum incumbere. Vulgo quidem nobis non datur finem nostrum praescire; sed qui vel aetate sunt protracta, vel minus firma valetudine, talibus indicibus de vitae suae brevitate admoniti, magis sedulo instare sibi debent, ut mature peragant, quod Dominus iniunxit. Imo qui robustissimi sunt, et adhuc in medio aetate flore: quia tamen non tam diuturnum obsequium praestare Deo possunt, quam optandum esset, mortis propinqua memoria acuere se ad eandem sollicitudinem debent, ne bene agendi occasio pigre et segniter ad opus accedentibus effluat. Interea non dubito, quin plus auctoritatis et ponderis doctrinae suae acquirere voluerit Petrus, quum sibi curae futurum dicit, ut post mortem suam, quae tunc instabat, harum rerum sint memores. Nam si quis paulo post ex hac vita migraturus nos alloquitur, eius voces quodammodo vim testamenti habent, maioreque reverentia solent a nobis excipi.

14. *Depositurum hoc tabernaculum.* Ad verbum est: brevis tabernaculi huius depositio. Hac loquutione, et postea discessus nomine mortem designat; quod notare operae pretium est; nam hinc docemur, quantum ab interitu mors differat. Porro hinc nimia mortis horror nos consternat, quia nec satis reputamus, quam fluida sit et evanida haec vita, nec perpetuum nobis vitae futurae statum proponimus. Quid autem Petrus? mortem pronuntiat exitum esse e mundo, ut alio migremus, nempe ad Dominum: formidolosa igitur esse nobis non debet, acsi perendum nobis esset, quam morimur. Pronuntiat, depositionem esse tabernaculi, quo dumtaxat obtegemur ad breve tempus. Non ergo est, cur aegre feramus, inde nos abduci. Subest autem tacita antithesis inter caducum taberna-

enlum et perpetuum domicilium, quam Paulus explicat II. Corinth. cap. 5, 1. Quod dicit, revelatum sibi esse a Christo, hoc non ad genus mortis, sed ad tempus pertinet. Quomodo autem, si Babylone oraculum accepit de propinqua morte, Romae crucifixus est? Certe nisi maria et terras momento transvolaverit, procul ab Italia mortuum esse constat. Nam quod papistae, ut sibi Petri cadaver vindicent, Babylonios se faciunt, et Romam dicunt a Petro vocari Babylonem, id suo loco refutabitur. Quod de memoria harum rerum post mortem suam habenda dicit, huc pertinet, ut posterius a mortuo etiam discant. Neque enim aetatis modo suae rationem habuerunt apostoli, sed nobis etiam prodesse voluerunt. Quare utcunque mortui sint, vivit ac viget eorum doctrina. Et nostrum est, ex eorum scriptis proficere, perinde acsi palam essent ipsi nobis ante oculos.

16. Neque enim fabulas subtiliter excogitatas (vel *arte compositas*) sequuti, notam vobis fecimus Domini nostri Iesu Christi potentiam et adventum; sed spectatores facti eius magnificentiae. 17. Accepit enim a Deo patre honorem et gloriam, allata illi a magnifica gloria huiusmodi voce (*Matth. 17, 5*): Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. 18. Et hanc vocem nos audivimus, dum essemus in monte sancto cum illo.

16. *Neque enim fabulas.* Plurimum animi hoc nobis addit, quum scimus, nos in re certa laborare. Itaque ne fideles aerem se verberare putent in suis laboribus, ad praedicandam evangelii certitudinem iam descendit, ac quicquam a se proditum negat, nisi optime compertum ac indubiae fidei. Hinc quoque animantur ad constantiam, dum certiores de prospero vocationis successu redduntur. Ac primo quidem se oculatum esse testem asserit Petrus, quia gloriam Christi, quam annuntiat, ipse oculis spectaverit. Hanc notitiam captiosius fabulis opponit, quales comminisci astuti homines solent illaqueandis simplicium mentibus. Vetus interpres fictas vertit; Erasmus: arte compositas. Mihi videtur subtile ad fallendum artificium notari. Nam interdum Graecis est verbum *σοφισθησας*. Scimus autem, quantum studii impendant homines frivolis argutiis, tantum quia aliquid delectationis habent. Quare non minus serio applicandae sunt mentes ad veritatem minime fallacem et doctrinam minime nugatoriam, sed quae gloriam filii Dei nobis cum salute nostra patefacit. *Christi potentiam et adventum.* Non dubium, quin his vocibus evangelii summam comprehendero voluerit, ut certe nihil praeter Christum continet, in quo absconditi sunt omnes sapientiae thesauri. Duas autem partes distincte ponit: nempe quod exhibitus in carne fuerit Christus; deinde qualis sit virtus eius et efficacia. Sic enim integrum habemus evangelium, ubi eum, qui promissus olim fuerat redemptor, scimus e coelo venisse, induisse carnem nostram, versatum esse in mundo, morte esse defunctum, et tandem resurrexisse. Secundo ubi finem horum omnium et fructum percipimus: nempe ut esset Deus nobiscum; ut certum adoptionis nostrae pignus in se exhiberet, ut spiritus sui gratia perfusus a carnis inquinamenti purgaret, ac consecraret Deo in templo; et ab inferis emersos in caelum attolleret; ut sacrificio mortis suae expiaret peccata mundi; ut nos patri conciliaret; ut iustitiae ac vitae nobis esset auctor. Haec qui tenet, rite in evangelio profecit. *Spectatores facti.* Hinc colligimus, nequaquam servire Christo, aut similes esse apostolis, qui temere in suggestum prosiliunt, ut de speculationibus sibi ignotis garriant.



Hic enim demum legitimus est Dei minister, cui testata est doctrinae, quam tradit, veritas, non quod omnibus constet eadem certitudinis ratio; nam quod Petrus se praesentem fuisse dicit, quum coelesti oraculo pronuntiatus fuit Christus filius Dei, tres solum tunc aderant; alii nihilominus idonei fuerunt testes, nempe quia tot miraculis intuiti erant Christi gloriam, et illustre divinitatis eius specimen in resurrectione habuerant. Nos vero aliter certi quatenus expedit; licet enim non resurrexerit ante oculos nostros Christus, scimus tamen, a quibus de manu in manum prodita nobis fuerit eius resurrectio. Et accedit interius conscientiae testimonium, illa, inquam, spiritus obsignatio, quae omnes sensuum probationes longa superat. Verum meminerimus, evangelium initio ex vagis rumoribus non fuisse conflatum; sed a apostolos eorum, quae viderant, authenticos fuisse praecones.

17. *Acceptit enim a Deo patre.* Exemplum nunc praec aliis eligit memorabile, in quo Christus coelesti gloria ornatus conspicuam divinae magnificentiae speciem tribus discipulis praebuit. Tametsi autem non omnes historiae circumstantias recenset Petrus, uno tamen verbo eas designat, quum dicit, *allatam esse vocem a magnifica gloria.* Hic enim sensus est, quod nihil illic terrenum conspiciabatur; sed coelestis undique maiestas refulgebat. Proinde colligenda sunt magnificentiae signa, quae narrant evangelistae. Atque ita fieri oportuit, quo sanctior esset vocis, quae allata est, auctoritas, quemadmodum videmus non semel a Domino fuisse factum. Neque enim, quum patribus loquutus est, nudas tantum voces personare in aere voluit; sed additis praesentiae suae symbolis, sua esse oracula testatus est. *Hic est filius meus.* Perinde hanc vocem adducit Petrus, ac si sola ad plenam evangelii approbationem sufficeret, idque iure. Nam ubi agnoscitur Christus, qualem cum nobis affert pater, haec ultima est sapientiae nostrae meta. Duo sunt huius sententiae membra. Quod enim dicitur: Hic est, magnam habet emphasis, nempe hunc esse illum Messiam, qui toties promissus fuerat. Quicquid ergo de Messia in lege et prophetis habetur, hac demonstratione pater in eius personam confert, quem isto elogio commendat. Altero membro pronuntiat, Christum esse filium suum, in quo totus amor suus residet ac consistit. Unde sequitur, non aliter nos diligere quam in ipso, nec alibi quaerendum esse Dei amorem. Haec obiter nunc attingere mihi satis est.

18. *In monte sancto.* Montem sanctum appellat, qua ratione terra sancta dicitur, in qua Mosi Deus apparuit. Quocumque enim accedit Dominus, ut est fons omnis sanctitatis, praesentiae suae odore omnia sanctificat. Atque hac loquutione docemur, non modo reverenter Deum excipere, ubicumque se ostendit, sed etiam nos sanctitatem comparare, simulac nobis appropinquat, quemadmodum etiam populo mandatum fuit, quum lex promulganda esset in monte Sinai. Et illa est generalis doctrina: Sancti estote, quia ego sanctus, qui in medio vestri habito (Levit. 11, 44. 19, 2).

19. Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, tamquam lucernae apparenti in caliginoso loco, donec illuceat dies, et Lucifer oriatur in cordibus vestris, 20. Hoc primum cognito, quod omnis prophetia scripturae privatae interpretationis (vel *proprii motus*) non est. 21. Neque enim voluntate hominis allata est quondam prophetia; sed a spiritu sancto impulsus loquuti sunt sancti Dei homines.

19. *Et habemus* etc. Iam in prophetarum quoque oraculis fundatam esse docet evangelii certitudinem, ne dubitent, qui illud amplexi sunt, totos se Christo addicere. Nam qui ambigunt, fieri non potest, quin remissione sint animo. Caeterum quum dicit: *Habemus*, hoc tam ad ipsum et reliquos doctores, quam ad discipulos potest referri. Habebant apostoli prophetas tamquam patronos doctrinae suae; fideles quoque inda petebant evangelii confirmationem. Ego in hanc partem libentius inclino, quod de tota ecclesia loquatur, seque unum inter alios constituat, quamquam Iudaeos proprie designat, quibus familiaris erat prophetarum doctrina: ideoque vocat eam *firmiorem*, meo saltem iudicio. Nam qui positivi loco comparativum accipiunt, non satis expendunt totum contextum. Coactus est etiam sensus ille, firmiorem esse *propheticum sermonem*, ex quo re ipsa complevit Deus, quae illic de filio suo promiserat. Nam hic simpliciter duplici testimonio probatur evangelii veritas: quod Christus magnifice solenni Dei elogio probatus fuerit; deinde quod omnia prophetarum vaticinia in eundem finem spectent. Sed hoc absurdum prima specie videtur, quod firmior dicitur sermo prophetarum, quam vox sacro ipso Dei ore pronuntiata. Primum eadem est, quae ab initio fuit, verbi Dei auctoritas; deinde Christi adventu magis quam prius sancita fuit, quemadmodum in epistola ad Hebraeos fusiis dictum fuit. Verum non difficilis est huius nodi solutio, quia hic respectum habet gentis suae apostolus, quae prophetis assueverat, ut eorum doctrina prorsus extra controversiam esset. Quum ergo apud Iudaeos indubium esset, a Domino profectum, quicquid prophetae docuerant: non mirum est, si dicat Petrus, firmiorem esse eorum sermonem. Iam vetustas quoque ipsa semper aliquid reverentiae secum trahit. Praeterea notandae sunt aliae circumstantiae, quod in vaticiniis, quibus tanto ante praedictum fuerat Christi regnum, nulla subesse poterat suspicio. Non ergo hic quaestio est, an plus fidei mereantur prophetae quam evangelium; sed tantum respicit Petrus, quantum illis deferrent Iudaei, qui prophetas pro legitimis Dei ministris indubie habebant, et in eorum schola fuerant a pueritia educati. *Cui benefacitis* etc. Hic vero locus aliquanto plus habet difficultatis; quaeritur enim, quisnam sit iste *dies*, cuius meminit Petrus. Quibusdam videtur esse dilucida Christi cognitio, dum plane in evangelio acquiescunt homines. *Caliginem* vero exponunt, dum suspensi adhuc haesitant, necdum evangelii doctrina tamquam *ἀρόπιστος* recipitur, acsi Petrus Iudaeos laudaret, qui in lege et prophetis Christum investigant, et hac quasi praeceunte lucerna ad solem iustitiae Christum contendunt, quemadmodum laudantur apud Lucam (Act. 17, 11.), qui auditis Pauli concionibus inquirebant ex scriptura, an ita sit. Verum in hoc sensu primum inest absurditas, quod videri possit usum prophetiarum ad exiguum tempus restringere, acsi perspecta evangelii luce iam supervacuae forent. Si quis exoptat, non sequi hoc necessario, quod particula *donec* non semper finem denotet: dico, in praeceptionibus non aliter posse accipi. Ambula, donec viam solveris. Pugna, donec viceris. In his certe loquutionibus videmus aliquod praescribi temporis spatium. Atque ut concedam, non prorsus hoc modo reiici propheticam lectionem; nemo tamen non videt, quam frigida sit ista commendatio, utiles esse prophetas, donec patefactus sit nobis Christus, quum eorum doctrina ad finem usque vitae perinde sit necessaria. Deinde memoria tenendum est, quosnam alloquatur Petrus. Neque enim rudes ac novitios instituit, qui in primis elementis adhuc subsistant; sed quos prius testatus est eiusdem pretii fidem adeptos esse, et in praesenti veritate confirmatos. Atqui crassa haec ignorantiae caligo in tales non competeret. Scio, quid nonnulli obten-

dant, non fuisse pares omnium progressus: hic ergo specialiter tyrones moneri, qui adhuc Christum quaerebant. Atqui quum ex contextu palam sit, ad eosdem verba fieri, necesse est, ut hic locus fidelibus aptetur, qui iam Christo nomen dederunt, et qui facti sunt verae lucis participes. Ego itaque hanc caliginem, cuius Petrus meminit, ad totum vitae stadium extendo, ac *diem* tunc demum nobis *illucere* interpretor, quum facie ad faciem videbimus, quod nunc cernimus per speculum et in aenigmate. Refulget quidem in evangelio sol iustitiae Christus, sed ita, ut mentes nostras semper ex parte occupent mortis tenebrae, donec e carnis ergastulo educti in coelum transferamur. Ille ergo erit diei fulgor, quum nullae ignorantiae nubes aut nebulae liquidum solis conspectum impediunt. Et certo tantundem absumus a pleno die, quantum a perfectione fides nostra abest. Quare non mirum, si praesentis vitae conditio caligo vocetur, quandoquidem ab ea notitia distamus, ad quam nos evangelium invitat. In summa, admonet Petrus, quamdiu peregrinamur in mundo, egere nos prophetarum doctrina tamquam lucerna directrice, qua extincta nihil quam in tenebris errare possumus. Neque enim prophetias ab evangelio disiungit, quum illas nobis lucere tradit, ut viam monstrant. Tantum docere vult, totum vitae nostrae cursum debare regi Dei verbo, quia alioqui nos undique obvolanti simus ignorantiae tenebris, et Dominus non aliter nobis luceat, quam dum in eius verbum intuemur quasi lucernam. Nec vero lucernae similitudine utitur, ut tenuem et restrictam lucem significet, sed ut haec duo membra inter se respondeant, nos propria luce destitui; nec viam tenere magis posse, quam qui densa nocte oppressus errat; Dominum tamen huic malo remedium afferre, dum facem accendit, quae in media caligine nos dirigat. Huic tamen expositioni videtur esse minus consentaneum, quod de Luoifero mox annectit. Neque enim solida cognitio, ad quam tota vita tendimus, diei principium vocari potest. Respondeo, non inter se conferri diei partes; sed totum diem cum suis partibus caligini opponi, quae omnes sensus nostrae penitus obrueret, nisi nobis Dominus subveniret verbi sui luce. Insignis est hic locus, unde discimus, quomodo nos Deus gubernet. Papistae identidem in ore habent, ecclesiam non posse errare. Interea praeterito verbo illam regi a spiritu fingunt. Petrus autem contra in tenebris demersos esse omnes pronuntiat, qui non intenti sunt ad verbi lucernam. Ergo nisi sponte in labyrinthum conficere te velis, cavendum summopere, ne a verbi directione vel tantillum declines. In eo ecclesia non aliter ducem potest Deum sequi, nisi hunc regiminis modum observet. Hac quoque sententia totam hominum sapientiam damnat Petrus, ut aliunde quam ex proprio sensu petere humiliter discamus veram intelligendi regulam. Nam extra verbum nihil hominibus praeter tenebras reliquum facit. Praeterea notatu dignum est, quod de scripturae claritate pronuntiat. Falsum enim esset encomium istud, nisi ad monstrandum certo nobis viam scriptura idonea et par esset. Ergo quisquis oculos fidei obedientia aperiet, ipso experimento agnoscet, non frustra scripturae impositum fuisse lucernae nomen. Incredulis quidem obscura est, sed qui exitio devoti sponte caecutinat. Quare execrabilis est papistarum blasphemia, qui scripturae luce nihil quam oculos perstringi fingunt, ut ab eius lectione simplices absterreant. Sed nihil mirum est, superbos homines et perverse confidentiae vento inflatos eam lucem non videre, qua Dominus solos parvulos et humiles dignatur (Matth. 11, 25.). Eodem elogio David legem Dei commendat, Psalmo 19 et 119.

20. *Hoc primum cognito.* Hic incipit docere Petrus, qualiter nos comparatos animis esse deceat, si rite volumus in scriptura proficere, quamquam potest esse duplex verborum sensus, si ἐπιείθεως

legas, ut quidam, quod est impatus: tantum tamen legi *ἐπιλύσεως*, quod interpretationem significat, atque ita fere omnes accipiunt, quod nos debeamus ad scripturam legendam temere irrumpere, proprio sensu confisi. Confirmationem huius dicti sequi putant, quia spiritus, qui per prophetas loquutus est, sit idem unicus sui interpret. Haec expositio veram et piam et uberem doctrinam continet, tunc deum cum fructu legi prophetias, ubi, abdicato carnis sensu, spiritus sancti magisterio nos subficimus; impiam vero esse eius profanationem, ubi arroganter acumen nostrum ingerimus ad ipsam intelligendam, quum mysteria Dei contineat carni nostrae abscondita, ac sublimes vitae thesauros modulum nostrum longe superantes. Atque id est, quod diximus, lucem; quae in ea refulget, ad solos humiles pervenire. Porro bis insulsi sunt papistae, dum hinc colligunt, nullam privati hominis interpretationem debere authenticam censi. Nam hoc Petri testimonio abutuntur, ut suis conciliis summum ius interpretandae scripturae arrogent. In quo sane pueriliter ineptiunt. Nam Petrus *interpretationem* vocat *privatam*, non uniuscuiusque hominis, ut singulos tantum ab ipsa prohibeat; sed profanum esse docet, quicquid de suo afferunt homines. Ergo ut totus mundus in unum conspiret, cunctaque hominum ingenia simul coalescant, quicquid tamen inde prodibit, *privatum* erit vel *proprium*, quia nomen hoc divinae revelationi opponitur, dum spiritu sancto intus illuminati fideles, quidnam verbo suo velit Deus, agnoscunt. Mihi tamen simplicior videtur alter sensus, ut scripturam Petrus non humanitus, vel humano impulsu proditam fuisse dicat. Nunquam enim ad eam legendam bene praeparatus accedes, nisi reverentiam, obsequium ac docilitatem afferas. Porro iusta reverentia inde nascitur, quum statuimus, Deum nobiscum loqui, non homines mortales. In primis ergo iubet Petrus, fidem prophetiis haberi tamquam indubiis Dei oraculis, quia non fluxerint proprio hominum motu. Eodem spectat, quod mox subiicit, quod *sancti Dei homines spiritu impulsu loquuti sint*, non autem sponte vel suo arbitrio effutierint sua commenta. Summa est, hoc esse rectae intelligentiae initium, dum fidem, quae Deo debetur, tribuimus sanctis eius prophetis. Sanctos Dei homines appellat, qui iniunctum sibi minus fideliter exsequentes divinum in suo ministerio personam sustinuerint. Impulsos fuisse dicit, non quod mente alienati fuerint (qualem in suis prophetis *ἐνθουσιασμόν* fingunt gentiles), sed quia nihil a se ipsis ausi fuerint, tantum obedienter sequuti sint spiritum ducem, qui in ipsorum ore, tamquam in suo sacrario, regnabat. *Prophetiam* scripturae intellige, quae in scripturis sacris continetur.

## CAP. II.

1. Fuerunt autem et falsi prophetae in populo, sicuti et inter vos erunt falsi doctores, qui subinducunt sectas perditionis, etiam Dominum, qui eos redemit, abnegantes, accersentes sibi celerem interitum. 2. Et multi sequentur eorum exitia, per quos via veritatis blasphemabitur. 3. Et in avaritia fletis sermonibus de vobis negotiabuntur, quorum iudicium pridem non cessat, et quorum perditio non dormitat.

1. *Fuerunt autem etc.* Quoniam hoc graviter et periculose infirmas conscientias concutere solet, dum insurgunt falsi doctores, qui fidei doctrinam vel corrumpunt, vel lacerant: necesse fuit apostolo,

quum fideles hortari vellet ad constantiam, eiusmodi scandalum tollere. Porro hoc argumento solatur eos, quibus scribit, et confirmat, quod Deus semper hoc genere tentationis ecclesiam suam exercuerit, ne forte eorum corda novitas percillat. Non alia, inquit, futura est sub evangelio ecclesiae conditio, quam olim sub lege fuerit: pseudo-prophetae veterem ecclesiam turbaverunt, idem et nobis expectandum est. Hoc oportuit diserta testatum esse, quia multi tranquillum sub Christi regno ecclesiae statum sibi fingebant. Quia enim eius adventu prophetae solidam pacem, summam coelestis sapientiae lucem, planamque rerum omnium instaurationem promittunt, non putabant ecclesiam amplius ullis certaminibus fore obnoxiam. Meminerimus ergo, spiritum Dei hoc semel pronuntiasset, nunquam ab hoc intestino malo immunam fore ecclesiam, ac nobis semper in mentem veniat ista similitudo, communem nobis esse fidei probationem cum patribus, quia eadem sit ratio, nempe ut hoc modo appareat, an vere Deum amemus, quemadmodum Deuteronomii cap. 13, 3. scriptum est. Porro hic singula exempla referre necesse non est; satis sit tenere in summa, quod patrum exemplo nobis adversus impias doctrinas pugnandum sit, quod ob dissidia et sectas minime labascere debeat fides nostra, quia inter turbulentas agitationes, quibus Satan toties omnia evertere conatus est, firma nihilominus perstiterit Dei veritas. Observa autem, non unum notari a Petro tempus, quum dicit: *Erunt falsi doctores, sed omnes potius aetates comprehendi.* Christianos enim cum veteri populo hic confert. Ideo hanc doctrinam ad tempus nostrum accommodare decet, ne haec tantatio nos frangat, quum insurgere videmus falsos doctores, ut Dei veritatem oppugnent. Caeterum ideo nos admonet spiritus Dei, ut intenti simus ad cavendum; atque huc spectat tota descriptio, quam mox subiiciet, quamquam singulas sectas non pinget suis coloribus, sed peculiariter sermonem dirigit in homines profanos, qui Dei contemptum inducunt. Generalis quidem est sententia, cavendum esse a falsis doctoribus; sed interea speciem unam elegit, unda plus instabat periculi. Quod ex Iudae verbis melius patet, qui idem prorsus argumentum tractat. *Qui subducent.* Hoc verbo Satanae astutiam notat, et impiorum omnium, qui sub eodem vexillo militant, quod obliquis anfractibus, et quasi per cuniculos suhitori sint. Quo magis advigilare debent pii, ut clandestinas quoque eorum fraudes effugiant. Utunque enim se insinuent, non tamen poterunt sedulo attentos circumvenire. *Sectas exitiosas dicit, ut, quantam quisque curam salutis suae habet, sectas istas tamquam maxime noxias pestes exhorreat.* Quod pertinet ad ipsum sectarum vel haereseos nomen, non abs re semper infame et exosum fuit inter Dei filios. Vinculum enim sanctae unitatis simplex est Dei veritas, simulatque ab ea disceditur, nihil aliud restat quam horrenda dissipatio. *Etiam Dominum, qui illos redemit.* Tametsi variis modis abnegatur Christus, enim tamen hic (meo iudicio) attingit Petrus, qui exprimitur apud Iudam, nempe dum gratia Dei in lasciviam convertitur. Redemit enim nos Christus, ut populum haberet segregatum ab omnibus mundi inquinamentis, addictum sanctitati et innocentiae. Qui igitur excusso freno in omnem licentiam se proficiunt, non immerito dicuntur Christum abnegare, a quo redempti sunt. Proinde ut salva et integra evangelii doctrina apud nos maneat, hoc animis nostris infixum sit, redemptos esse nos a Christo, ut vitae simul et mortis nostrae sit Dominus: itaque nobis hanc finem esse propositum, ut illi vivamus ac moriamur. Iterum celerem illis interitum instare dicit, ne alii se illis implicent.

2. *Et multi sequentur.* Hoc vero non leve est scandalum infirmis, quum vident, communi mundi applausu excipi falsas doctrinas,

et ingentem hominum numerum abripi, ita ut pauci in pura Christi obedientia maneant. Sic hodie nihil est, quod vehementius turbet pias mentes, quam talis defectio. Vix enim decimus quisque eorum, qui Christo nomen dederunt, fidei puritatem ad extremum usque retinet; omnes fere ad corruptelas degenerant, atque a magistris licentiae delusi profanescunt. Ne hoc fidem nostram labefactet, occurrit Petrus, et mature praedicat, hoc ipsum fore, ut impii doctores multos trahant in exitium. Porro hic duplex est lectio, etiam apud Graecos. Alii enim *lascivias*, alii *exitia* legunt; sequutus sum tamen, quod magis receptum erat. *Per quas via veritatis.* Hoc ideo dictum esse interpretor, quia, sicuti ornatur religio, dum instituantur homines ad timorem Dei, vitae probitatem, castos mores ac honestos, vel saltem os improbis obstruit, ne evangelio maledicant, ita, quum frena impune laxantur ad omnem lasciviam, exponitur Christi nomen et doctrina, impiorum contumeliis. Alii diversum sensum afferunt, quod falsi isti doctores, tamquam impuri canes, oblatraturi sint sanae doctrinae. Sed mihi hoc potius significat Petri verba, daturus occasionem hostibus, ut Dei veritati proterve insultent. Utcunque ergo non exagitent ipsi convitiis Christianam professionem, alios tamen ad convitiandum armant.

3. *Fictis sermonibus.* Modis omnibus studet Petrus, infensos reddere fideles pravis doctoribus, ut eos acrius a se ac constantius repellant. Hoc maxime odiosum est, nos tamquam villa mancipia venum exponi. Hoc autem fieri testatur, si quis nos a Christi liberatione subducit. Fictos sermones vocat arte compositos ad fallendum. Ergo nisi quis ita insaniat, ut sponte a falsis doctoribus pretio addici velit animae suae salutem, perversis eorum figmentis aditum omnem pracludat. Eodem, quo prius, consilio iterum repetit, non cessare eorum exitium, ut bonos a societate eorum absterreat. Quando enim propinquo exitio devoti sunt, quisquis se illis commiscet, nihil potest quam misere perire.

4. Si enim angelis, qui peccaverant, Deus non pepercit, sed catenis caliginis in tartarum praecipitatos tradidit servandos in iudicium, 5. Et prisco mundo non pepercit, sed octavum iustitiae praekonem Noe servavit, diluvio in mundum impiorum inducto, 6. Et civitates Sodomorum et Gomorrhae in cinerem redactas subversione damnavit, easque statuit exemplum iis, qui impie acturi forent, 7. Et iustum Lot, qui opprimebatur a nefariis per libidinosam conversationem, eripuit. 8. Nam oculis et auribus iustus ille, quum habitaret inter ipsos, quotidie animam iustam iniquis illorum operibus excruciat.

4. *Si enim* etc. Diximus, quantopere intersit hoc cognosci, non posse impios, qui ecclesiam pravis dogmatibus corruerunt, Dei vindictam effugere. Hoc itaque tribus maxime insignibus divini iudicii exemplis probat, quod ne angelis quidem suis pepercerit, quod totum mundum semel absumperit diluvio; quod Sodomam et alias vicinas urbes redegerit in cinerem. Sumit autem pro confesso Petrus, quod inter nos indubium esse debet, Deum scilicet esse totius mundi iudicem. Unde sequitur, quas de impiis et sceleratis poenas olim sumpsit, nunc quoque de similibus sumpturnum. Neque enim sibi dissimilis esse potest, neo personas accipit, ut idem scelus alteri ignoscat, quod vindicavit in uno; sed peraeque iniustitiam odit, ubi-

cunq̄ue inventa fuerit. Semper enim tenendum est illud inter Deum et homines discrimen, quod homines quidem inaequaliter indicant; Deus autem perpetuum iudicando tenorem servat. Nam quod alectis peccata condonat, id fit, quod ea per poenitentiam et fidem abolet. Itaque non aliter reconciliat nos sibi, quam dum nos iustificat. Donec enim sublata fuerit peccatum, manet semper inter nos et illum dissidii materia. Quod ad *angelos* spectat, argumentum est a maiori ad minus. Nam quum longe praestantiores essent, non tamen illos sua dignitas eripuit e manu Dei: multo minus ergo evadent homines mortales, quicumque eorum impietatem sequuti fuerint. Caeterum quia de lapsu angelorum breviter hic meminit Petrus, tempus vero et modum, aliasque circumstantias non enumerat: sobrie in hac parte philosophari convenit. Sunt curiosi plerique homines, qui nullum de his rebus sciscitandi finem faciunt; atqui quum Deus parceduntaxat et quasi obiter eas attigerit in scriptura, hoc ipso nos admonuit, ut modica ista notitia simus contenti. Et sane qui magis anxie inquirunt, non aedificationi student, sed vanis speculationibus animos volunt pascere. Quod nobis utile erat, Deus patefecit, diabolos in initio creatos esse, ut Deo parerent; fuisse vero propria culpa apostatas, quia Dei imperium non tulerint: itaque pravitatem, quae in illis haeret, accidentalem esse, non a natura, ut Deo attribui queat. Hoc satis aperte pronuntiat Petrus, quum angelos, qui exciderunt, facit hominibus superiores. Apertius etiam Iudas, quum scribit, eos non tenuisse suam originem, vel summi principatum. Quibus haec testimonia non satisfaciunt, in sibi habeant Sorbolicam theologiam, quae sic ad satietatem illos de angelis docebit, ut simul cum diabolis usque ad inferos praecipitet. *Catenis caliginis.* Hac metaphora significat, tenebris constrictos teneri usque ad diem ultimum. Sumpta est autem haec similitudo a maleficis, qui, postquam damnati sunt, carceris atrocitate dimidium poenae sustinent, donec ad ultimum supplicium trahantur. Hinc colligere licet, non modo quam poenam sustineant reprobi post mortem, sed qualis etiam sit filiorum Dei conditio. Nam in spe certae beatitudinis placide acquiescunt, quamvis ea nondum fruantur, sicuti priores horribile ex vindicta sibi parata tormentum sustinent.

5. *Prisco mundo.* Ratio huius loquutionis est, quod Deus post submersum humanum genus quasi novum de integro mundum condiderit. Est hoc quoque argumentum a maiori ad minus. Quomodo enim divinae irae diluvium evaderent scelerati, quo semel absorptus fuit totus orbis? Nam quum dicit, octo fuisse servatos, significat, multitudinem non fore instar clypei coram Deo, ut malos protegat; sed quotquot peccaverint, poenas duros, sive pauci sint numero, sive multi. Quaeritur autem, cur vocat *Noe iustitiae praeconem*. Quidam intelligunt praeconem iustitiae Dei, qualiter scriptura Dei iustitiam in eo commendat, quod suos tuetur, et a morte ereptos restituit in vitam. Ego autem potius praeconem iustitiae vocari interpretor, quia perditum mundum conatus sit ad sanam mentem reducere, neque id doctrina tantum et sanctis exhortationibus, sed quum per continuos centum et viginti annos in extruenda arca anxie sudaret. Hoc autem apostoli consilium est, iram Dei adversus reprobos ita nobis sub oculis ponere, ut interea ad sanctorum imitationem nos hortetur.

6. *Civitates Sodomorum.* Hoc divinae ultionis adeo memorabile fuit exemplum, ut scriptura, quoties de universali impiorum exitio loquitur, ad hunc typum fere alludat. Ideo dicit Petrus, constitutas esse has urbes in exemplum. Vere quidem hoc de alijs dici potest, sed quiddam singulare notat Petrus, quia haec praecipua sit et viva imago. Imo quia Dominus iram suam adversus impios testatam assa-

voluerit sæculis omnibus, sicuti quum populum suum ex Aegypto redemit, in hac una gratia perpetuam nobis depinxit ecclesiae salutem. Quod etiam expressit Iudas, poenam ignis aeterni vocans.

8. *Nam oculis et auribus.* Vulgo exponunt, Lot oculis et auribus iustum fuisse, quia omnes eius sensus a sceleribus Sodomæ abhorrent. Potest tamen auditus et aspectus alio referri, ut sit sensus: Quum iustus ille ageret inter Sodomitas, visu et auditu excruciatam animam. Multa enim audire et videre coactum fuisse scimus, quæ eius animum misere torquerent. Summa huc redit, sanctum hominem, quum esset vitiorum omnium prodigiis undique obrutus, non tamen a recto cursu deflexisse. Plus autem exprimit Petrus quam antea, nempe quod voluntarios cruciatus iustus Lot subierit, sicuti par est, non parvo dolore affici pios omnes, ubi mundum ruere vident in omne mali genus. Quo magis necesse est, nos propriis peccatis iugemiscere. Atque hoc nominatim posuit apostolus, ne, ubi passim grassatus impietas, vitiorum illecebris capti et inebriati una cum aliis nos perdamus; sed hunc dolorem a Domino benedictum præferamus omnibus mundi deliciis.

9. Novit Dominus pios ex tentatione eripere, iniustos autem in diem iudicii puniendos servare, 10. Præsertim vero eos, qui post carnem in concupiscentia pollutionis ambulant, dominationem despiciunt, audaces, præfracti, qui excellentias non verentur probro afficere. 11. Quum angeli, qui sunt robore et potentia maiores, non ferant adversus illas coram Domino contumeliosum iudicium.

9. *Novit Dominus.* Hoc primum offendit infirmos, quod, quum anxie suspirent fideles, præsentis Dei auxilio non statim levantur, quin potius interdum eos sinit Dominus diuturno taedio et languore veluti contabescere; deinde tum impune lasciviant mali, et interim silet Deus, quasi ad ipsorum scelera conniveret. Hoc duplex scandalum nunc avertit Petrus. Dominum enim scire testatur, quando ex tentatione pios eripere expediat. Quibus verbis admonet, has illi partes relinquendas esse: itaque patienter durandum in tentationibus, nec deficientium esse, si quando suam adversus impios ultionem differat. Haec consolatio nobis valde necessaria est. Solet enim obrepere ista cogitatio: Si Dominus suos habere vult integros, cur non omnes seorsum colligit in aliquem terræ angulum, ut se mutuo ad sanctitatem incitent? Cur malis eos permiscet, a quibus inquinantur? Ubi autem Deus hoc sibi munus vindicat iuvandi suos ac protegendi, ne in certamine deficient, animos ad strenue certandum colligimus. Haec summa est prioris membri, hanc piis omnibus legem præscribi a Domino, ut variis tentationibus probentur; sed de successu bene sperandum esse, quia eiusdem auxilio nunquam destituenti sint. *Iniustos autem.* Hoc membro ostendit, Deum sic iudicia sua moderari, ut malos ad tempus tolerando, non tamen inultos reliquant. Ita nimiam festinationem corrigit, qua præcipientes ferri solemus, præsertim ubi ipsa scelerum atrocitas nos gravius vulnerat. Tunc enim vellemus eodem momento Deum fulminare; si cessat, non videtur amplius esse iudex mundi. Ergo ne temporalis ista scelerum impunitas nos perturbet, in memoriam reducit Petrus, statutum esse a Domino iudicii diem: ideo reprobos minime poenam effugere, utcumque non statim exigatur. Emphasis est in verbo *servandi*, acsi diceret, non esse elapsos ex Dei manu, sed teneri occultis vinculis constrictos, ut aliquando in iudicium trahantur. Parti



cipium *κολαζομένους*, quamvis sit praesentis temporis, sic tamen resolvi debet: Servari puniendos, vel, ut puniantur. Nam ab ultimi iudicii expectatione pandere nos iubet, ut in spe et patientia usque ad vitae finem militemus.

10. *Præsertim vero eos* etc. Hic ad hypothesin descendit, generalem doctrinam suo instituto accommodans. Nam illi negotium erat cum prostituta nequitia hominibus: docet ergo, fieri non posse, quin horribilis vindicta ipsos maneat. Quum enim de omnibus poenas sumpturus sit Deus, quomodo isti evaderent, qui belluarum in morem se proiciunt ad omne flagitium? *Ambulare post carnem*, est carni addictum esse, sicuti bruta animalia ratione et iudicio non aguntur, sed carnis suae appetitum pro summo duce habent. Per *concupiscentiam pollutionis* intellige foedas et effrenas libidines, ubi abiecto honesti studio, excussoque pudore, ad immunditiam feruntur homines. Haec prima nota est, quam eis inurit, quod homines sint impuri ac nequitiae dediti. Sequuntur aliae notae, quod dominationem despiciant, nec vereantur contumelia et probris afficere homines, quos Deus honorifico gradu dignatur. Nam duas istas loquutiones eodem refero. Postquam enim dixit, contemptui illis esse dominationem: huius mali fontem mox indicat, quod *audaces* sint ac *prae fracti*. Postremo quo magis exaggeret eorum superbiam: dicit, eos non tremere, quum adversus gloriam probrose insurgunt. Est enim hoc prodigiosae arrogantiae, pro nihilo ducere gloriam, quae in ordinibus a Deo positae refulget. Porro non dubium est, quin hoc nomine imperia et magistratus designet. Tametsi enim nullum est legitimum vitae genus, quod non sit laude dignum: scinus tamen prae aliis excellere magistratum functionem, quia Dei vicem gerunt in gubernando humano genere. Vere igitur gloriosa est haec potestas, in qua Deus ipse eminent. Tenemus nunc, quid hoc secundo membro velit apostolus, nempe istos, de quibus loquitur, fuisse homines phreneticos, turbarumque et confusionis appetentes, quia nemo potest *ἀναρχίαν* mundo inducere, quin *ἀταξίαν* inducat. Isti autem intrepide probra evomebant in magistratus, ut omnem publici iuris reverentiam tollerent; hoc autem erat Deum palam suis blasphemis impetere. Multi hodie quoque eiusmodi turbulenti homines existiterunt, qui potestatem gladii profanam et illicitam esse iactantes omnem politiam furiose evertere satagerent. Tales furias excitat Satan, quae evangelii cursum disturbent. Sed praeclare egit nobiscum Dominus, qui non modo ab hoc exitiali veneno cavendum esse admonuit, sed veteri etiam exemplo nos munivit adversus scandalum. Itaque nimis improbe faciunt papistae, quum seditiosos homines nostra doctrina armari criminantur, quasi vero non idem olim apostolis exprobrari potuerit, qui tamen ab hac culpa longissime aberant.

11. *Quum angeli*. Praecipitem eorum arrogantiam inde ostendit, quod plus sibi licentiae sumere audent quam angeli ipsi. Sed mirum est, cur angelos contumeliosum de magistratibus iudicium ferre neget. Quorsum enim sancto ordini adversi essent, cuius auctorem sciunt esse Deum? Quorsum in potestates insurgerent, quas norunt in eodem secum esse ministerio? Haec ratio quosdam movit, ut de diabolis hoc putarent dictum; sed hoc modo absurditatem minime effugiunt. Quomodo enim hominibus parcendo tam sobrius esset Satan, qui omnis in Deum blasphemiae auctor est? Deinde eorum opinio Iudae verbis refellitur. De sanctis porro angelis apposite sic loquutus est, si reputamus temporis circumstantiam. Erant enim tunc omnes magistratus fere impii et sanguinarii evangelii hostes. Quare fieri non poterat, quin angelis ecclesiae custodibus exosi essent. Sic tamen ab ipsis damnari dicit homines odio et execratione dignos, ut reverentiam deferant potestati divinitus ordinatae. Haec, inquit,

in angelis quum sit moderatio, isti intrepide in dissolutas et effrenas blasphemias ruunt.

12. Isti autem tamquam bruta animalia, naturaliter genita in capturam et perniciem, in quibus nihil intelligunt, maledicentes, in sua corruptione peribunt, 13. Recipientes mercedem iniustitiae, pro voluptate ducentes in diem frui deliciis, labes et maculae delicias in erroribus suis, conviventes vobiscum, 14. Oculos habentes plenos adulterae, et inquietos ad peccandum, inescantes animas instabiles, cor habentes exercitatum cupiditatibus, execrabiles filii, 15. Qui relicta recta via aberraverunt, sequuti viam Bileam filii Bozor, qui mercedem iniustitiae dilexit, 16. Sed redargutus fuit de sua iniquitate; animal subiugale mutum, humana voce loquens, prohibuit prophetae dementiam (*Numer. 22, 23 — 30.*)

12. *Isti autem etc.* Prosequitur, quod dicere coeperat, de impiis et scelestis illis corruptoribus. Primum autem mores dissolutos et obscenam totius vitae nequitiam taxat; deinde sic audaces et protervos esse dicit, ut scurrili sua garrulitate se insinuent in multorum gratiam. Primum comparat eos *brutis animalibus*, quas in hoc videntur nata, ut se in plagas induant, et ad suum interitum proprio impetu farantur, acsi diceret, nullis illecebris inductos sponte properare, ut se in Satanae et mortis laqueos proiciant. Pro eo, quod vertimus *naturaliter genita*, Petrus ad verbum habet: naturalia genita; sed ad sensum parum refert, sive alterum ex his duobus ab alio quopiam suppositum fuerit, siva utrumque ponendo magis exprimere voluerit, quod dicebat. Quod addit: *maledicentes, in quibus nihil intelligunt*, pertinet ad superbiam, cuius proxime meminit. Dicit igitur, ideo petulanter ab aliis contemni omnem excellentiam, quia prorsus obstupuerint, ut nihil a pecudibus differant. Casterum ubi posui: *in perniciem*, deinde, *in corruptione*, utroque loco est nomen *ἁδοῦς*, sed varie acceptum. Nam quum perituros dicit in sua corruptione, docet exitiales illis fore suas corruptelas.

13. *Pro voluptate ducentes.* Acsi diceret: Felicitatem statuunt in praesentibus deliciis. Scimus, in hoc praecellere brutis animalibus homines, quod animum longius circumagunt. Ergo istud indignum est homine, occupari in praesenti sensu. Quo admonet, extricandas esse mentes a carnis deliciis, nisi velimus in pecudum ordinem redigi. Quod sequitur, hunc habet sensum: Isti vos ad coetum vestrum foedis maculis adspargunt; nam dum epulantur vobiscum, simul luxuriantur in suis erroribus, amores meretricios et perditam incontinentiam oculis gestuque expriment. Erasmus sic reddidit: Conviventes in erroribus suis insultant vobis. Sed illud nimis coactum est. Posset non inepte ita exponi: Vobiscum epulantes vos petulanter ludibrio habent in suis erroribus. Ego tamen, quod maxima probabile videbatur, reddidi. *Plenos adulterae oculos* vocat libidinosos, et qui intemperanter ad peccandum inquieto motu feruntur, sicuti etiam mox exprimit.

14. *Inescantes animas.* Metaphora inescandi fideles admonet, ut sibi caveant ab occultis et fraudulentis eorum captionibus; nam eorum imposturas hamis comparat, qui possent incautos ad interitum rapere. Quum addit: *animas instabiles*, cavendi rationem demonstrat, si firmas in fide et timore Domini radices egerimus, ac simul

indicat, nulla excusatione esse dignos, qui se talibus blanditiis inescari sinunt, quia hoc eorum levitati sit imputandum. Adsit ergo fidei stabilitas, et ab impiorum capturis luti erimus. *Cor exercitatum cupiditatibus.* Erasmus rapinas vartit, et ambigua est Graecae vocis significatio. Ego cupiditates malo, quia, sicuti prins incontinentiam damnavit in eorum oculis, ita nunc videtur, quae in corde latent, vitia notare. Ad avaritiam porro hoc restringi non debet. Quod *exsecrabiles filios* nominat, tam active quam passive posset exponi, hoc est, qui maledictionem, quocumque veniant, secum afferunt, vel qui digni sunt execeratione. Quoniam autem hactenus recensuit, quantum perverse turpisque vitae exemplo noceant: iterum repetit, lethale impietatis venenum in doctrina eos spargere, quo simplices interimant. Comparat eos cum Bileam filio Bozor, qui linguam habuit venalem ad maledicendum populo Dei. Atque ut indignos longa refutatione esse ostendat, dicit Bileam reprehansum fuisse ab asina, atque ita convictam fuisse eius amentiam. Sed eadem ratione fideles ab omni eorum societate absterret. Fuit enim horribile illud Dei iudicium, quod asinae prius se manifestavit angelus quam prophetae, quod asina infensum Deum sentiens ultra progredi ausa non est, quin potius pedes retulit, quum propheta caeco avaritiae suae impulsu adversus certam Dei prohibitionem se ingereret. Nam quod illi tandem responsum fuit, ut iret, signum divinae indignationis fuit magis quam permissus. Postremo in summum eius dedecus os apertum asinae fuit, ut illam haberet magistram, qui Dei imperio subiicere se noluerat. Atque hoc prodigio ostendere voluit Dominus, quam prodigiose res sit, veritatem in mendacium mutare. Quaeritur nunc, quo iure Bileam prophetae titulo insigniatur, quem constat multis pravis superstitionibus fuisse deditum. Respondeo, vaticinandi donum sic esse particulare, ut, qui alias neo verum Deum colit, nec puram religionem tenet, possit tamen illo esse praeditus. Porro Deus in media idololatria prophetiam ideo interdum exstere voluit, quo minus excusationis haberent homines. Nunc si quis summam eorum, quae dixit Petrus, colligat, videbit, non minus nostro saeculo congruere hanc eius admonitionem. Nam passim grassatur haec pestis, quod homines scurrili dicacitate in Dei et Christi ludibrium abutuntur, imo facietiarum colore omnem religionem subsannant, et quum pecudum in morem carni suae sint addicti, fidelibus tamen se permiscunt; garrunt aliquid de evangelio, sed interea linguam prostituunt in obsequium diaboli, ut totum mundum, quod in se est, aeterno exitio devoteant; hac in parte peiores ipso Bileam, quod gratuito maledictiones suas fundunt, quum ille nonnisi mercede illectus ad maledicendum proruperit.

17. *Ii sunt fontes sine aqua, nebulae, quae a turbine aguntur, quibus caligo tenebrarum in aeternum parata est.*  
 18. Nam ubi plus quam fastuosa vanitatis verba sonuerint, inescant per concupiscentias carnis lascivii eos, qui vere aufugerant ab iis, qui in errore versantur, 19. Dum libertatem illis promittunt, quum ipsi sint servi corruptionis. A quo enim quis superatus est, huic in servitutem est addictus.

17. *Fontes sine aqua.* Duabus istis metaphoris docet, eos nihil intus habere, quum magnam speciem ostendent. Fons ad aspectu suo homines ad se invitat, quia usum aquae promittit tam ad potum quam alias vitae commoditates, simulac apparent nebulae, spem immittent-

tis pluviae faciunt ad terram irrigandam. Dicit ergo istos fontibus esse similes, quia pollutantia, acumen aliquod in sententiis, in verbis leporem prae se ferunt; intus tamen aridos esse ac steriles; ideo fallacem esse fontis figuram. Dicit *nebulas esse, quae a ventis discutiantur sine pluvia*, aut in calamitosam procellam erumpunt. Quo denotat, nihil utilitatis unquam afferre, saepe autem esse valde noxios. Postea illis iterum denuntiat horribile iudicium Dei, ut his metus retineat fideles, quamquam, dum *tenebrarum caliginem* nominat, alludit ad nebulas, quae rem obscurant, acsi dicerat, pro momentaneis tenebris, quas nunc offundunt, illis multo densiores, ac aeternas paratas esse.

18. *Ubi plus quam fastuosa*. Significat, verborum ampullis perstringere simplicium oculos, ut fraudem animadvertere nequeant. Neque enim talibus deliriis mentes capi facile esset, nisi prins essent aliquo artificio obstupefactae. Sonorum ergo et inflatum orationis genus illis esse dicit, quo in admirationem incautos rapiant. Deinde grandiloquentia illa, quam pulmo animae praalargus anhelat (ut inquit Persius), tegendis ambagibus valde est apposita. Huiusmodi astutiam in Valentino et similibus olim fuisse, ex libris Irenaei colligere licet. Voces enim prius inauditas excuderant, quarum inani crepitu percursi imperiti, eorum deliriis irretiebantur. Nec secus hodie phrenetici quidam, qui plausibili titulo se libertinos vocant. Nam plenis buccis spiritum et spiritualia crepantes, quasi supra nubes tonarent, multos suis praestigiis fascinant, ut dicas, apostolum de his proprie vaticinatum esse. loco enim et sannis omnia excipiant, et quamvis maxime sint insulsi, quia tamen vitiis omnibus indulgent, gratiam in suis nescio quibus facetiis inveniunt. Scopus est, ut sublato boni et mali delectu quidvis liceat, ab omni legum subiectione soluti homines libidini suae obsequantur. Quare haec epistola non parum aetati nostrae prodest. *Inescant per concupiscentias*. Eleganter hamis comparat impiorum illecebras, dum quidvis licitum faciunt. Nam ut cupiditates hominum caecae sunt ac famelicae, simulac oblata est licentia, eam fervido impetu arripiunt; sed paulo post sentitur hamus intus strangulans. Caeterum expendere operae pretium est totam apostoli sententiam. Dicit, eos, qui re ipsa ab errantium consortio auferantur, rursus novo erroris genere decipi, nempe dum illis ad omnem intemperantiam habenae laxantur. Quo admonet, quam periculosae sint istorum insidiae. Illud enim iam erat horribile exemplum, quod caecitas et densae tenebrae totum fere humanum genus occupabant. Hoc itaque duplex quodammodo erat portentum, homines a communi mundi errore liberatos post perceptam Dei lucem in belluinum stuporem revolví. Hinc mone-mur, quid maxime nobis cavendum sit, postquam semel illuminati sumus, ne scilicet licentiae praetextu nos alliciat Satan, ut pro carnis libidine lascivias nos dedamus. Porro ab hoc periculo tuti erunt, qui serio incumbent in sanctificationis studium.

19. *Dum libertatem*. A repugnantibus ostendit, falso eos promittere libertatem, quum ipsi peccato se in pessimam servitutem addixerint. Nemo enim dare potest, quod non habet. Videtur tamen non satis firma esse ratio, quia accidit interdum, ut de Christi beneficiis utiliter concionentur homines nequam, et a Christo prorsus alieni. Sed notandum est, reprehendi vitiosam doctrinam, quae cum vitae impuritate coniuncta erat. Consilium enim apostoli est, occurrere fallaci illecebrae, qua stultos inescabant. Dulce est libertatis nomen: eo itaque abutebantur, ut solutus auditor divinae legis metu in effrenem licentiam se proficeret; atqui longe alia est libertas, quam nobis peperit Christus, et quam offert quotidie per evangelium. Sic enim nos eximit a legis iugo, quatenus nos maledictione obstrin-

git, ut simul a peccati tyrannide, quatenus suis concupiscentiis nos constringit, liberet. Quare ubi dominantur libidinas, adeoque ubi caro regnum occupat, minime locum habet libertas Christi. Denuntiat ergo apostolus omnibus piis, ne aliam libertatem appetant, quam quae manumissos a peccato in liberum iustitiae obsequium ipsos adducat. Hinc colligimus, semper fuisse impuros homines, qui nomen libertatis falso obtenderent, atque hanc vetustam fuisse Satanæ fraudem, ne miremur hodie eandem a fanaticis hominibus Camarinam moveri. Quod autem papistae hunc adversus nos locum torquent, in eo ridiculam suam impudentiam produunt. Primum enim spurcissimae vitae homines ex suis foetidis popinis et lupanaribus hoc convictum eructant, quod simus corruptionis servi, quorum in vita nullum probum notare queunt. Deinde quum de libertate Christiana nihil tradamus nisi a Christo et apostolis sumptum, et interea carnis mortificationem veraque eius demandae exercitia multo severius exigamus quam illi ipsi, qui nos infamant: sua maledicta non tam in nos evomunt, quam in filium Dei, quem habemus certum auctorem. *A quo enim quis.* Sumpta est haec sententia ex iure militari; sed tamen hoc profanis quoque scriptoribus tritum est, nullam esse magis duram aut miseram servitutem, quam ubi regnant libidines. Quid ergo nobis agendum est, quibus ideo spiritum suum contulit filius Dei, ut non modo emancipemur a peccati imperio, sed carnis etiam et mundi simus victores?

20. Nam si ii, qui aufugerant ab inquinamentis mundi per cognitionem Domini et servatoris Iesu Christi, rursus iisdem impliciti superantur: facta sunt illis postrema peiora prioribus. 21. Melius enim ipsis esset non cognovisse viam iustitiae, quam, ubi cognoverunt, converti ab eo, quod illis traditum fuit sancto praecepto. 22. Sed accidit illis, quod vero proverbio dicitur: Canis reversus ad proprium vomitum, et: Sus lota ad volutabrum coeni.

20. *Nam si ii etc.* Iterum ostendit, quam pernicioosa sit haec secta, qua homines Deo consecratos ad pristinam immunditiam et mundi corruptelas retrahit. Ad mali gravitatem comparatione exaggerat, quia non vulgare sit crimen defectio a sancta Dei institutione. Praestaret, inquit, nunquam novisse iustitiae viam. Nam etsi nulla est ignorantiae excusatio: servus tamen, qui sciens ac volens contemnit Dominum mandata, duplicem poenam meretur. Huo accedit ingratitude, quod sponte lucem Dei extinguunt, abiciunt gratiam sibi datam, excusso iugo contumaciter adversus Deum lasciviunt, imo quantum in se est, inviolabile Dei foedus ac sancitum Christi sanguine profanant et abrogant. Quo magis intentos esse nos docet, ut reverenter et sollicitè in cursu vocationis nostrae pergamus. Iam singulas partes propius expendere operae pretium est. Quum *inquinamenta mundi* nominat, nos in sordibus volutari, totosque esse pollutos docet, donec mundo renuntiemus. *Per cognitionem Christi* non dubium est, quin evangelium intelligat. Usum eius esse testatur, ut nos a mundi inquinamentis eruat, et procul abducat. Qua ratione paulo post vocat *viam iustitiae*. Ille ergo demum rite in evangelio profecit, qui probe Christum didicit; Christum autem vere tenet, qui in ipso edoctus est exuere veterem hominem, et induere novum, quemadmodum et Paulus admonet ad Ephesios capite 4, 22. Quum dicit: *relicto, quod illis traditum fuerat, praecepto* revolve ad suas pollutiones, primum quam sint inexensabiles, innuit; deinde

admonet, pie recteque vivendi doctrinam, quamvis omnibus communis sit, et promiscue sed omnes pertineat, peculiariter tamen iis tradi, quos Deus evangelii sui luce dignatur. Porro ab evangelio deficere eos pronuntiat, qui mundi inquinamenti se de integro mancipant. Peccant quidem et fideles; sed quia dominium peccato non permittunt, non excidunt a Dei gratia, nec deserunt, quam semel sunt amplexi, sanae doctrinae professionem. Neque enim victi consentur, quum strenue carni et eius concupiscentiis repugnant.

22. *Sed accidit illis.* Quia multos perturbat hoc exemplum, ubi homines, qui se in Christi obedientiam subiecerant, siue metu et pudore in flagitia prorunt, ut scandalum praevertat apostolus, hoc ex eorum vitio provenire dicit, quia porci sint et canes. Unde sequitur, nullam culpae partem evangelio posse adscribi. In hunc finem duas citat veteres paroemias, quarum prior habetur apud Salomonem, Proverb. 26, 11. Hoc autem summum vult Petrus, evangelium esse medicinam, quae nos salubri vomitu purgat; sed multos esse canes, qui in suam perniciem resorbent, quod vomnerant. Item evangelium esse lavacrum, quod immunditias omnes nostras abstergit; sed multos esse porcos, qui statim a lotionis in cocnum se provolvant. Interea monentur pii, ut sibi ab utroque caveant, nisi velint in canum et porcorum ordine censerī.

### CAP. III.

1. Hanc iam, dilecti, secundam vobis scribo epistolam, in quibus excito per commonefactionem vestram puram mentem, 2. Ut memores sitis verborum, quae praedicta sunt a sanctis prophetis, et praecepti nostri, qui sumus apostoli Domini et servatoris, 3. Hoc primum scientes, quod venient in extremo dierum illusores, secundum suas ipsorum concupiscentias ambulantes, 4. Ac dicentes: Ubi est promissio adventus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic permanent ab initio creationis.

Ne secundam epistolam fastidiant, quasi prima sufficeret, utramque non frustra scriptam esse dicit, quia saepius excitandi sint. Quod ut melius constet, ostendit, non fore extra periculum, nisi probe muniti sint, quia certamen habituri sint cum perditis hominibus, qui non modo fidei puritatem corrumpent falsis dogmatis, sed totam fidem, quantum in se erit, funditus evertent. Quum dicit: *excito vestram puram mentem*, perinde est, acsi dicret: Volo ad sinceritatem mentis vos expergefacere. Atque ita debent resolvi verba: Mentem vestram excito, ut pura ac liquida sit. Seusus enim est, offuscari piorum mentes, et quasi rubiginem contrahere, ubi monitiones cessant. Porro hinc simul colligimus, etiam homines doctrina praeditos, nisi continuis monitionibus excitentur, sopitos quodammodo iacere. Nunc apparet, qualis sit admonitionum usus, et quantopere nobis sit necessarius. Doctrinam enim semel perceptam suffocat carnis ignavia, et otiosam reddit, nisi eam adiuvent monitionum stimuli. Non ergo satis est edoctos esse homines, ut teneant, quod oportet; sed pios doctores incumbere in hanc secundam partem decet, ut doctrinam auditorum memoriae penitus infingerent. Et quia natura ut plurimum novitatis cupidi sunt homines, ideoque ad fastidium propensi: utile nobis est tenere, quod hic dicit Petrus, ut non modo libenter sinamus nos ab aliis moneri, sed ut

se quisque exerceat doctrinam assidue memoria repatendo, ut mentes nostrae pura et liquida eius intelligentia nitantur.

2. *Ut memores sitis.* His verbis significat, nos in prophetarum scriptura et evangelio satis habere, quo excitemur, modo in his meditando seduli simus, quantum decet: quod ergo rubiginem interdum contrahunt mentes nostrae, vel caligine obducuntur, id nostra ignavia fieri. Ergo ut nobis perpetuo Deus illucent, huic studio nos dedamus; interea fides nostra in testibus adeo certis et idoneis acquiescat. Nam si prophetas et apostolos habemus consentientes nobiscum, imo fidei nostrae ministros, Deum vero auctorem, et angelos approbatorem: non est, quod nos e gradu moveat impiorum conspiratio. *Praeceptum* apostolorum vocat totam doctrinam, qua pios instituerant.

3. *Hoc primum scientes.* Posset participium *scientes* referri ad apostoli personam, hoc sensu: Ideo labore in vobis excitandis, quia scio, quale et quantum vobis periculum ab illusoribus impendant; ego tamen malo aliter exponere, ut sit participium loco verbi, acsi dixisset: Scitote hoc in primis. Praedici enim hoc illis oportuit, quia concuti poterant, si repente eiusmodi ludibriis ipsos adorti essent impii. Vult igitur eos scire, ac reddi certiores, ut parati sint ad resistendum. Porro iterum ad eam doctrinam revocat fideles, quam cap. secundo attigit. Nam per *dies extremos* satis tritum est, regnum Christi designari, iuxta illud Pauli, ut fines saeculorum in nos inciderint, I. Corinth. 10, 11. Sensus autem est: Quo propius per evangelium offert se Deus mundo, et ad regnum suum homines invitat, futurum etiam contra, ut profani homines venenum impietatis suae audacius evomant. *Illusores* vocet communi scripturae more, qui Dei contemptu et sacrilega superbia ingeniosi videri appetunt. Hoc porro malorum est extremum, ubi homines tremendum Dei numen sannis eludere sibi permittunt. Ita loquitur primus Psalmus de cathedra derisorum. Sic David Psal. 119, 51. conqueritur, se fuisse a superbis derisum, quia legi Dei studebat. Sic Isaias capite 28., ubi eorum facit mentionem, supinam eorum securitatem una cum stupore depingit. Proinde maminerimus, nihil magis esse timendum, quam hoc cartamen ab illusoribus. Qua de re aliquid diximus ad Galatas capite 3. Quia tamen spiritus sanctus venturos praedixit, et simul clypeum in manus porrexit, quo possimus eos refellere: nulla nobis excusatio est, quin stamus fortiter, quicquid illos machinari contingat.

4. *Ubi est promissio.* Haec est periculosa illusio, quam dubitationem iniiciunt ultimae resurrectionis, qua sublata nullum amplius est evangelium, exinanita est Christi virtus, periit tota religio. Ergo ecclesiam ingulum recta petit Satan, dum fidem adventus Christi convellit. Quorsum enim mortuus est Christus et resurrexit, nisi ut secum aliquando nos a morte redemptos in vitam aeternam colligat? Funditus itaque diruit pietas, nisi fixa manet resurrectionis fides: ideo hac parte acriter nos oppugnat Satan. Notanda est autem cavilli forma: Continuum naturae cursum, qualis ab initio fluera visus est, promissioni Dei opponunt, acsi res essent contrariae, vel minus inter se congruentes. Quum eadem fuerit patrum fides, inquit, nihil mutatum fuit ab eorum morte; atqui multa inde saecula praeterisse notum est. Hinc fabulosum esse colligunt, quod de mundi interitu dicitur, quia ex tam longa eius duratione perpetuum fora conficiunt.

5. Nam hoc nesciunt volentes, quod coeli iam olim fuerint, et terra ex aqua et per aquam consistens Dei sermone,  
6. Per quae mundus, qui tunc erat, aqua inundatus periit.

7. Qui autem nunc sunt coeli et terra, eiusdem sermone repositi sunt, et servantur igni in diem iudicii et perditionis impiorum. 8. Porro ne hoc unam vos lateat, dilecti, quod unus dies apud Dominum p̄inde est ut mille anni, et mille anni ut dies unus.

5. *Nam hoc nesciunt.* Uno tantum argumento refellit illud impiorum cavillum, nempe quod mundus semel aquarum diluvio perierit, quum tamen aquis constaret. Quoniam autem satis nota et celebris historia erat, dicit eos *volentes errare*, hoc est, sponte. Nam qui ex diuturno mundi statu perpetuitatem eius colligunt, oculos maligne claudunt, ne tam dilucidum iudicium Dei cernant. Mundus certe ex aquis habet originem; ohaos enim, ex quo producta est terra, Moses vocat aquas (Gen. 1, 2). Deinde ab equis sustinebatur; aquis tamen ad eum perdendum usus est Dominus. Unde apparet, vim naturae adeo non sufficere fovendo et conservando mundo, ut potius inclusa sit illic interitus materia, quoties ita Domino visum fuerit. Semper enim hoc reputandum est, mundum non alia virtute proprie consistere, quam verbi Dei, ac proinde inferiores causas inde vim suam mutuari, et prout aguntur, habere diversos affectus. Ita per aquam mundus constabat; sed aqua per se nihil poterat, quin potius suberat Dei verbo tamquam inferior organum. Ergo simul ac Deo placuit terram perdere, eadem aqua ad mortiferam undationem obsequium suum praestitit. Nunc videmus, quantopere errent, qui subsistunt in nudis elementis, quasi in ipsis sita esset perpetuitas, ac non potius ad Dei nutum flexibilis esset eorum natura. His paucis verbis abunde refutatur eorum petulantia, qui ad Deum oppugnandum physicis rationibus se armant. Historia enim diluvii (Gen. 7, 17. 55.) locuples est testis, solo Dei imperio gubernari totum naturae ordinem. Hoc tamen videtur absurdum, quod dicit *mundum perisse diluvio*, quum prius meminisset coeli et terrae. Respondeo, coelum tunc quoque fuisse submersum, hoc est, regionem aeris, quae inter duplices aquas vacua patet. Nam distinctio illa, cuius Moses (Gen. 1, 6.) meminit, confusa erat, et coeli nomen hoc sensu saepe accipitur. Si quis plura desideret, legat Augustinum libro de civitate Dei 20.

7. *Qui autem nunc sunt coeli.* Hoc non infert tamquam consequens. Neque enim aliud fuit ei propositum, quam derisoribus argutiam excutere de perpetuo naturae statu, quales hodie videmus permultos, qui leviter adpersi philosophiae rudimentis, quo se pro magnis philosophis venditent, tantum profanas speculationes venantur. Atqui iam hoc plane ex superioribus evictum est, nihil esse absurdi, quum Dominus coelum et terram olim igni absumptum iri pronuntiat, quoniam ignis et aquae una est ratio. Nam et apud veteres hoc tritum fuit, ex his duobus summis principiis nata esse omnia. Quoniam autem cum impiis habebat negotium, de ipsorum exitio nominatim loquitur.

8. *Porro ne hoc unum etc.* Nunc sermonem ad pios convertit, monetque, ubi de Christi adventu agitur, ut oculos sursum tollant. Ita enim fiet, ne praeposteris suis votis praescriptum a Deo tempus subiiciant. Nam ideo nimis longa expectatio videtur, quia oculos habemus defixos in praesentis vitae brevitate; deinde supputando dies, horas et momenta taedium augemus. Verum ubi aeternitas regni Dei nobis occurrit, multa saecula instar momenti evanescent. Huo ergo nos revocat apostolus, ut sciamus, non pendere diem resurrectionis ex praesenti temporum fluxu, sed ab aeterno Dei consilio, acsi diceret: Ideo homines Deum praevertere cupiunt, quia carnis suae sensu tempus metiuntur; natura autem ad impatien-



tiam sunt praecives, ut celeritas quoque illis mora sit: vos ergo mente in coelos conscendite, ita nullum erit vobis longum aut breve tempus.

9. Non tardat Dominus in promissione, sicuti quidam tarditatem existimant; sed tolerantem se praebet erga nos, nolens ullos perire, sed omnes ad poenitentiam recipere (aut colligi, vel aggregari). 10. Veniet autem dies Domini tamquam fur in nocte, in qua coeli in modum procellae transibunt, elementa autem ardore solventur, et terra, quaeque in ea sunt opera, ardebunt. 11. Quum haec igitur omnia solvantur, quales oportet nos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, 12. Expectantes properando adventum diei Dei, propter quem coeli solventur, et elementa ardore consumerentur? 13. Novos autem coelos et terram novam iuxta promissum eius exspectamus, in quibus habitat iustitia.

9. *Non tardat Dominus.* Alia ratione nimiam ac praeposteram festinationam compescit, nempe quod Dominus adventum suum ideo differat, ut totum humanum genus ad poenitentiam invitet. Semper enim nobis animi pruriunt, et subinda obrepit dubitatio, cur non citius venit. Sed ubi audimus, Dominum salutem nostram consilere, ubi differt, et ideo differre, quia nostri curam habet: non est, cur de tarditate amplius queramus. Tardus animus dicitur, qui occasionem pigritiae effluere sinit; in Deo nihil simile, qui temporum rationem ad salutem nostram optime attemperat. Atque omnino de totius mundi duratione idem, quod de cuiusque hominis vita, sentiendum est. Dens enim tempus singulis prorogando sustinet eos, quoad respiciant. Similiter finem mundi ideo non accelerat, ut det omnibus respiciendi spatium. Haec valde utilis admonitio est, ut tempore recta uti discamus, iustam alioqui ignaviae poenam daturi. *Nolens ullos perire.* Mirus hic erga humanum genus amor, quod omnes vult esse salvos, et ultro percentes in salutem colligere paratus est. Notandus autem hic ordo, quod paratus est Deus omnes ad poenitentiam recipere, ne quis pereat. His enim verbis obtinendae salutis modus indicatur, proinde quisquis nostrum ad salutem adspirat, discat haec via ingredi. Sed hic quaeri potest: Si neminem Dens perire velit, cur tam multi pereunt? Respondeo, non de arcano Dei consilio hic fieri mentionem, quo destinati sunt reprobi in suum exitium; sed tantum de voluntate quae nobis in evangelio patefit. Omnibus enim promiscue manum illic porrigit Dens; sed eos tantum apprehendit, ut ad se ducat, quos ante conditam mundum elegit. Caeterum quum verbum *καταστροφαι* apud Graecos saepe etiam neutrum sit: huic loco non minus apte quadraret, quod in parenthesi posui, quod Deus velit ad poenitentiam simul venire omnes, qui prius vagi et dissipati fuerant.

10. *Veniet autem dies Domini.* Hoc additum est, ut semper in excubiis sint fideles, nec crastinum sibi promittant. Dnobis enim longe diversis vitiis laboramus fere omnes, nimia festinatione et ignavia. Impatientia enim rapimur ad diem Christi nunc iam expectandum; interea ipsum secure procul reiicimus. Quare sicuti antehac apostolus importunum fervorem correxit: ita nunc somnolentiam nobis executit, ut omnibus horis ad Christum expectandum simul intenti, ne diffluamus, ut fieri solat. Unde enim fit, ut caro sibi indulgeat, nisi quod de propinquo Christi adventu nulla subit

eogitatio? Quod postea sequitur de coeli et terrae incendio, non longae expositionis indiget, si quidam eius consilium expandamus. Neque animo hic subtiliter de igni et procella, et aliis rebus disputare voluit, sed tantum inde alicare exhortationem, quam mox atexit, nampe ut enitemur nos quoque ad vitae novitatem. Sic enim ratiocinatur, coelum et terram incendio purgatum iri, ut regno Christi respondeant: renovationem itaque in hominibus longae esse magis necessariam. Mali ergo sunt interpretes, qui in argutis speculationibus multum consumunt operam, quum apostolus totam hanc doctrinam ad pias exhortationes accommodet. Coelum, inquit, et terra nostra causa transibunt: an ergo nos in terra demersos esse convanit, ac non potius sanctam ac piam vitam meditari? Corruptio coeli et terrae igne purgabitur; quum tamen purae sint Dei creaturae; quid ergo nobis agendum, qui tot inquinamentis sumus referti? In voce pietatum, plurali numero abusus est loco singulari, nisi pro exercitiis pietatis accipias. De mundi elementis hoc unum dicam, absumptum iri, tantum ut novam qualitatem induant manante substantia, sicuti ex epist. ad Rom. cap. 8, 21., et aliis locis facile colligi potest.

12. *Expectantes properando.* Ita vertere placuit, tametsi duo sunt participia. Nam quae saorsum prius habuimus, nunc in unam sententiam colligit, quod festinantur debeamus quiescere. Haec autem repugnantiae species non parum habet gratiae, ut in proverbio: Festina lente. Quum dicit: expectantes, hoc ad spei tolerantiam refertur, festinationem opponit torpori, utrumque apposite. Nam ut spai propria sunt silentium et quies, ita semper cavendum, ne obrapat carnis securitas: ideo in bonis operibus strenua laborandum, et in stadio vocationis nostrae oaseriter currendum est. Quem prius diem Christi dixerat (ut etiam passim in scriptura vocari solet) nunc Dei appellat, et merito. Christus enim tunc exsurget, ut restituat patri regnum, quo sit Deus omnia in omnibus.

14. Quare, dilecti, quum haec expectetis, studete incontaminati et irreprehensibiles ab eo inveniri in pace. 15. Et Domini nostri tolerantiam salutem existimate, quem admodum et dilectus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, 16. Sicuti in omnibus epistolis, loquens de iis, in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles invertunt (ut et caeteras scripturas) ad suam perniciem. 17. Vos igitur, dilecti, praemoniti cavete, ut ne simul nefariorum errore abacti excidatis a vestra firmitate. 18. Crescite autem in gratia et notitia Domini nostri et servatoris Iesu Christi; ipsi gloria et nunc, et in diem aeternitatis.

14. *Quare etc.* Recte a spe ad effectum vel studium pie vivendi argumentatur. Spes animi viva est et efficax: ideo fieri non potest, quin nos ad se rapiat. Ergo qui coelos novos expectat, novitatem a se ipso incipiet, hucque adspirabit toto studio: qui vero in sordibus suis haerant, eos certum est nihil de regno Dei cogitare, ac nihil sapere quam mundum corruptibilem. Notandum autem, quod dicit, *inveniri nos debere a Christo irreprehensibiles.* Nam hoc verbo significat, dum alios occupat ac datinet mundi respectus, coniciendos nobis esse oculos in Dominum, et simul quatenam sit vera integritas, ostendit, nempe quae probatur ipsius iudicio, non autem quae apud homines laudem habet. Nomen *pacis* accipi mihi

vidatur pro quieto conscientiae statu, qui in spe et tolerantia fundata est. Quod enim tam pauci ad Christi iudicium animos advertunt, inde fit, quia, dum praecipites feruntur importuna sua cupiditate, simul sunt tumultuosi. Ergo pax ista silentium est pacatae animae, quae in Dei verbo acquiescit. Queritur, quomodo inveniri, quispiam possit a Christo irreprehensibilis, quum tot vitis laboribus omnes; sed Petrus hic scopum tantum demonstrat, ad quem tandem fideles oportet, utrunque eo usque non pertingant, donec carne sua exuti Christo penitus adhaereant.

15. *Domini nostri tolerantiam.* Sumit illud pro confesso, Christum ideo diem adventus sui differra, quia salutis nostrae rationem habeat: inde igitur animat fideles, quod in longiore mora salutis suae signum habeant. Ita quod taedio frangere alios solet, prudenter ratorquet in contrariam partem. *Quemadmodum et dilectus.* Facile cum ex multis locis, tum ex epistola ad Galatas colligere licet, nebulones, qui passim oberrabant ad turbandas ecclesias, ut fidem Paulo detraherent, hoc praetextu abusos esse, quod ille minus bona cum reliquis apostolis conveniret. Ergo probabile est, factam a Petro mentionem Pauli esse ad testandum utriusque consensum; nam eiusmodi calumniae ansam praecidere plus quam necesse fuit. Et tamen, dum omnia propius expendo, mihi fit verisimilius, hanc epistolam ex Petri sensu ab alio compositam, quam ab eo scriptam esse. Nunquam epim sic loquutus fuisset Petrus; sed mihi sufficit testem habere tum doctrinam ipsius, tum voluntatis, qui nihil proferat dissentaneum ab iis, quae dicturus erat ipse.

16. *In quibus sunt quaedam.* Hoc relativum *epistolis* non convenit; est enim neutrum apud Graecos. Sensus est, in his rebus, quarum meminit, obscuritatem interdum subesse, ex qua occasionem indocti arripiant in suum exitium errandi, Quibus verbis monemur, sobrie in his rebus tam altis et obscuris philosophandum esse; deinde adversus hoc genus scandali arigimur, ne stultae vel absurdae quorundam speculationes nos perturbent, quibus implicent ac contorquent simplicem doctrinam, quae adificationi servira debuerat. Notemus autem, non arceri nos a lectione epistolarum Pauli, quod nonnullae contineant ardua et intellectu difficilia; sed potius nobis commendari, modo sedatam mentem ac docilem afferamus. Leves enim ac volatiles homines damnat Petrus, qui praepostere in exitium suum detorquent, quae sunt omnibus utilia. Imo hoc generaliter in tota scriptura fieri dicit; neque tamen inde colligit, abstinendum ab ea esse, sed tantum corrigenda esse vitie docet, quae profectum impediunt, neque id modo, sed etiam lethala nobis reddunt, quod Deus in salutem nostram destinavit. Queritur tamen, unde ista obscuritas; nam scriptura instar lempedis nobis refulget, certoque gressus nostros dirigit. Respondeo, nihil esse mirum, si regni Christi mysteriis obscuritatem Petrus attribuat, praesertim si reputemus, quantum sint a sensu carnis abscondite; modum tamen docendi, quem tenet Deus, sic temperatum esse, ut conspicuam illio lucem habeant, quicunque spiritum sanctum viae ducent sequi non recusant. Multi interea caeci sunt, qui impingunt in ipso meridie; alii superbi, qui per devia vagantur, et quamlibet ardua transvolantes, se praecipitant.

17. *Vos igitur dilecti.* Postquam fidelibus ostendit pericula, a quibus cavendum erat, nunc concludit, ut moniti sapiant. Sed vigilantia opus esse docet, ne opprimantur. Et certa hostis nostri vafrities, tot ac tam multiplices insidiae, quibus nos adortur, impiorum hominum captiones nullum securitati locum relinquunt: ergo agenda sunt excubiae, ne ad nos circumveniendos praevaleant Satanae et impiorum fraudes. Videtur tamen in lubrico locere, et quasi de filo suspendere salutis nostrae certitudinem, quum fidelibus

cavendum denuntiat, ne a sua firmitate excidant. Quid autem nobis fiet, si cadendi periculo subiacemus? Respondeo, hanc exhortationem et similes minime huc spectare, ut nobis fidei securitatem excutiant, quae in Deum recumbit, sed ut carnis nostrae desidiam corrigant. Qua de re si quis plura desideret, petat ex prioris epist. ad Corinth. cap. 10. Summa haec est, quamdiu carne sumus circumdati, urgendam esse nostram tarditatem, idque apte fieri, quum et nostra infirmitas et discriminum, quae nos circumstant, varietas nobis ponuntur ante oculos; caeterum hinc minime labefactari fiduciam, quae Dei promissionibus insistit.

18. *Crescite autem in gratia.* Ad profectum etiam hortatur, quia haec unica est perseverandi ratio, si assidue progredimur, nec residues subsistimus in medio itinere, acsi diceret, tutos fore, qui in dies proficere student. Nomen gratiae generaliter pro spiritualibus donis accipio, quae per Christum consequimur. Sed quoniam pro fidei mensura honorum Christi sumus participes, gratiae sublicitur cognitio, acsi dixisset, prout crescet fides, sequutura similis esse gratiae augmenta. *Ipsi gloria etc.* Insigne elogium ad divinitatem Christi comprobendam; neque enim hoc nisi soli Deo convenit. Huc pertinet adverbium praesentis temporis *nunc*, ne Christum, quamdiu in mundi militia versamur, fraudemus sua gloria. Addit mox: *in diem aeternitatis*, ut iam nunc animis concipiamus aeternum eius regnum, quod plenam eius gloriam nobis patefaciet.

---

ARGUMENTUM  
EPISTOLAE IOHANNIS.

**H**æc epistola prorsus digna est eius discipuli spiritu, qui præ aliis ideo dilectus a Christo fuit, ut ipsum nobis familiarem redderet. Porro doctrinam exhortationibus mistam continet. Dissertit enim de æterna Christi deitate, simul et incomparabili, quam mundo patefactus secum attulit, gratia; tum de omnibus in genere beneficiis, ac præsertim inæstimabilem divinæ adoptionis gratiam commendat atque extollit. Inde sumit exhortandi materiam, et nunc quidem in genere pia et sancta vivendum admonet; nunc de caritate nominatim præcipit. Verum nihil horum continua serie facit. Nam sparsim docendo et exhortando varius est; præsertim vero multus est in urgenda fraterna dilectione. Alia quoque breviter attingit, ut de cavendis impostoribus, et similia. Verum singula observari suis locis poterunt.

---

## IOHANNIS APOSTOLI EPISTOLA,

CUM

IOH. CALVINI

## COMMENTARIIS.

## CAP. I.

1. Quod erat ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod intuiti sumus, quod manus nostrae contrectaverunt de sermone vitae; 2. Et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud patrem, et manifestata est nobis.

Initio proponit, exhibitam nobis fuisse in Christo vitam, quod, ut est bonum incomparabile, ita sensus omnes nostros miro sui desiderio et amore rapere et inflammare debet. Paucis quidem et simplicibus verbis hoc dictum est, vitam essa manifestatam; verum si reputamus, quam misera et horvenda sit mortis conditio, rursus quid Dei regnum immortalis eius gloria valeant: aliquid hic magnificentius sentiemus, quam ullis verbis exprimi queat. Ergo hoc consilium est apostoli, proposito ingenti bono, imo summa et unica beatitudine, quam nobis in filio suo Deus contulit, animos nostros sursum attollere; sed quia rei magnitudo postulabat, ut certa esset ac comprobata veritas, hac in parte multum iusistit. Nam ista omnia, *quod vidimus, quod audivimus, quod sumus intuiti* etc. ad sanciendam evangelii fidem valent. Nec vero tantum asseverandi studium frustra adhibet. Quum in evangelio salus nostra consistat, res plus quam necessaria est eius certitudo; nos vero quam simus ad credendum difficiles, propria experientia plus nimio quisque nostrum agnoscit. Credere appello, non leviter opinari, aut assentiendo tantum probare, quod dicitur; sed firma indubiaeque persuasione amplecti, ut audeamus tamquam compertae veritati subscribere. Hac ratione tam multa in evangelii confirmationem hic apostolus congerit.

1. *Quod erat ab initio.* Quoniam abrupta est et confusa oratio, ut sensus reddatur clarior, ita verba resolvere oportet: Nos verbum vitae, quod erat ab initio, et nobis vere modis omnibus testatum fuit, vobis annuntiamus, ut vita in eo manifestata fuerit; vel si aliter mavis: Quicquid de verho vitae annuntiamus vobis, ab initio erat, et nobis palam ostensum fuit, quia vita in eo manifestata est. Caeterum particula haec: *Quod erat ab initio*, ad Christi divinitatem procul dubio refertur. Neque enim ab initio erat Deus in carne manifestatus; sed is, qui semper vita fuit, et aeternus Dei sermo, in plenitudine temporum homo apparuit. Rursus quae sequuntur de intuitu et palpatione manuuni, magis ad humanam naturam spectant. Verum quia duae naturae personam unam constituent, et unus est Christus, qui a patre prodiit, ut carnem nostram induerit, merito apostolus eundem et semper fuisse invisibilem, et

postea visum esse, communiter praedicat. Quo refellitur putidum Serveti cavillum, unam esse deitatis naturam et assentiam cum carne: adeoque verbum in carnem transformatum, quia ille sermo vivificus in carne visus fuerit. Meminerimus ergo, hanc asseri evangelii doctrinam, quod is, qui in carne vere se filium Dei esse probavit, ac pro filio Dei fuit agnitus, semper invisibilis fuerit Dei sermo. Neque enim mundi initium hic designat; sed altius ascendit. *Quod audivimus, quod vidimus.* Non rumoris fuit hic auditus, cui parum fidei haberi solet; sed intelligit Iohannes, se de iis, quae docuit, prius fuisse a magistro probe adoctum, ut nihil temere in medium protulerit. Et certe nemo erit in ecclesia idoneus doctor, qui non filii Dei ante fuerit discipulus, ac rite institutus in eius schola, quando sola eius auctoritas valere debet. Quod dicit, se oculis vidisse, non est pleonasmus, sed maior expressio amplificationis causa. Imo non contentus simplici adpectu, addit: *contemplati sumus*, et manus nostrae palparunt. Quibus verbis testatur, nihil se docuisse, quod non solida perspectum habuerit. Videtur tamen ad praesentem causam parum valere sensuum approbatio. Neque enim vel oculis vel manibus comprehendi potuit virtus Christi. Respondeo, hic idem dici, quod primo evangelii capite: Vidimus gloriam eius, gloriam unigeniti Dei filio dignam. Neque enim ab externa corporis figura agnitus fuit Dei filius, sed ex eo, quod illustra divinae suae potentiae documenta edidit, ita ut in eo, tamquam viva et expressa imagine, rasulserit patris maiestas. Quum verba sint pluralis numeri, et res apostolis omnibus peraeque conveniat, libenter de illis interpretor, praesertim quia de testimonii auctoritate agitur. Caeterum non minus frivola (ut nuper attigi) quam pudenda est Serveti improbitas, qui haec verba urget, quo probet sermonem Dei fuisse visibilem ac palpabilem. Impia duplicem in Christo naturam vel destruit, vel miscet. Pigmentum itaque nescio quod comminiscitur, Christi humanitatem sic deificans, ut veritatem naturae humanae prorsus illi adimat, negans interea alia ratione Christum esse Dei filium, nisi quia ex matra conceptus est spiritus sancti virtuta, et propriae illi subsistentiam in Deo auferens. Unde sequitur, neque Deum esse, neque hominem, licet videatur confusam ex utroque massam conflare. Verum quoniam nobis indubia est mens apostoli, oamem illum omitamus. *De sermone vitae.* Genitivus loo epitheti capitur pro: vivifico, quia (ut primo evangelii capite docet) in ipso vita arat, quamquam titulus hio in filium Dei duplici iura competit, et quod vitam effuderit in omnes creaturas, et quod nunc vitam in nobis reparet, quae per Adae peccatum extincta perierat. Quinetiam ipsum quoque sermonis nomen bifariam potest exponi: vel de Christo, vel de evangelii doctrina; nam et per hanc salus nobis affertur. Caeterum quia eius substantia est Christus, neque aliud continet, quam hominibus tandem fuisse patefactum, qui semper fuerat apud patrem: mihi simplicior et magis genuina videtur prior expositio. Porro sermonem vocari sapientiam in Deo residentem, melius ex evangelio constat.

2. *Et vita manifestata est.* Copula explicationis vica hic ponitur, acsi diceret: Nos da sermone vivifico testimonium raddimus, quemadmodum manifestata fuerit vita, quamquam potest adhuc duplex esse sensus: vel quod exhibitus fuerit Christus, qui vita ast ac fons vitae; vel quod vita nobis in Christo fuerit palam oblata. Hoc quidem posterius necessario sequitur ex priore. Quantum tamen ad verborum significationem, differunt inter sa haec duo, ut causa et effectus. Ubi secundo repetit: *Annuntiamus vitam aeternam*, non dubito, quin de effectu loquatur, nempe quod annuntiat, beneficio Christi partam nobis assa vitam. Unde colligimus, non posse Chri-

stum nobis praedicari, quin aperiatur nobis regnum coeleste, ut a morte excitati vivamus Dei vitam. *Quae erat apud patrem.* Hoc verum est, non tantum ex quo conditus fuit mundus; sed etiam ab ultima aeternitate. Semper enim Deus vitae fons fuit. Vis autem et facultas vivificandi panes aeternam eius sapientiam fuit; sed eam actu non exerebat ante mundi creationem. Ex quo autem Deus sermonem proferre coepit, vis illa, quae prius abscondita latebat, sese in creaturas diffudit. Iam haec aliqua fuit manifestatio; sed apostolus alio respicit, nempe quod tunc demum manifestata fuerit vita in Christo, quum ipse carne nostra indutus partes redemptionis implevit. Tametsi enim eiusdem vitae patres, etiam sub lege, socii ac consortes fuerunt: scimus tamen sub spe, quae revelanda erat, fuisse conclusos. Necesse illis erat, vitam a morte et resurrectione Christi petera; atqui res erat non solum procul remota ab oculis, sed mentibus etiam abscondita: pandebant igitur a spe revelationis, quae suo demum tempore subsequuta est. Non poterant quidem vitam obtinere, nisi sibi aliquo modo manifestatam; sed inter nos et illos magnum est discrimen, quia, quem ipsi obscure sibi promissum in figuris quaerebant, nos iam exhibitum quasi manibus tenemus. Caeterum consilium apostoli est, tollere opinionem novitatis, quae minuera evangelii dignitatem poterat. Quae rationa dicit, non coepisse nunc demum vitam, utcumque nuper apparuerit, quia perpetuo fuit apud patrem.

8. Quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum patre et cum filio eius Iesu Christo. 4. Et haec scribimus vobis, ut gaudium vestrum sit completum. 5. Et haec est promissio (vel *hic est nuntius*), quam annuntiamus vobis, quod Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae. 6. Si dixerimus, quod societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus: mentimur, et veritatem non facimus. 7. Si autem in luce ambulamus, sicut ipse in luce est: societatem habemus inter nos mutuam, et sanguis Iesu Christi filii eius emundat nos ab omni peccato.

8. *Quod vidimus.* Iam tertio repetit illud suum: vidisse et audisse, ne quid desit ad solidam suae doctrinae certitudinem. Atque id diligenter notandum est, delectos esse a Christo evangelii praecones, qui idonei ac fidei eorum omnium, quae dicturi erant, testes esse possent. Simul etiam de animi sui affectu testatur, quia non alia ratione moveri se dicit ad scribendum, nisi ut eos, quibus scribit, ad societatem inaeestimabilis boni invitet. Unde patet, quantum habeat salutis ipsorum curam. Quod ad conciliandam fidem non parum valet; nimis enim ingrati sumus, si eum recusamus audire, qui felicitatis, quam adeptus est, partem communicare nobiscum optat. Fructum deinde exprimit, qui ex evangelio percipitur: nempe ut coniuncti simus Deo et filio eius Christo, in quo summum bonum consistit. Hoc secundum membrum addi oportuit, non modo ut pretiosam et amabilem redderet evangelii doctrinam, sed etiam ut ostenderet, non in alium finem eos sibi cupere socios, nisi ut Deo addiceret, atque ita omnes in ipso unum essent. Nam habent improbi quoque mutuam inter se coniunctionem, sed extra Deum, imo ut se a Deo magis ac magis alienent; quod malorum omnium extremum est. Haec vero (sicut iam dictum est) unica nostra est beatitudo, a Deo recipi in gratiam, ut vere illi in Christo uniti simus, de qua Iohann. capite 17. In summa, pronuntiat Iohannes,



quemadmodum adoptati sunt a Christo apostoli in fratres, ut collecti in unum corpus, Deo simul adhaereant: ita se hoc cum reliquis collegis agere, ut sacrae huius ac beatæ unitatis multi sint consortes.

4. *Ut gaudium vestrum.* Nomine pleni gaudii melius integram et perfectam beatitudinem exprimit, quam ex evangelio consequimur. Simul admonet, fideles ubinam defixos habere debeant omnes suos affectus. Verum est proverbium illud (Math. 6, 21.): Ubi est thesaurus noster, ibi esse cor nostrum. Quisquis ergo vere percipit, quid valeat illa cum Deo societas, hac una abunde contentus est, nec amplius variis desideriis aestuat. Dominus calix meus (inquit David, Psalm. 16, 5.) et haereditas mea. Fines mihi ceciderunt in praeclaram sortem. Eodem modo Paulus (Philipp. 3, 8) sibi omnia pro stercorebus esse praedicat, ut possideat unum Christum. Quare is demum in evangelio profecit, qui se Dei communicatione beatum existimans in ea sola acquiescit, sicque eam praefert toti mundo, ut eius causa omnia relinquere sit paratus.

5. *Et haec est promissio.* Non minus probo, quod reddidit verus interpres: Haec est annuntiatio. Quamvis enim *Ἐπαγγελία* Graecis promissionem saepius significet: quia tamen generaliter hic loquitur Iohannes de testimonio, cuius paulo ante meminit, videtur contextus potius exigere alterum illum sensum, nisi forte sio resolvas: Promissio, quam vobis afferimus, hoc secum trahit, vel hanc conditionem habet annexam. Hoc modo nobis constabit mens apostoli. Neque enim hic vult complecti totam evangelii doctrinam; sed ostendit, hoc requiri, si Christo et eius bonis frui volumus, ut Deo simus in iustitia et sanctitate conformes, quemadmodum et Paulus dicit epistolae ad Titum capite: Apparuit gratia Dei salutifera omnibus, ut abnegata impietate et mundanis desideriis sobrie et iuste et sancta vivamus in hoc saeculo; nisi quod hio metaphorice in luce ambulandum esse docet, quia Deus lux est. Porro quum Deum nunc vocat *lucem*, nunc dicat *esse in luce*, non sunt nimis urgendae voces. Cur Satan vocetur princeps tenebrarum, satis notum est: ergo quum Deus ex adverso Pater lucis et lux vocatur, primum intelligamus, nihil in eo esse nisi liquidum, purum et sincerum; deinde qui suo fulgore sic omnia illustrat, ut nihil vitiosum aut contortum, nullas maculas vel sordes, nullam hypocrisim vel fraudem latere patiatur. Proinde haec summa est: Quum nulla sit consensio inter lucem et tenebras, quamdiu in tenebris ambulamus, nobis cum Deo esse dissidium: illam ergo, cuius meminit, societatem aliter non constare, quam si nos quoque puri et lucidi simus. *Tenebrae in eo non sint.* Haec loquendi forma valde est Iohanni familiaris, ut, quod affirmavit, contraria negatione amplificet. Ergo sensus est, Deum eiusmodi lucem esse, ut nullas tenebras admittat. Unde sequitur, autem odisse malam conscientiam, pollutos ac perversos mores, et quicquid tenebras sapit.

6. *Si dixerimus.* Est quidem ergumentum a repugnantibus, dum alienos a Deo esse colligit, qui in tenebris ambulant. Pendet tamen haec sola doctrina ex altiore principio, nempe quod Deus suos sanctificet. Neque enim nudum est praeceptum, quo sanctam a nobis vitam exigit; sed potius ostendit, ad hoc quoque valere Christi gratiam, ut discussis tenebris lucem Dei in nobis accendat, acsi diceret: Quod Deus se nobis communicat, non est inane figmentum; sed necesse est, ut vis et effectus huius societatis in vita relucent; alioqui mendax erit evangelii professio. Quod addit: *Non facimus veritatem*, perinde valet, acsi dixisset: Non agimus veraciter, vel: Non colimus verum et rectum. Est autem phrasis illa, quam prius annotavi esse illi in frequenti usu.

7. *Si autem in luce ambulamus.* Nunc dicit, certum hoc esse symbolum nostrae cum Deo coniunctionis, si illi simus conformes, non quod vitae puritas Deum nobis conciliet tamquam prior causa; sed intelligit apostolus, ab effectu constare, nos Deo esse unitos, si eius puritas in nobis luceat. Et sane ita res habet, quocumque accedit Deus, sive eius sanctitate omnia perfundi, ut sordes omnes abstergat; extra eum vero nihil praeter immunditiam et tenebras nos habere. Hinc patet, neminem recte vivere, quin simul Deo adhaereat. Quod dicit: *Societatem esse nobis mutuam*, non simpliciter ad homines refertur, sed Deum in una parte, nos autem in altera statuit. Quaeri tamen potest, quisnam hominum lucem Dei sic exprimere possit in sua vita, ut exstet ista similitudo, quam requirit Iohannes. Nam hoc modo necesse foret, tenebris omnino purum esse ac vacuum. Respondeo, huius generis loquutiones ad captum hominum attemperandas esse. Itaque similis Deo esse dicitur, qui ad eius similitudinem adspirat, utcumque longe ab ea adhuc absit. Non aliunde petendum est exemplum, quam ex praesenti loco. In tenebris ambulat, quisquis non regitur timore Dei, nec pura conscientia hunc finem spectat, ut se Deo totum addicens eius gloriam promoveri studeat. Ergo ex adverso, qui sincero cordis affectu vitam suam omnesque eius partes exigens ad Dei timorem et obsequium, pure illum colit, etiam in multis delinquat, gematque sub carnis onere, in luce ambulare censetur, quia rectam viam tenet. Sola igitur est conscientiae integritas, quae lucem a tenebris discernit. *Et sanguis Iesu Christi.* Postquam docuit, quale sit nostrae cum Deo unitatis vinculum, fructum quoque inde manantem demonstrat, nempe quod tunc gratuito nobis remittuntur peccata. Haec autem est illa beatitudo, quam David Psalmo 82. describit, ut sciamus, nos esse miserimos, donec spiritu Dei regeniti puro corde illi serviamus. Quid enim miserius homina fingi potest, quem Deus odio et abominationi habet, cuius capiti simul cum ira Dei incumbit mors aeterna? Insignis est hic locus, ex quo primum discimus, tunc ad nos proprie pertinere expiationem Christi morte partam, quum iustitiam recto cordis affectu colimus. Neque enim redemptor est Christus, nisi iis, qui ab iniquitate conversi novam vitam instituunt. Quare si Deum cupimus habere propitium, ut peccatis ignoscat, non debemus ipsi nobis ignoscere. Denique a poenitentia non potest avelli peccatorum remissio, nec pax cum Deo potest esse conscientia, ubi non regnat Dei timor. Docet secundo hic locus, gratuitam peccatorum veniam non semel tantum nobis dari, sed hoc beneficium perpetuo in ecclesia residere, et quotidie offerri fidelibus. Nam apostolus hic alloquitur fideles, ut certe nemo unquam fuit, nec futurus est, qui possit aliter placere Deo, quum omnes sint reatus obstricti apud Deum. Qualacumque enim in nobis sit recte agendi studium, semper claudicando ad Deum tendimus. Porro quicquid dimidium est, laudem apud Deum non meretur. Interea novis subinde peccatis, quantum in nobis est, abdicamus nos a Dei gratia: ita fit, ut quotidiana peccatorum remissione opus habeant sancti omnes, quia haec sola in Dei familia nos retinet. Quum dicit: *ab omni peccato*, significat, multis nominibus coram Deo nos esse reos, ut certe nemo est, qui non pluribus vitiis laboret; caeterum piis ac Deum timentibus nulla peccata obstat docet, quominus Deo placeat. Modum etiam impetrandae veniae, et purgationis causam demonstrat: nempe quia peccata nostra Christus sanguine suo expiavit. Sed pios omnes indubie huius purgationis fora participes affirmat. Haec tota pars doctrinae impie corrupta fuit a sophistis; gratuitam enim peccatorum veniam nobis tantum in baptismo dari fingunt. Illic solum Christi sanguinem valere fatentur; sed a baptismo non aliter nos Deo recon-

collari tradunt; quam per satisfactiones. Relinquunt et hic quidem sanguini Christi partem aliquam; sed quum operibus vel ex minima parte laudem assignent, munus expiandi peccata Deumque placandi prorsus evertunt, quod hic dicit Iohannes. Nunquam enim haec inter se convenient, mundari nos Christi sanguine, et opera esse ablutiones, quia Iohannes non dimidium hic, sed totum Christi sanguini assignat. Haec igitur summa est, ut certo statuente fideles, se acceptos esse Deo, quia sacrificio mortis Christi illis placatus est. Sacrificium vero, purgationem, expiationem et satisfactionem sub se continet: quare horum omnium vis et effectus in solum Christi sanguinem competit. Quo refellitur sacrilegum papistarum commentum de indulgentiis. Nam quasi non sufficiat Christi sanguis, martyrum quoque sanguinem et merita in subsidium advocant, quamquam haec blasphemiam apud eos longius patet. Nam quum suas claves, quibus remissionem peccatorum inclusam tenent, partim ex martyrum sanguine et meritis, partim ex supererogationis operibus, quibus se quisque peccator redemit, conflatas esse dicant: nulla illis manet peccatorum remissio, quae non sanguini Christi deroget. Nam si locum habeat eorum doctrina, non purgabit nos Christi sanguis, sed tamquam adminiculum periale concurret. Hoc etiam modo pendebunt conscientiae, quas hic in solida fiducia consistere apostolus inbet.

8. Si dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas non est in nobis. 9. Si confitemur peccata nostra, fidelis est et iustus, ut nobis peccata remittat, et purget nos ab omni iniustitia. 10. Si dixerimus, quod non peccavimus, mendacem facimus eum, et sermo eius non est in nobis.

8. *Si dixerimus.* Iam a necessitate commendat gratiam illam. Quia enim a peccato nemo est immunis, nos omnes perditos esse ac desperatos significat, nisi Dominus nobis succurrat veniae remedio. Haec ratio est, cur tantopere urgeat, neminem esse innoxium, quo melius sciant omnes, indigere se misericordia, quae ipsos ab exilio liberet, etque ita magis ad obtinendum hoc tem necessarium bonum incitentur. Nominis peccati non tantum prava et vitiosa inclinatio hic notatur; sed culpa, quae vere nos efficit reos coram Deo. Porro quum sit universalis sententia, sequitur, neminem sanctorum, qui sunt, fuerunt, vel futuri sunt, eximi ab hoc numero. Quare apposite Augustinus hoc testimonio Pelagianorum cavillum refellit; prudenter etiam expendit, non exigi reatus confusionem humilitatis causa, sed ne mentiundo nos fallamus. Quum addit: *veritas non est in nobis*, suo more priorem sententiam interando confirmat, quamquam non est simplex iteratio (ut alibi), sed eos felli dicit, quia in mendacio glorientur.

9. *Si confitemur.* Iterum fidelibus promittit, propitium illis Deum fore, modo se peccatores agnoscent. Magni enim interest, ut certo persuasi simus, promptam paratamque nobis esse cum Deo reconciliationem, ubi peccavimus, alioqui semper infernum in nobis inclusum ferimus. Pauci hoc quidem expendunt, quem misera et infelix sit conscientiae vacillatio; sed ita res habet, infernum regnare, ubi non est pax cum Deo. Quo magis amplecti toto enim hanc promissionem decet, quae certam omnibus peccata sua confitentibus veniam offert. Porro hanc in Dei fide et iustitia fundatam esse docet, quia Deus, qui promisit, verax est ac rectus. Nam qui *iustum vo-*

carl pantant, quia nos gratis iustificet, nimium argute (meo iudicio) philosophantur. Iustitia enim haec a fide pendet; utraque vero promissioni annexa est. Posset enim alioqui iustus esse Deus, et tamen summo iure nobiscum agere; sed quia se verbo suo nobis constrinxit, iustus censeri non vult, nisi ignoscat. Caeterum confessio haec, quum ad Deum referatur, sincerum cordis affectum requirit; cor, autem loqui Deo non potest absque vitae novitate; ergo veram in se poenitentiam continat. Gratuito quidem remittit Deus, sed ita, ut misericordiae facilitas non sit illecebra peccandi. *Purget nos.* Purgandi verbum videtur alio sensu capere quam prius. Nam Christi sanguine purgari nos dicebat, quia eius beneficio peccata non imputantur; nunc vero, postquam de venia loquutus est, addit etiam, Deum nos purgare ab iniustitia, ut hoc secundum membrum diversum sit a priore. Ita duplicem ex confessione fructum ad nos redire significat: quod Deus Christi sacrificio placatus nobis ignoscit, et quod nos corrigit ac reformat. Si quis obficiat, nunquam, dum in mundo peregrinamur, ab omni iniustitia nos purgari: quantum ad reformationem spectat, verum id quidem est; sed Iohannes non docet, quid Deus nunc perficiat in nobis. Fidelis est, inquit, ut nos mundet, non hodie scilicet, nec cras. Nam quamdiu carne circumdati sumus, nos in continuo profectu esse oportet, sed, quod semel coepit, quotidie pergit facere, donec tandem absolvat. Sic Paulus (Coloss. 1, 22.) dicit, nos electos esse, ut irreprehensibiles appareamus coram Deo. Et alibi (Ephes. 5, 27.): mundatam esse ecclesiam, ut sit absque omni ruga et macula; quamquam, si quis praesentem locum secus interpretari malit, quasi idem bis dicat, liberum id relinquo.

10. *Mendacem facimus.* Ultra progreditur, quod Deum blaphemant, qui sibi puritatem arrogant. Videmus enim, ut passim totum genus humanum peccati damnat: quare bellum cum Deo suscipit, quisquis effugere tentat hanc damnationem, ipsumque arguit mendacii, quasi immeritos premat. Confirmationis causa addit: *sermonem Dei non esse in nobis*, acsi diceret, nos tantam eius doctrinam reficere, quae sub reatu omnes includit. Unde colligimus, nos tunc demum rite profecisse in verbo Domini, dum vere humiliati sumus, ut gementes sub vitiorum onere confugere discamus ad Dei misericordiam, nec alibi quam in paterna Dei indulgentia acquiescamus.

## CAP. II.

1. Filioli mei, haec scribo vobis, ut non peccetis, quod, si quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum; 2. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem solum, sed etiam pro totius mundi.

1. *Filioli mei.* Est haec non modo ἀναξισπάλαισις superioris doctrinae, sed totius fere evangelii summa, ut abstinemus a peccatis, et tamen, quia semper obnoxii sumus Dei iudicio, certi simus Christum cum sacrificio mortis suae intercedere, ut patrem nobis propitiet. Interea occupatione etiam utitur, ne quis putet, eum peccandi licentiam dare; quum de misericordia Dei concionatur, et e m docet nobis omnibus esse expositam. Duas ergo evangelii partes simul coniungit, quas separando praeposteri homines illud lacerant

ae mutilant. Praeterea semper doctrina gratiae obnoxia fuit improborum calumniis. Quum proponitur in Christo peccatorum expiatio, peccandi licentiam concedi iactant. His malis ut occurrat apostolus, primo testatur, hunc esse doctrinae suae finem, ut homines peccare desinant. Nem quum dicit: *ut non peccetis*, hoc tantum vult, ut pro humanae infirmitatis modo abstineant a peccatis. Atque huc spectat, quod iam tractavi de societate cum Deo, ut conformes illi simus. Interea tamen de gratuita peccatorum remissione non tacet, quia, etiamsi coelum ruere, et omnia misceri debeant, haec pars doctrinae nunquam omittenda, quin potius clare et diserte praedicandum est Christi officium. Sic etiam hodie nos agere decet. Quia proclivis est caro ad lasciviam, sedulo monendi sunt homines, iustitiam et salutem morte Christi ideo partam esse, ut simus sacrum Dei peculium. Utcunque tamen multos Dei misericordia proterve abuti contingat, multi etiam canes calumniosa nos traducant, quasi vitiiis frena laxemus, fortiter in asserenda Christi gratia pergendum est, in qua maxime Dei gloria refulget, totaque hominum salus consistit. Spernendi sunt, inquam, isti impiorum latratus, quibus impetitos videmus fuisse apostolos. Hac de causa secundum membrum mox subiicit, *advocatum* nobis esse, ubi peccavimus. Quibus verbis confirmat, quod iam prius habuimus, quia longe absumus a perfecta iustitia, imo quotidie reatum nobis accersimus, esse simul in promptu remedium Deo placando, si ad Christum confugimus. Atque hoc solum est, in quo acquiescere possunt conscientiae, in quo continetur hominum iustitia, in quo fundata est spes salutis. Conditionalis particula *si quis*, debet in causalem resolvi; nam fieri non potest, quin peccemus. Denique significat Iohannes, non modo nos revocari a peccatis per evangelium, quia illic nos ad se Deus invitat, et spiritum regenerationis offert; sed etiam consuli miseris peccatoribus, ut Deum semper propitium habeant, nec peccata, quibus obstricti tenentur, obstare, quominus iusti sint, quia medietorem habent, qui ipsos Deo reconciliet. Porro dum ostendere vult, quomodo redeamus cum Deo in gratiam, dicit, Christum esse nobis *advocatum*. Nam in hoc apparet coram facie Dei, ut sacrificii sui vim et efficaciam erga nos exserat. Quo melius hoc possit intelligi, crassius loquar. Intersessio Christi continua et mortis eius applicatio in salutem nostram. Quod ergo Deus peccata nobis non imputat, hoc fit, quia Christum deprecatores respicit. Ceterum duo tituli, quibus postea Christum insignit, proprie ad circumstantiam huius loci spectent. Vocat *iustum et propitiationem*. Utroque praeditum esse oportet, ut munus personamque advocati sustineat. Quis enim peccator nobis Dei gratiam conciliet? Nam ideo arcemur omnes ab accessu, quia nemo purus est ac vacuus peccato: nemo itaque idoneus pontifex, nisi innocens et a peccatoribus segregatus, quemadmodum etiam habetur ad Hebraeos 7, 26. Additur *propitiationis*, quia nemo absque sacrificio idoneus est pontifex. Itaque sub lege nunquam sanctuarium ingrediebatur sacerdos, nisi praesente sanguine, et victima in precibus, quasi solenne sigillum, solebat ex Dei instituto adhiberi. Quo symbolo testatum esse Deus voluit, ut quis gratiam nobis impetret, oportere instructum esse sacrificio. Nam ubi offensus est Deus, ad ipsam placandum satisfactionis pretium exigitur. Hinc sequitur, opus habere advocato sanctos omnes, qui fuerunt ac futuri sunt; neminem vero praeter unum Christum huic muneri obcundo parem esse. Et certe nominatim duo haec epitheta adscripsit Iohannes Christo, ut unicum esse advocatum ostenderet. Sicuti autem eximia inde consolatio ad nos redit, quum audimus, Christum non semel modo esse mortuum, ut nobis patrem placaret; sed assidue intercedere pro nobis, ut aditus nobis in eius nomine ad Deum

pateat, ut preces nostrae exaudiantur: ita summopere cavendam, ne honor, qui illi proprius est, alio transferatur. Atqui scimus, in papatu promiscue sanctis attributum fuisse hoc munus. Nunc sunt anni triginta, quum hoc tam insigne fidei nostrae caput fere sepultum erat, Christum esse advocatum. Hodie fatentur, unum quidem esse ex multis, sed non solum. Qui inter papistas paulo plus habent verecundiae, non negant, Christum eminere; sed postea ingentem comitum turbam illi associant. Atqui verba clare sonant, non posse advocatum esse, qui non sit idem sacerdos. Sacerdotium porro non nisi in Christum solum competit. Interea non tollimus mutuas sanctorum intercessionem, quibus inter se caritatem exercent; sed hoc nihil ad mortuos, qui ex hominum contubernatio migrarunt; nihil etiam ad ea patrocinia, quae sibi confingunt, ne sint unius Christi clientes. Nam etsi fratres orant pro fratribus, unum tamen patronum omnes sine exceptione respiciunt. Dubiam itaque non est, quin totidem Christo idola opponant papistae, quot sibi patronos comminiscuntur. Obiter vero notandum est, nimis crasse errare eos, qui patris genibus Christum advolvunt, ut pro nobis oret. Tollendae sunt eiusmodi imaginationes, quae coelesti Christi gloriae derogant, ac retinenda simplex doctrina, fructum mortis eius recentem ac perpetuum nobis constare, quod sui intercessione Deum nobis propitiet, precesque nostras tam sacrificii sui odore sanctificet, quam patrocinii favore adiuvet.

2. *Non pro nostris solum.* Amplificationis causa hoc addidit, ut certo persuasi sint fideles, expiationem a Christo partam ad omnes extendi, qui evangelium fide amplexi fuerint. Sed hic movetur quaestio, quomodo mundi totius peccata expiantur. Omitto phreneticorum deliria, qui hoc praetextu reprobos omnes, adeoque Satanam ipsum in salutem admittunt. Tale portentum refutatione indignum est. Qui hanc absurditatem volebant effugere, dixerunt, sufficienter pro toto mundo passum esse Christum; sed pro electis tantum effiaciter. Vulgo haec solutio in scholis obtinuit. Ego quamquam verum esse illud dictum fateor: nego tamen praesenti loco quadrare. Neque enim aliud fuit consilium Iohannis, quam toti ecclesiae commune facere hoc bonum. Ergo sub omnibus reprobos non comprehendit; sed eos designat, qui simul credituri erant, et qui per varias mundi plagas dispersi erant. Tunc enim vere, ut par est, illustratur Christi gratia, quum unica esse mundi salus praedicatur.

3. Atque in hoc cognoscimus, quod cognovimus eum, si praecepta eius servamus. 4. Qui dicit: Novi eum, et praecepta eius non servat, mendax est, et in eo veritas non est. 5. Qui vero servat eius sermonem, vere in ipso caritas Dei perfecta est. In hoc cognoscimus, quod in ipso sumus. 6. Qui dicit, se in eo manere, debet, sicuti ille ambulavit, ita et ipse ambulare.

3. *Atque in hoc.* Postquam doctrinam illam de gratuita peccatorum remissione tractavit, iterum ad exhortationes redit illi annexas, et quae ab ea dependent. Ac primo quidem admonet, non otiosam esse Dei notitiam, quae ex evangelio concipitur; sed parere ex se obedientiam. Postea ostendit, quid maxime a nobis Deus flagitet, quid sit in vita praecipuum: nempe ut Deum amemus. Quod de viva Dei cognitione hic legimus, non temere scriptura passim repetit. Mundo enim nihil magis tritum est, quam pietatis doctrinam

trahere ad frigidas speculationes. In hunc modum a Sorbonicis sophistis adulterata fuit theologia, ut ex tota eorum scientia ne minima quidem scintilla pietatis emicare queat. Et passim curiosi homines tantum discunt ex verbo Dei, quod garrant ostentationis causa. Denique nimis vulgare hoc fuit saeculis omnibus malum, nomen Dei frustra iactare. Sumit ergo Iohannes hoc principium, quod Dei cognitio sit efficax. Unde colligit, minime Deum cognoscere, qui praecepta eius non servant. Plato, licet in tenebris palpitans, suum tamen illud pulchrum, quod imaginatur, cognosci posse negat, quin hominem rapiat in admirationem sui, in Phaedro et aliis locis. Denm ergo qui fieri potest ut cognoscas, et nullo affectu tangaris? Nec vero hoc tantum ex Dei natura manat, ut cognitum statim amemus; sed idem spiritus, qui mentes nostras illuminat, inspirat etiam cordibus conformem scientiae affectum, quamquam hoc secum fert Dei cognitio, ut eum timeamus et amemus. Neque enim Dominum et patrem, ut se ostendit, possumus agnoscere, quin praebeamus nos illi vicissim morigeros filios et servos obsequentes. Breviter evangelii doctrina vivum est speculum, in quo Dei effigiem contemplantes in eam transfiguramur, quemadmodum Paulus docet II. Cor. 3, 18. Quare ubi non adest pura conscientia, non nisi inane scientiae spectrum esse potest. Notandus est hic ordo, quum dicit, *nos cognoscere, quod noverimus*. Significat enim, Dei obedientiam sic coniunctam esse scientiae, ut tamen haec ordine sit prior, sicuti necesse est causam effectui suo esse superiorem. *Si praecepta eius*. Atqui nemo est, qui omni ex parte servet: ita nulla esset Dei cognitio in mundo. Respondeo, apostolum minime secum pugnare. Quum ergo nuper omnes reos statuerit coram Deo, non intelligit servare mandata, qui legi penitus satisfaciunt (quod exemplum nusquam inveniri potest in mundo), sed qui pro humanae infirmitatis capti vitam suam formare student ad Dei obsequium. Nam quoties de fidelium iustitia scriptura loquitur, adeo peccatorum remissionem non recludit, ut potius ab ea faciat exordium. Nec vero inde colligendum est, fidem in opera recumbere. Tametsi enim suae quisque fidei testimonium habet ab operibus: non tamen sequitur illic fundatam esse, quum posterior haec probatio instar signi accedat. Certitudo itaque fidei in sola Christi gratia residet; sed pietas et sanctitas vitae veram fidem a ficta et mortua Dei notitia discernit, quia haec veritas est in Christo (ut ait Paulus, Coloss. 3, 9.) exuisse veterem hominem etc.

4. *Qui dicit: Novi eum*. Unde probat mentiri, qui fidem iactant absque pietate? nempe a contrario, quia iam illud posuit, quod Dei cognitio res sit efficax. Neque enim nuda imaginatione cognoscitur Deus; sed quum se intus cordibus nostris per spiritum patefacit. Caeterum quia multi hypocritae fidei titulo frustra superbiunt, tales mendacii damnat apostolus. Nam quod dicit, supervacuum foret, nisi per multorum ora volitaret falsa et inanis Christianismi professio.

5. *Qui vero servat*. Nunc definit, quaenam vera sit legis Dei observatio: nempe Deum amare. Locus hic perperam (meo iudicio) ab iis exponitur, qui intelligunt, vere Deo placere, qui sermonem eius servant. Potius sic resolve: Diligere sincero cordis affectu Deum, est mandata eius servare. Breviter enim (ut iam admonui) indicare voluit, quid a nobis Deus exigit, et in quo posita sit fidelium sanctitas. Idem Moses quoque dicebat, quum legis summam colligeret: Nunc, Israel, quid petit abs te Dominus, nisi ut timeas ipsum, et diligas, ambulesque in praeceptis eius? Deuteronom. capite 10, 12. Item capite 30, 19. 20.: Elige vitam, nempe ut diligas Dominum Deum tuum, servias illi, et adhaerucas etc. Neque enim lex, quae

spiritualis est, de externis tantum operibus praecipit; sed hoc praecipue nobis commendat, ut Deum ex toto corde diligamus. Quod nulla hic fit hominum mentio, pro absurdo haberi non debet; continuo enim ex Dei amore fluit fraterna caritas, ut postea videbimus. Quisquis itaque vitam suam Deo probare cupit, ad hunc scopum omnes eius partes dirigat. Si quis obliat, neminem unquam fuisse repertum, qui Deum ita perfecte diligeret: respondeo, sufficere, modo quisque pro gratiae sibi datae mensura ad hanc perfectionem aspiret. Interim constat definitio, quod perfectus Dei amor sit legitima sermonis eius observatio. In ea nos progredi, sicut in notitia proficere decet. *Cognoscimus, quod in ipso.* Redit ad illum evangelii fructum, cuius meminerat, nempe societatem cum Deo et filio eius; atque ita confirmat superiorem sententiam a consequentibus. Nam si evangelii finis est, ut Deo communicemus; communicatio autem nulla esse potest absque amore: nemo rite in fide profecit, nisi qui Deo ex corde adhaeret.

6. *Qui dicit, se in eo manere.* Quemadmodum prius lucem Dei nobis in exemplar proposuit: nunc quoque ad Christum nos vocat, ut eius simus imitatores, quamquam non simpliciter hortatur ad imitationem Christi; sed ab unitate, quam habemus cum eo, arguit nos illi esse debere similes. Vitae, inquit, et operum similitudo probabit nos in Christo manere. Porro iis verbis ad proximum membrum, quod mox de amandis fratribus subiiciet, transitum sibi facit.

7. Fratres, non mandatum novum scribo vobis; sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio. Mandatum vetus est sermo, quem audistis ab initio. 8. Rursum mandatum novum scribo vobis, quae est veritas in ipso et in vobis, quia tenebrae transeunt, et lumen verum iam lucet. 9. Qui dicit, se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est adhuc. 10. Qui diligit fratrem suum, in luce manet, et offendiculum in eo non est. 11. Qui vero fratrem suum odit, in tenebris est, et in tenebris ambulat, nec scit, quo vadat, quia tenebrae excoecarunt oculos eius.

7. *Fratres, non mandatum etc.* Explicatio superioris doctrinae, quod scilicet amare Deum sit servare eius mandata. Non temere autem pluribus verbis in hoc insistit. Primum scimus, ut semper odiosa sit vel suspecta novitas; deinde non facile insuetum iugum suscipimus; adhaec, nbi certum aliquod doctrinae genus sumus amplexi, quicquam in ea mutari vel novari nobis molestum est. His de causis admonet Iohannes, nihil se docere de caritate, nisi quod iam ab initio auditum fidelibus, usu ipso inveteraverit. Alii vetustatem secna exponunt, quod scilicet non aliam nunc in evangelio vivendi regulam praescribat Christus, quam Deus olim sub lege; idque verissimum est. Nec repugno, quin hoc sensu paulo post evangelii sermonem appellet *vetus mandatum*. Verum hoc tantum nunc velle arbitror, haec prima esse evangelii rudimenta, sic ipsos a principio fuisse institutos; non esse, cur refugiant quasi insolitum, quo pridem imbutos esse oportebat. Nam relativum causae loco poni apparet: *vetus* ergo nominat, non quod ante multa saecula traditum fuerit patribus; sed in quo edocti fuerant statim a primo religionis ingressu. Id autem plurimum ad fidem asserendam valet, quia statuere debent lectores, ab eodem Christo profectum esse, a quo evangelium habent. *Mandatum vetus est.* Vetustatis nomen hoc loco longius extendi probabile est. Plenior enim est oratio, quam dicit: *Sermo, quem audistis ab*



*initio, est vetus mandatum.* Ac (meo quidem iudicio) significat, non debere accipi evangelium quasi doctrinam nuper natam, sed quae a Deo prodierit, sitque aeterna eius veritas, acsi diceret: Non debetis evangelii antiquitatem metiri temporis spatio, quo vobis allatum est, siquidem illic patefacta vobis fuit aeterna Dei voluntas. Non solum argo hanc pie vivendi regulam vobis tradidit Deus, quum vocati primum estis ad Christi fidem; sed eadem semper illi fixa probataque fuit. Et sana haec demum antiquitas censi debet, fidemque et reverentiam meretur, quae originem habet a Deo. Nam hominum figmenta, quantumvis longa annorum praescriptione, non tantum auctoritatis acquirunt, ut obruant Dei veritatem.

8. *Rursum mandatum novum.* Non videntur mihi interpretes apostoli mentem assequuti esse. *Novum* enim dicit, quod Deus quotidie suggerendo veluti renovat, ut se in eo tota vita exercent fideles, quia nullum sit illis praestantius expetendum. Nam quae pueri discunt rudimenta, postea locum cedunt altiori et solidiori doctrinae. Contra Iohannes negat eiusmodi esse doctrinam de fratribus diligendis, quae tempore obsolescat; sed perpetuo vigere, ut non minus sit ultima perfectio, quam tirocinium. Porro hoc necesse fuit addi, quia, ut curiosi plus iusto sunt homines, bona pars semper novi aliquid cupit appetit. Hinc simplicis doctrinae fastidium, quod innumera errorum portenta gignit, dum quisque novis subinde arcanis inhiat. Ubi autem hoc constitutum est, Dominum in eodem pergere tenore, ut in eo, quod didicimus, tota vita nos retineat: iniectum est huiusmodi cupiditatibus frenum. Ergo qui ad sapientiae metam pertingere cupit, quod ad vitam recte instituendam attinet, ille in caritate proficiat.

*Quae est veritas.* Probat ratione, quod dixit; quia hoc nro caritatis mandato, quod ad institutionem vitae spectat, constat tota Christi veritas. Quae porro expectanda est alia maior revelatio? nam Christus certe omnium finis est ac complementum: proinde veritatis nomen huc spectat, ut subsistant quasi in meta; nam pro complemento vel absoluto statu accipitur. Christum illis coniungit, ut membris caput, acsi diceret, corpus ecclesiae non aliam habere perfectionem, vel tunc solide Christo unitos fore, si sanctus amor inter ipsos mutuo vigeat. Alii secus exponunt: Quod est veritas in Christo, etiam in vobis est. Sed non video, quorsum id spectet.

*Quia tenebrae transeunt.* Praesens tempus loco praeteriti. Significat enim, simul ac Christus illuxit, nos habere plenum intelligentiae fulgorem. Non quod sapiat quisque fidelium primo die, quantum oportet (nam et Paulus, Philipp. 3, 12, se eniti testatur, ut apprehendat, quod nondum assequutus est), sed quia Christi notitia ad discutiendas tenebras sola sufficit. Ergo necessarii sunt quotidiani progressus, et prius suam auroram habet cuiusque fides, quam ad meridiem perveniat. Sed quia eiusdem doctrinae tenorem continuat Deus, in qua proficere nos iubet: merito evangelii cognitio verum lumen dicitur, ubi Christus sol iustitiae affulget. Ita via praeccluditur hominum audaciae, qui evangelii puritatem corrumpere suis figmentis tentant; ac tuto universam papae theologiae anathemate damnare licet, quae hoc verum lumen prorsus obscurat.

9. *Qui dicit se in luce.* Prosequitur suam metaphoram. Dixit, caritatem unicam esse regulam, ad quam exigenda sit vita; dixit, hanc legem nobis in evangelio praescribi; dixit postremo, illic esse quasi meridianam lucem, quae oculos nostros intuitu sui retinere debet. Nunc ex adverso colligit, caecutire omnes ac in tenebris errare, qui a caritate alieni sunt. Quod autem prius amorem Dei posuit, nunc fratrum, nihilo plus est repugnantiae, quam inter effectum et causam; deinde ita inter se connexi sunt, ut divelli nequeant. Dicit postea Iohannes capite tertio, falso nos iactare dilectionem Dei, nisi

proximos diligimus; atque id verissimum est. Nunc vero caritatem erga proximos tamquam testimonium sumit, quo probamus Deum a nobis diligi. In summa, quum caritas sic Deum respiciat, ut in Deo complectatur homines: nihil in eo absurdi, quod de caritate disputans apostolus promissive nunc ad Deum, nunc ad fratres refert; atque hic familiaris est scripturae usus. Saepe tota vitae perfectio statuitur in amore Dei; rursus Paulus docet (Rom. 13, 8.), totam legem implere, qui proximum diligit; et Christus (Matth. 23, 23.) pronuntiat, haec esse legis praecipua, iustitiam, iudicium, et veritatem. Utrumque verum est, ac optime convenit, quia et amor Dei nos ad homines diligendos instituit; et re ipsa testatur nostram in Deum pietatem, homines ex iussu eius amando. Quicquid sit, fixum hoc semper maneat, caritatem esse dirigendae vitae scopum. Quod eo diligentius notandum, quia quidvis potius omnia fere eligunt, quam unicum hoc Dei mandatum. Eodem pertinet, quod sequitur, non esse offendiculum, ubi est studium caritatis; nam qui vitam suam ita format, nunquam impiget.

11. *Fratrem suum odit.* Rursus admonet, quamlibet praeclearam virtutis speciem ostentes, nihil tamen esse non vitiosum, ubi abest caritas. Conferatur hic locus cum I. Corinth. cap. 13., et longa expositione non indigebit. Verum ideo obscura est mundo haec doctrina, quod bona pars in larvis nescio quibus obstupescit. Ita ficta sanctitas omnibus fere oculos perstringit; interim neglecta caritas iacet, aut saltem in postremum angulum reicitur.

12. Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata vestra propter nomen eius. 13. Scribo vobis, patres, quoniam novistis eum, qui est ab initio. Scribo vobis, adolescentes, quoniam vicistis malum illum. 14. Scribo vobis, pueri, quoniam novistis patrem. Scripsi vobis, patres, quoniam novistis eum, qui est ab initio. Scripsi vobis, adolescentes, quia fortes estis, et verbum Dei manet in vobis, et vicistis malum illum.

12. *Filioli.* Haec adhuc generalis est sententia. Neque enim teneram modo aetatem compellat, sed communiter *filiolos* intelligit omnium aetatum homines, quemadmodum primo capite, et hoc ipso paulo post. Hoc ideo dico, quod interpretes perperam restringunt ad pueros. Atqui Iohannes quum de pueris loquetur, *παῖδια* vocabit, quod nomen aetati congruit; hic autem tamquam spiritualis pater non senes minus quam pueros *τεκνία* appellat. Mox quidem speciales sententias accommodabit singulis aetatibus. Falluntur tamen, qui hinc faciunt initium. Quin potius ne superior exhortatio gratuita peccatorum remissioni obaeuritatem inducat, doctrinam hanc, quae fidei propria est, iterum inculcat: ut certe hoc fundamentum semper retinendum est, in sola Christi gratia nobis salutem esse repositam. Urgenda quidem vitae sanctitas, sedulo praecipendum de timore Dei, acriter stimulandi ad poenitentiam homines, commendanda vitae novitas cum suis fructibus; semper tamen cavendum, ne suffocetur fidei doctrina, quae Christum unicum salutis honorumque omnium auctorem statuit; quin potius servanda est haec moderatio, ut primas semper fides obtineat. Hanc legem nobis praescribit Iohannes, quum de bonis operibus sedulo conlocutus, ne tamen plus illis dare videatur, quam oportet, adeo sollicito nos ad Christi gratiam revocat. *Remittuntur vobis peccata.* Sine hac fiducia non nisi fluxa et umbratilis erit pietatis species. Imo qui gratuita peccatorum remissione posthabita insistent in aliis

partibus, sine fundamento aedificant. Interea Iohannes significat, nihil stimulandis ad timorem Dei hominibus aptius esse, quam dum rite edocti sunt, quid illis honorum attulerit Christus, quemadmodum Paulus obsecrat per viscera misericordiae Dei. Unde apparet, quam improba sit papistarum calumnia, qui frigere bene agendi studium causantur, dum ea extollitur, quae sola obsequentes Deo filios reddit. Nam inde sumit hortandi materiam, quod tam benevolam nobis Deum esse novimus, ut peccata non imputet. *Propter nomen eius.* Causa materialis adscribitur, ne quaeramus alia media, quae nos Deo reconcilient. Naque animi satis fuerit tenere, Deum nobis ignoscere peccata, nisi recta veniamus ad Christum, et pretium illud, quod in cruce nobis persolvit; idque eo magis observandum, quod videmus Satanam astu et pravis hominum signentis hanc viam obstructam esse, dum variis satisfactionibus placare Deum conantur stulti homines, et innumera expiationum genera excogitant ad se redimandos. Nam quot promerendae veniae media Deo ingerimus, tot obstaculis arcemur ab eius excessu. Proinde Iohannes non contentus hac simplici doctrina, quod nobis peccata Deus remittat, nominatim addit, propitium nobis esse Christi respectu, ut alias omnes rationes excludat. Nos quoque ut hoc beneficio fruamur; omnia alia nomina omittit et oblivisci necesse est, solumque Christi nomen amplecti.

15. *Scribo vobis, patres.* Iam ad aetatum enumerationem descendit, ut ostendat singulis convenire, quod docet. Nam generalis sermo interdum minus afficit, imo, quae nostra est malignitas, pauci sunt, qui putent ad se pertinere, quod simul ad omnes dirigitur. Senes se ut plurimum subducunt, quasi excesserint discendi aetatem; pueri, quasi nondum maturerint, recusant audire; mediae aetatis homines, quoniam aliis studiis occupantur, non adiciunt huc animum. Ergo ne qui se eximant, evangelium ad singulorum usus accommodat. Designat autem tres aetates; quae magis recepta est humanae vitae partitio. Unde et celebris illa Lacadaemoniorum chorus tres ordines habebat, quorum primus canebat: Quod estis, erimus; postremus: Quod estis, fuimus; medius vero: Sumus, quod alteri fuerunt, et alteri futuri sunt. In hos tres gradus Iohannes humanae vitae curriculum distribuit, ac incipit quidam a senibus, et illis congruere dicit evangelium, quia inde aeternum Dei filium discant. Nota est senum morositas, praesertim vero quia annorum multitudine metiuntur sapientiam, redduntur indociles. Praeterea hoc vitii merito in illis notavit Horatius in arte poetica, quod tempus pueritiae suae laudantes respuunt, quicquid fit aut dicitur. Huic vitio prudenter medetur Iohannes, quum in evangelio non antiquam modo scientiam contineri admonet, sed quae nos adducit usque ad ipsam Dei aeternitatem; unde scquitur, nihil hic esse, quod fastidiant. Quod dicit, Christum fuisse *ab initio*, tam ad divinam eius praesentiam, in qua coaeternus est patri, quam ad virtutem refero, da qua apostolus loquitur ad Hebraeos (15, 8.), quum dicit fuisse heri, sicuti est hodie, acsi diceret: Si placet vetustas, habetis Christum, qui est omni vetustate superior: quare ne pudeat eius esse discipulos, qui in se omnia saecula comprehendit. Interea notandum, quatenam sit vere antiqua religio, nempe quae in Christo fundata est. Nam alioqui perum valebit quantumvis longa annorum series, si originem ab errore ducat. *Scribo vobis, adolescentes.* Tametsi diminutivo utitur, *parvulos*: non tamen dubium est, quin sermonem ad omnes dirigat, qui sunt in aetatis flore et statu. Scimus porro, aetatem illam sic addictam esse inanibus mundi curis, ut de regno Dei parum cogitet. Nam ingenii vigor et corporis robur illos quodammodo inebriat. Proinde apostolus eos admonet, ubi situm sit verum robur, ne amplius pro more suo in

carne exsultent. Vos, inquit, *fortes estis, quia vicistis Sathanam*. Copula enim causalem particulam valet. Et sane ea est fortitudo, quam appetere decet, nempe spiritualis. Et simul non aliunde haberi indicat, quam a Christo; bona enim, quae ex evangelio percipimus, commemorat. Vicisse dicit, qui adhuc sunt in actu ipso bellandi; sed nostra conditio longe alia est, quam eorum, qui sub hominum vexillis militant. Mars enim illis dubius, et eventus belli anceps; nos, priusquam congrediamur cum hoste, iam sumus victores, quia nobis caput nostrum Christus totum semel mundum vicit.

14. *Scribo vobis, pueri*. Indigent pueri alieno regimine: itaque pueris optime quadrare evangelium, apostolus colligit, quia illic inveniant patrem. Nunc videmus, quam diabolica sit tyrannis papae, quae minaciter ab evangelii doctrina omnes aetates arceat, quae spiritus Dei tam studiose provocat. Caeterum haec, quae in specie apostolus distribuit, etiam generalia sunt. Nam toti in vanitatem defluimus, nisi nitatur nostra firmitas aeterna Dei veritate. Nihil nobis magis fragile et caducum, nisi virtus Christi in nobis habitet; pupilli sumus omnes, donec in gratiam adoptionis per evangelium venimus. Quae ergo de iuvenibus praedicat, etiam senibus sunt communis; sed tamen voluit singulis aptare, quod illis maxime necessarium est, ut sine exceptione omnes indigere evangelii doctrina ostendat. Particula *scribo* bifariam exponi potest; sed hic sensus, quem posui, multo melior est; atque ita contextus melius cohaeret. *Scripsi vobis*. Has repetitiones iudico esse supervacuas, et probabile est, quum falso putarent imperiti lectores, his de pueris loquutum esse, temere alia duo membra supposuisse, quamquam fieri potest, ut Iohannes ipse sententiam de adolescentibus, augendi causa, secundo inserverit; (illio enim addit, fortes esse, quod prius non dixerat) librarii autem temere numerum implere voluerint.

15. Ne diligatis mundum, neque ea, quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas patris in eo, 16. Quia, quicquid est in mundo, (nempe concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitae,) non est ex patre, sed ex mundo est. 17. Atqui mundus transit, et concupiscentia eius; qui autem facit voluntatem Dei, manet in aeternum.

15. *Ne diligatis etc.* Antea dixerat, haec esse unicam pie vivendi regulam, Deum amare; sed quia vano mundi amore occupati sensus omnes nostros alio avertimus, vanitatem istam prius ex nobis revelli oportet, ut in nobis regnet Dei amor. Donec mentes purgatae fuerint, centies nullo profectu iterari posset superior illa concio, non secus acsi aquam supra globum effundens ne unam quidem guttam colliges, quia nihil est illic vacuum, quo aqua retineatur. *Mundi* nomine intellige, quicquid ad praesentem vitam spectat, ubi separatur a regno Dei et spe vitae aeternae. Ita in se comprehendit omne genus corruptelas, et malorum omnium abyssum. In mundo sunt voluptates, deliciae et illecebrae omnes, quibus homo capitur, ut se a Deo subducat. Porro tam severe damnatur mundi amor, quia, ubi nihil quam terram respicimus, necesse est Deum et nos ipsos oblivisci. Ubi vero perversa eiusmodi cupiditas dominatur, et hominem ita implicitum tenet, ut non cogitet de coelesti vita, illio est belluinus stupor. *Si quis diligit mundum*. Argumento a contrariis probat, quam necesse sit mundi amorem ab-

ficere, si velimus placere Deo; idque postea confirmat argumento a repugnantibus, quia, quae propria sunt mundi, cum Deo prorsus dissident. Tenendum est, quod iam dixi, hic netari profanum vitae institutum, quod nihil habet cum regno Dei commune, ubi sic degenerant homines, ut praesenti vita contenti nihilo plus de immortali vita cogitent, quam brutae pecudēs. Ergo quisquis ita se terrenis cupiditatibus mancipat, non potest Dei esse.

16. *Nempe concupiscentia carnis.* Vetus interpres aliter; nam ex una sententia duas facit. Melius Graeci, qui uno contextu legunt, non esse ex Deo, quicquid est mundi; et tras concupiscentiae species interserunt, oratione non abrupta. Nam explicationis vice interposuit Iohannes haec quasi tria exempla, ut summatim ostenderat, qualia sint studia et quales eorum meditationes, qui mundo vivunt. Perro an plena sit et integra partitio, non magnepere refert, quamquam non reperies heminem mundanum, in quo non ragent istae cupiditates, vel saltem una earum. Restat, ut videamus, quid per unamquamque intelligat. Primum membrum generaliter de vitiosis omnibus concupiscentiis exponi solat, quia caro totam hominis corruptam naturam significat. Ego tametsi nolim contandere, dissimulata tamen nolo, diversum sensum mihi probari. Quum vetat Paulus Rem. 13, 14., carnis curam habari ad concupiscentias, mihi videtur optimus esse huius loci interpres. Quid est illic care? Nempe corpus et eius accessiones. Quid erge est carnis cupiditas, nisi quum homines terreni melliter et delicate vivere appetentes suis tantum commedis intenti sunt? Nota est ex Cicarene et aliis trimembris Epicuri partitio, qua inter cupiditates discernit, quum alias facit naturales et necessarias; alias naturales, non temen necessarias; alias nec naturales, nec necessarias. Verum Iohannes, cui neta est cordis humani ἀραξία, sacure damnat cupiditatem carnis, quia semper intemperanter diffluat, nec mediocritatem servet; postea gradatim censeendit ad crassiora vitia. *Cupiditas oculorum* (meo iudicio) tam libidinosos adspectus comprehendit, quam vanitatem, quae in pompis et inani splendore vagatur. Sequitur pestreme lece *fastus* aut superbia, cui coniuncta est ambitio, iactantia, aliorum contemptus, caecus amor sui, praeceps confidentia. Summa est, simul ac mundus se offert, appetitus nostros, ut cor nostrum perversum est, quasi effrenes belluas, illuc rapi: ita dominari varias concupiscentias, quae omnes Deo sunt adversae. Pro *vita Graece* est βλοσ, hec est, vivendi genus et ratio.

17. *Atqui mundus transit.* Quia in mundo nihil est nisi oaducum et quasi momentaneum, ex ee colligit, quam male et misere sibi consulant, qui hic sibi felicitatem constituunt, praesertim quum ad beatam aeternae vitae gleriam nos Deus vocet, acsi diceret: Vera felicitas, quam Deus filiis suis offert, aeterna est: indignum est igitur, nos munde implicari, qui mox cum bonis suis omnibus evanescent. *Concupiscentiam* hio interpreto metonymioe, quicquid concupiscitur, et heminum desideria ad se rapit. Sensus est, quicquid in mundo pretiosissimum et maxime optabile dicitur, nihil quam umbratile esse spectrum. Quum dicit, *perpetuo manere*, qui faciunt Dei voluntatem: significat, perpetue fere beates, qui ad Deum aspirant. Si quis obiciat, neminem facere, quod Deus praecipit: pensio in precepto est, non de absoluta legis observatione hic agi, sed de fidei obadientia, quae, utcunque perfecta non sit, Deo nihilominus probatur. Voluntas Dei primum in lege nobis monstratur; sed quia legi nemo satisfacit, nulla illinc felicitas sperari potest. Verum desperatis occurrit Christus cum novo subsidio, qui non tantum spiritu nos suo regenerat, ut obediamus Deo; sed facit etiam, ut qualiscunque noster conatus plene iustitiae laudem obtineat.

18. Filioli, novissima hora est; et sicut audistis, quod Antichristus venturus sit, etiam nunc Antichristi multi coeperunt esse: unde scimus, esse novissimam horam. 19. Ex nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum; sed ut manifesti fierent, quod non erant omnes ex nobis.

18. *Novissima hora.* Confirmat fideles adversus offendicula, quibus poterant turbari. Iam exortae erant variae sectae, quae et fidei unitatem scindebant, et dissipabant ecclesias. Apostolus autem non tantum fideles munit, ne titubent; sed in contrarium finem hoc totum vertit. Admonet enim eos, iam adesse tempus extremum, ideoque eos ad maiorem vigilantiam hortatur, acsi diceret: Dum emergunt errores diversi, potius expergeri vos decet quam obrui. Inde enim colligendum est, non procul abesse Christum: ergo intenti simus in eius expectationem, ne subito nos deprehendat. Eodem modo hodie quoque nos erigi decet, et propinquum Christi adventum fide apprehendere, dum omnia miscet Satan turbandae ecclesiae causa. Haec enim sunt ultimi temporis signa. Verum tot saecula, quae a morte Iohannis fluxerunt, videntur hoc vaticinium falsi coarguere. Respondeo, apostolum vulgari scripturae more denuntiare fidelibus, nihil iam amplius restare, nisi ut Christos in mundi redemptionem appareat. Quia vero nullum tempus praefigit, neque aetatis suae homines lactavit spe inani, neque in posterum voluit abscindere ecclesiae cursum, et multas annorum successiones, quibus huc usque duravit ecclesia in mundo. Et certe si regni Dei aeternitas nobis ante oculos versatur, nulla erit tam longa diuturnitas, quae non sit instar momenti. Tenendum apostoli consilium est, quod ultimum tempus vocet, in quo sic complentur omnia, ut nihil supersit praeter ultimam Christi revelationem. *Audistis, quod Antichristus.* Loquitur tamquam de re nota: unde colligere promptum est, edoctos et admonitos ab initio fuisse fideles de futura ecclesiae dissipatione, tum ut solliciti ipsi se continerent in fide suscepta, tum ut posteros instruerent ad cavendum. Sic enim tentari Deus voluit ecclesiam, ne quis nisi sciens ac volens falleretur, nec ulla esset ignorantiae excusatio. Atqui videmus, totum fere orbem misere fuisse deceptum, acsi verbum unquam de Antichristo factum esset. Quinctiam in papatu nihil magis celebre ac tritum est, quam futurus Antichristi adventus; interea tam sunt stupidi, ut eius tyrannidem cervicibus suis impositam non sentiant. Idem scilicet omnino illis contingit, quod ludacis; nam quum ii promissiones de Messia teneant, longius tamen absunt a Christo, quam si nunquam illis auditum esset nomen. Nam imaginarius Messias, quem sibi finxerunt, eos a filio Dei prorsus avertit. Et si quis ex lege et prophetis Christum illis ostendere studeat, nihil quam ludet operam. Papistae Antichristum imaginati sunt, qui per tres annos et dimidium vexaturus sit ecclesiam. Omnes notae, quibus Antichristum designat spiritus Dei, in papa clare apparent; sed ille triennialis Antichristus stultos papistas tenet occupatos, ne videndo videant. Meminerimus itaque, non modo indicatum fuisse a spiritu Dei Antichristum, sed adscriptas simul fuisse notas, quibus discerni queat. *Etiam nunc multi.* Videri posset hoc correctionis vice additum, quasi falso existiment, unum fore aliquod regnum; sed non ita est. Qui nnum tantum hominem putant fore, delirant illi quidem; sed Paulus, quum venturae defectionis meminit (II. Thesal. 2, S.), aperte testatur, certum fore corpus e regnum. Initio praedicit defectionem, quae per totam ecclesiam grassabitur, ut sit quasi malum universale; deinde apostasiae caput constituit adversa-

rium Christi, qui in templo Dei sedebit, numen et divinos honores sibi usurpans. Nisi velimus sponte errare, ex ista Pauli descriptione Antichristum agnoscere discimus, quam suo loco exposui, nunc obiter attigisse sufficit. Sed quomodo hoc conveniet cum verbis Iohannis, qui iam multos esse pronuntiat? Respondeo, Iohannem nihil velle aliud, quam speciales iam sectas emergere, quae sint futurae dissipationis praeludia. Cerinthus enim, Basilides, Marcion, Valentiinus, Ebion, Arrius, et reliqui, eius regni membra erant, quod diabolus postea adversus Christum erexit. Proprie loquendo nondum Antichristus exstabat; sed arcanum suae impletatis clam moliebatur. Verum Iohannes utitur hoc nomine, ut piorum studium et sollicitudinem ad repellendas fraudes magis acuat. Quod si iam tunc in excubiis stare fideles iubebat Dei spiritus, quum signa duntaxat venturi hostis procul cernerent; multo minus nunc dormiendi tempus est, quando ecclesiam saeva tyrannide oppressam tenet, ac palam Christo insultat.

19. *Ex nobis egressi sunt.* Alteram obiectionem praevertit, quod pestes illas videbatur genuisse ecclesia, et in sinu suo ad tempus fovisse. Nam certe hoc ad turbandos infirmos plus valet, si unus quispiam nobiscum veram fidem professus deficiat, quam si mille extranei in nos conspirent. Sic ergo fatetur, eos prodiisse ex ecclesiae gremio, ut tamen neget fuisse unquam ex ecclesia. Porro diducendae obiectionis ratio est, quod semper huic malo obnoxia sit ecclesia, ut multos ferre cogatur hypocritas, qui vere Christum non habent, utunque eius nomen ore profiteantur ad tempus. Quum dicit, *egressos esse a nobis*, significat locum in ecclesia prius occupasse, et habitos esse in piorum numero. Negat tamen fuisse ex nobis, quia falso nomcu obtenderint fidelium, sicuti paleae, licet tritico in eadem area permistae sint, non tamen in tritico censentur. *Si fuissent ex nobis.* Aperte pronuntiat, nunquam fuisse ecclesiae membra, qui deficiunt. At certe sigillum Dei, sub quo suos custodit, firmum manet, ut inquit Paulus (II. Tim. 2, 19.). Sed hic oritur difficultas. Multos enim, qui videbantur Christum amplexi, saepe excidere contingit. Respondeo, tres eorum esse gradus, qui evangelium profitentur. Sunt enim, qui pietatem simulant, quum tamen mala conscientia intus eos arguat. Aliorum magis fraudulenta hypocrisis, qui non modo fucum hominibus facere tentant, sed oculos sibi perstringunt, ut sibi videantur recte Deum colere. Tertii vivam habent fidei radioem, ac suae adoptionis testimonium penitus fixum cordibus gerunt. Priores duo ordines nihil stabilitatis habent; de postremis loquitur Iohannes, quum impossibile esse dicit ab ecclesia alienari. Neque enim sigillum, quod Deus spiritu suo inculpsit eorum conscientias, deleri potest. Semen incorruptibile, quod radicem egit, non potest evelli, nec aboleri. Neque enim hic de hominum, sed Dei constantia agitur, cuius electionem retam esse oportet. Quare non immerito dicit, ubi efficax est Dei vocatio, illic certam perseverantiam fore. In summa, nunquam penitus imbutos fuisse Christi notitia intelligit, qui deficiunt; sed levem duntaxat et evanidum habuisse gustum. *Ut manifesti fiant.* Utile ac necessarium esse ecclesiae examen docet: unde ex adverso sequitur, non esse iustam perturbationis causam. Quum sit areae similis ecclesia, ventilari paleam oportet, ut triticum purum maneat: hoc facit Deus, quum emittit hypocritas ex ecclesia; eam enim quisquiliis et sordibus purgat.

20. Et vos unctionem habetis a sancto, et novistis omnia. 21. Non scripsi vobis, quia non noveritis veritatem; sed quia novistis eam, et quia omne mendacium ex

veritate non est. 22. Quis est mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum? Hic est Antichristus, qui negat patrem et filium. 23. Omnis, qui negat filium, neque patrem habet.

20. *Et vos unctionem.* Modeste excusat apostolus, quod eos tam sollicitè admonet, ne putent oblique se perstringi, quasi rudes ignarosque eorum, quae probe tenere debuerant. Sic Paulus (Rom. 1, 14.) Romanis concedit prudentiam, ut aliis etiam monendis sint pares et idonei; simul tamen ostendit, non posse aliter se munere sibi iniuncto defungi, quin eos commonefaciat. Neque tamen adulatorie sic loquuntur apostoli; sed hoc modo prudenter cavant, ne ab nullo hominum genere respuatur sua doctrina, quum non modo rudibus, sed in schola Domini eruditis congruere et utilem esse denuntiant. Usus ipse docet, quam fastidiosae sint hominum aures. Tale quidem a piis debet abesse fastidium; boni tamen ac prudentis doctoris est nihil omittere, quo sibi audientiam apud omnes faciat. Certum est autem, nos minori attentione et reverentia excipera, quod dicitur, si putamus eum, qui loquitur, intelligentiam, quae a Domino data est nobis, detrahere. Simul hac laude acuit apostolus lectores, quia minus excusationis habent, qui dono intelligentiae sunt praediti, nisi alios profectu antecendant. Summa est, quod apostolus eos non docet tamquam rudes et elementarios, sed res iam cognitae in memoriam illis reducit; deinde quod ad excitandas spiritus scintillas eos hortatur, ut plenus in illis fulgor luceat. Ac se ipsum exponit proximis verbis, sa ideo scripsisse negans, quod veritatem ignorent, sed quod in ea probe sint edocti. Nam si rudes prorsus fuissent ac novitii, capera non potuissent hanc doctrinam. Quod autem *omnia* dicit novisse, non universaliter capi, sed ad praesentis loci circumstantiam restringi debet. Caeterum quum dicit, eos *habere unctionem a sancto*, non dubito, quin ad veteres figuras alludat. Nam e sanctuario petebatur oleum ad ungendos sacerdotes. Daniel autem (Dan. 9, 24.) adventum Christi tempus proprium essa definit ungerendo sancto sanctorum. Nam ideo unctus a patre fuit, ut multiplices copias ex sua in nos plenitudine diffundat. Hinc sequitur, non acumine proprii sensus recte sapere homines, sed illuminatione spiritus; deinde non aliter quam per Christum nos fieri spiritus participas, qui et verum est sanctuarium, et unicus noster sacerdos.

21. *Et quia omne mendacium.* Concedit illis iudicium, quo verum a falso discernant. Neque enim dialectica est ista propositio, mendacium differre a veritate (qualiter in scholis generales regulae traduntur), sed ad praxin et usum accommodatus sermo, acsi dicerat, non tantum eos tenere, quid verum sit; sed etiam adversus impiorum fallacias et imposturas munitos esse, ut prudenter sibi caveant. Porro non de una aut altera mendacii specie loquitur; sed quicquid fraudis intentet Satan, aut quacunque parte eos adoriatur, lucis ac tenebrarum discretionem fore in promptu dicit, quia duces habeant spiritum.

22. *Qui est mendax.* Non asserit, solos esse eos mendaces, qui negant apparuisse, in carne Dei filium, ne quis in solvendo hoc nodo ultra modum se torqueat; sed alios omnes superare, quasi diceret, nisi hoc censeatur mendacium, aliud nullum haberi posse, quemadmodum vulgo solemus loqui: Si perfidia in Deum et homines crimen non est, quid amplius crimen vocabimus? Quod autem de pseudoprophetis in genere attigerat, nunc accommodat ad rationem sui temporis. Digito enim ostendit eos, qui ecclesiam turbabant. Quod Gerinthum et Carpocratem notari veteres existimant,



facile recipio. Caeterum Christi negatio late patet. Neque enim satis est, uno verbo fateri Iesum esse Christum, nisi talis agnoscitur, qualem eum pater in evangelio nobis offert. Duo isti, quos nominavi, Christi titulum dabant filio Dei; sed purum fingebant hominem. Sicuti sunt alii, ut Arrivi, qui Dei nomine illum ornantes aeterna divinitate spoliabant. Marcion spectrum hominis fuisse somniabat. Sabellius nihil a patre differre commentus est. Illi omnes Dei filium negarunt, quia nemo eorum integrum Christum sincere agnovit; sed eius veritatem, quantum in se erat, adulterantes, idolum sibi pro Christo fabricaverunt. Erupit deinde Pelagius, qui certamen quidem non movabat de Christi essentia, quin verum hominem et Deum esse concederet; sed totum fere eius honorem in nos transferebat. Hoc vero est Christum in nihilum redigere, quum eius gratia et vis aboletur. Sic papistae hodie liberum arbitrium spiritus sancti gratiae opposentes, partem iustitiae et salutis locantes in operum meritis, innumeros sibi patronos imaginantes, per quos Deum propitium habeant, factitium nescio quem Christum habent; at vivam genuinamque Dei imaginem, quae lucere in Christo debebat, pravis suis commentis deformant, virtutem evertunt, officium obruant et pervertunt. Nunc videmus negari Christum, quoties, quae habet propria, illi detrahuntur. Quemadmodum autem Christus legis et evangelii finis est, ac inclusos in se thesauros omnes habet sapientiae et intelligentiae: ita scopus est, in quem collinant haeretici omnes, ut sagittas illuc suas dirigant. Quare non inmerito apostolus impostorum facit principes, qui Christum oppugnant, quando plena in eo veritas nobis est exhibita. *Hic est Antichristus.* Non loquitur de illo defectionis principe, qui Dei sedem occupaturus erat; sed quicumque Christum evertere conantur, eos in scelerata illa cohorte ponit. Atque ut eorum crimen amplificet, non minus patrem ab illis quam filium negari asserit, acsi diceret, nullam amplius eos habere religionem, quia Deum penitus abiecerint; quod ratione mox addita confirmat, quia nequeat pater a filio separari. Est autem haec insignis sententia, et quae inter prima religionis nostrae axiomata censi debet. Imo postquam confessi sumus, unum esse Deum, hoc secundum caput necessario connecti debet: non alium esse, nisi qui in Christo cognoscitur. Neque hic argute disputet apostolus de essentiae unitate. Certum quidem est, non posse divelli filium a patre, quia sit *ὁμοούσιος*, sed aliud nunc agitur: quod scilicet pater, qui alioqui invisibilis est, se in filio tantum patefecerit. Unde et imago patris vocatur (Hebr. 1, 3.), quia nobis repraesentat et exhibet, quicquid de patre cognitu utile est. Nuda enim Dei maiestas semper immenso suo fulgore oculos nostros perstringet: ergo necesse est in Christum respicere. Hic accessus est—ad lucem, quae alioqui merito inaccessa dicitur. Iterum dico, non hic agitari subtilem disputationem de aeterna Christi essentia, quam unam cum patre habet. Abunde quidem ad eam probandam sufficit hic locus; sed Iohannes ad fidei praxin nos vocat, nempe quia Deus se totum nobis in Christo fruendum dedit, frustra alibi quaeri; vel (si quis malit clarius) quoniam in Christo habitat tota plenitudo divinitatis, extra eum nihil esse Dei. Unde sequitur, Turcas, Iudaeos et similes Dei loco merum habere idolum. Nam quibuscunque insigniant titulis Deum, quem adorant: quia tamen eum reiiciunt, sine quo ad Deum non pervenitur, et in quo nobis se Deus in solidum manifestat: quid habent praeter suam creaturam, vel suum figmentum? Blandiantur sibi, ut volent in suis speculationibus, qui extra Christum philosophantur de rebus divinis; certum tamen est nihil quam desipere, quis non tenent caput, ut Paulus dicit (Coloss. 2, 19.). Unde colligere promptum est, quam necessaria sit Christi cognitio. Multi codices habent oppositam sen-

tentiam: Qui confitetur filium etc.; sed quia puto annotatam ab aliquo lectore, obrepsisse in contextum, omittere non dubitavi. Quod si placeat ipsam inseri, sensus erit, non aliam esse legitimam Dei confessionem, quam dum in filio agnoscitur pater. Si obiiciat quispiam, multos ex veteribus recte sensisse de Deo, quibus tamen ignotus erat Christus: fateor, non ita semper explicatam fuisse Christi notitiam; illud tamen semper fuisse verum contendo, quemadmodum solis lumen radiis ad nos usque diffunditur, ita Dei notitiam hominibus per Christum communicatam.

24. Ergo quod audistis ab initio, in vobis maneat. Si in vobis manserit, quod ab initio audistis, et vos in patre et filio manebitis. 25. Atque haec est promissio, quam ipse nobis promisit, nempe vita aeterna (vel *qua nobis pollicitus est vitam aeternam*). 26. Haec scripsi vobis de iis, qui seducunt vos. 27. Et unctio, quam accepistis ab eo, in vobis manet, neque opus habetis, ut quis vos doceat; sed quemadmodum unctio docet vos de omnibus, et veritas est, et non est mendacium. Et quemadmodum docuit vos, manete in eo (vel *in ea*). 28. Et nunc, filioli, manete in eo, ut, quum apparuerit, habeamus fiduciam, neque pudeamus ab eius praesentia. 28. Si nostis, quod iustus sit, cognoscite, quod, quisquis facit iustitiam, ex eo genitus est.

24. *Ergo quod* etc. Superiori doctrinae exhortationem attexit, et quo plus efficaciae habeat exhortatio, fructum demonstrat, quem ex obedientia percipient. Ergo ad fidei constantiam eos hortatur, ut fixum in cordibus retineant, quod didicerunt. Porro quum dicit *ab initio*, sola antiquitas minime ad probandam quamlibet doctrinam sufficeret; sed quia iam ostendit, rite in puro Christi evangelio fuisse institutos: iure in eo permanendum esse inferi. Ac diligenter notandus est hic ordo. Nam si ab eo doctrinae genere, quod semel erimus amplexi, nolimus discedere, qualecunque illud sit: non constantia, sed perversa erit obstinatio. Quare delectus est habendus, ut nobis fidei nostrae ratio constet ex Dei verbo, tum sequatur inflexibilis constantia. Papistae initium iactant, quia superstitiones suas a pueritia imberint. Hoc praetextu apertam veritatem contumaciter repudiare sibi permittunt. Talis pertinacia nobis documento est, semper faciendum esse exordium a doctrinae certitudine. Si *in vobis manserit*. Hic perseverantiae fructus est, quod, in quibus manet Dei veritas, illi in Deo manent. Unde colligimus, quid in tota pietatis doctrina sit quaerendum. Quare is demum optime profecit, qui huc usque progressus est, ut Deo penitus adhaereat. In quo autem non habitat pater per filium, is totus est vanus et inanis, quicquid scientiae teneat. Porro haec eximia laus sanae doctrinae, quod nos Deo coniungit, ac in ea reperimus, quicquid ad veram Dei fruitionem pertinet. Postremo loco admonet, hanc esse solidam felicitatem, si Deus in nobis habitet. Loquutio, qua utitur, ambigua est, vel quod haec sit promissio, qua nobis promisit vitam aeternam, vel appositivè, quod haec sit promissio, quam nobis dedit, nempe vita aeterna. Quia tamen, utrovis modo accipias, idem manet sensus: libera sit electio. Summa est, non aliter nos victuros, quam si vitae semen in animis nostris conceptum usque ad finem alamus. Multus est Iohannes in hoc capite tradendo, in cognitione Christi non modo

beatæ vitæ principium essa situm, sed etiam perfectionem. Verum nulla eius repetitio nimia esse potest, quando hanc semper hominibus causam fuisse exitii notum est, quod Christo non contenti extra simplicem evangelii doctrinam evagari gestierunt.

26. *Haec scripsi vobis.* Iterum excusat apostolus, quod eos admonet, qui intelligentia et iudicio alioqui praediti erant. Hoc autem ideo facit, ut iudicium spiritus adhibeant, ne iutilis sit admonitio, acsi dixisset: Ego quidem meas ago partes; sed interea necesse est, ut vos Dei spiritus in omnibus dirigat. Nam frustra vocis meae sonitu aures, vel potius acrem verberabo, nisi ille intus loquatur. Quum audimus, eum de seductoribus scripsisse, semper observemus, bono et sedulo pastore non modo curam incumbere, ut oves aggreget, sed etiam ut lupos abigat. Quid enim profuerit puram evangelii vocem in medium afferre, si ad manifestas Satanae imposturas convicemus? Nemo itaque fideliter ecclesiam docere poterit, nisi qui profligandis erroribus, si quos spargi a seductoribus videt, erit intentus. Quod dicit: *unctio, quam ab eo accepistis*, ego ad Christum refero.

27. *Neque opus habetis.* Ridiculus esset Iohannes, quemadmodum supra dixi, si inutilem doctrinam profunderet. Non igitur tantum illis tribuit sapientiae, ut Christi discipulos esse neget. Tantum significat, illos minime esse rudes, ut docendi sint tamquam de rebus ignotis, nec se quicquam proponera, quod non ultro illis suggerat Dei spiritus. Perperam itaque fanatici homines hoc testimonium arripiunt, ut ab ecclesia usum externi ministerii excludant. Dicit fideles, spiritus magisterio edoctos, iam tenere, quae tradit, ut non opus habesnt, quasi ignota discere. Hoc dicit, quo plus auctoritatis suae doctrinae conciliet, dum eius subscriptionem quisque in corde suo reperit digito Dei insculptam. Caeterum quum pro fidei mensura quisque intelligat; fides autem in aliis exigua sit, in aliis mediocris, in nemine absoluta: hinc sequitur, neminem tantum scire, quin profectui adhuc sit locus. Deinde haec altera est doctrinae utilitas, quod, ubi probè tenent homines, quod expedit, commonefacimus tamen eos et excitamus, ut maior inde confirmatio illis accedat. Nam quod de omnibus eos a spiritu doceri pronuntiat Iohannes, non tam generaliter accipi debet, sed ad loci praesentis circumstantiam restringi. In summa, non alio spectat quam ad stabilendam eorum fidem, dum eos ad spiritus examen revocat, qui solus est idoneus doctrinae censor et approbator, dum eam cordibus nostris obsignat, ut certo sciamus Deum loqui. Nam quum in Deum respicere debeat fides, solus ipse sibi testis esse potest, ut cordibus nostris persuadeat, a se profectum esse, quod aures nostrae percipiunt. Atque id sibi volunt haec verba: *Quemadmodum vos docet, veritas est*; spiritum scilicet instar sigilli esse, quo nobis testata fiat Dei veritas. Quum addit, *non esse mendacium*, hac particula alterum spiritus officium designat, nempè iudicio et discretionem nos regere, ne mendacio fallamur, ne haereamus suspensi et perplexi, ne velut dubiis in rebus vacillemus. *Quemadmodum docuit, manete.* Dixerat, in illis manere spiritum; nunc, ut in eius revelationa maneat, hortatur, et speciem ipsam revelationis designat. Manete, inquit, in Christo, quemadmodum vos spiritus docuit. Scio aliter vulgo exponi: Manete in ea, ut unctionem referat. Sed quum repetitio, quae mox sequitur, non nisi Christo conveniat: mihi non dubium est, quin de Christo hio quoque loquatur; et contextus hoc postulat. Nam in eo capite insistit apostolus, ut puram Christi notitiam retineant fideles, utque non alia via ad Deum contendant. Interea clare ostendit, non alium in finem Dei filios illuminari a spiritu, nisi ut Christum cognoscant. Quod si inde non deflexorint, perseverantiae fructum proponit, nempè quod fidu-

cium habituri sint, ne pudeant ab eius conspectu. Non enim fides nuda est ac frigida Christi apprehensio, sed vivus et efficax potentiae eius sensus, qui fiduciam generat. Nec vero aliter staret fides, dum tot quotidie fluctibus impetitur, nisi et in Christi adventum respicerat, et eius virtute suffulta tranquillum afferret statum conscientiae. Porro optime fiduciosa natura exprimitur, quum intrepide sustineri dicit Christi praesentiam. Nam qui secure in vitis sibi indulgent, obvertunt tergum Deo, neque alibi quam in Dei oblivione pacam inveniunt. Haec est carnis securitas, quae homines obstupefacit, ut a Deo aversi neque peccatum horreant, neque mortem metuant; interea refugiant Christi tribunal; pia autem fiducia in solum Dei intuitum recumbit. Unde fit, ut placide Christum expectent pii, neque eius conspectum reformident.

29. *Si nostis, quod iustus sit.* Iterum ad exhortationes transit, ut eas doctrinae subinda in tota epistola permiscet. Multis autem argumentis probat fidem necessario cum sancta et pura vita coniunctam esse. Primum est, quod spiritualiter gignimur in Christi similitudinem. Uode sequitur, neminem ex Christo genitum, nisi qui iuste vivit, quamquam incertum est, Christumne an Deum intelligat, quum dicit, ex eo esse genitos, qui faciunt iustitiam. Illa certe usitata est loquendi ratio in scripturis, nos ex Deo gigni in Christo. Sed in hac quoque altera nihil absurdi est, ex Christo gigni, qui eius spiritu renovantur.

### CAP. III.

1. *Videte (vel videtis)*, qualem caritatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur. Propterea mundus non novit nos, quia non novit ipsum. 2. *Dilecti*, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus. Scimus autem, quod, si apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est. 3. Et omnis, qui habet hanc spem in eo, purificat se ipsum, quemadmodum ille purus est.

1. *Videte* etc. Secundum argumentum a vocationis nostrae dignitate et praestantia. Non vulgari honore, inquit, nos dignatus est coelestis pater, quum in filios adoptavit. Haec tanta gratia puritatis studium accendere in nobis debet, ut simus illi conformes; nec vero fieri potest, quin se purificet, qui se unum ex Dei filiis agnoscit. Et quo plus vehementiae habeat exhortatio. Dei gratiam amplificat. Nam quod dicit, *datam esse caritatem*, significat, hoc merae esse liberalitatis, quod nos Deus pro filiis habet. Unde enim tanta nobis dignitas, nisi ex Dei amore? Amor porro hic gratuitus praedicatur. Est quidem impropria loquutio; sed maluit improprie loqui apostolus, quam non exprimere, quod necesse cognitu erat. In summa, significat, quo amplior effusa est in nos Dei bonitas, illi nos eo magis obstrictos esse, quemadmodum Paulus (Rom. 12, 1.) per eius misericordias Romanos obsecrat, ut se illi puras hostias offerant. Ioteras docemur, gratuitam (ut dixi) esse piorum omnium adoptionem, nec ab ullo operum respectu pendere. Nam quod sophistae dicunt, adoptari, quos fora dignos praevidet Deus, aperte his verbis refellitur; nequa enim hoc modo gratuitum esset donum. Hoc doctrinae caput tenere in primis operae pratium est. Nam quum unica salutis nostrae causa sit adoptio, et eam ex mero soloque Dei amore finire testetur apostolus, nihil hic nostrae dignitati vel operum meritis fit reliquum. Cur enim sumus filii? quia scilicet

oet nos coepit gratis amara Dens, quum odio potius digni simus quam amore. Quum autem spiritus adoptionis nostrae pignus sit: hinc sequitur, si quid est in nobis boni, Dei gratiae adeo opponi non debere, ut potius ei referendum sit acceptum. *Nomen*, de quo loquitur, inanis esse titulus non potest. Nam Deus est, qui nos ore suo filios pronuntiat, quemadmodum Abrahae nomen imposuit ex re ipsa. *Propterea mundus*. Haec tentatio graviter fidem oppugnat, adeo non reputari nos in filiis Dei, vel ullam tantae praestantiae notam in nobis conspici, ut potius nos totus fere mundus ludibrio habeat. Ergo ex praesenti statu vix colligi potest, Deum esse nobis patrem, sicuti diabolus omnie machinatur, ut hoc beneficium obscuret. Huic scandalo medetur, quum dicit, nos hodie, quales sumus, nondum agnoscere, quia mundus Deum non cognoscit: itaque non esse mirum, si eius filios contemnat. Cuius rei illustre speculum exstitit in Isaaco et Iacob. Nam quum uterque a Deo electus esset, illum Ismael risu et sannis, hunc Esau minis et gladio persequabatur. Ergo utcunque videamur oppressi in mundo, stat nihilominus salus nostra recta et incolumis.

2. *Nunc filii Dei sumus*. Nunc ad proprium cuiusque sensum descendit. Nam quamvis impii nos ad spem abiiciendam non sollicitent, praesens tamen nostra conditio a gloria filiorum Dei multum abest. Nam quantum ad corpus spectat, pulvis et umbra sumus; mors semper ante oculos versatur; interea mille aerumnis sumus obnoxii; anima vero innumeris malis subiecta: ita in nobis infernum semper reperimus. Quo magis necesse est sensus omnes nostros abstrahi a praesenti rerum adspectu, ne miseriae, quibus undique circumdati sumus et prope obruti, eius felicitatis, quae adhuc latet, fiduciam nobis excutiant. Hoc enim apostoli consilium est, perperam nos esse facturos, si ex praesenti statu aestimemus, quid nobis Deus contulerit, sed indubia fide tenendum esse, quod nondum apparet. *Scimus autem, quod si apparuerit*. Haec conditio resolvi debet in adverbium temporis: ubi vel quum. Porro verbum hoc *apparuerit*, diverso sensu quam prius accipitur. Dicebat nuper apostolus, nondum apparuisse, quid simus futuri, quod absconditus sit adoptionis nostrae fructus, quia in coelo est nostra felicitas, nos autem procul inde in terra peregrinamur, quia haec caduca vita, et centum assidue mortibus subiecta, longe dissimilis est aeternae gloriae, quae Dei filios decet, quia carnis ergastulo servilem in modum inclusi, longe a libero coeli terraeque dominio distamus. Nunc vero ad Christum refert particulam istam: *Quum apparuerit*. Idem enim docet, quod Paulus ad Colossenses cap. 3. 4., ubi dicit: Vita vestre cum Christo abscondita est; ubi vero Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos cum ipso apparebitis in gloria. Neque enim aliter stare fides nostra potest, quam dum in Christi adventum respicit. Nam haec causa est, cur Deus gloriae nostrae manifestationem differat, quia nondum manifestatus sit Christus cum potentia regni sui. Haec, inquam, una est sustinendae fidei nostrae ratio, ut patienter vitam nobis promissam expectemus. Simul ac paululum a Christo quispiam deflexerit, necesse erit eum deficere. *Sciendi* verbo fidei certitudinem designat, ut eam discernat ab opinione. Nec simplex aut universalis scientia hic notatur, sed quam sibi privatim quisque aptare debet, ut certo statuat, se Christo aliquando fore similem. Ergo utcunque pendeat gloriae nostrae exhibitio usque in Christi adventum, eius tamen cognitio optime fundata est. *Similes*. Non intelligit pares fore, Capitis enim et membrorum discrimen esse aliquod oportet; sed similes ei erimus, quia corpus nostrum humile conforme reddet corpori suo glorioso, ut Paulus quoque docet, ad Philippenses capite 3. 21. Nam breviter ostendere apostolus voluit, hunc ultimum

esse adoptionis nostrae finem, ut, quod ordine in Christo praecessit, tandem in nobis compleatur. Videatur tamen infirma esse, quae subiicitur, ratio. Nam si Christi aspectus nos Christo similes faciet, communis nobiscum erit impiis gloria, qui enim similiter visuri sunt. Respondeo, hunc esse familiarem aspectum, quem impii ferre nequeunt, quin expavescant, imo praeferquam quod fugient Dei conspectum et horrebunt, eius gloria illis oculos perstringet, ita ut confusi stupeant. Videmus enim, ut Adam sibi male conscius Dei praesentiam reformidet. Et illud generaliter Deus de hominibus pronuntiat apud Mosem (Exod. 33, 20.): Nemo me videbit, et vivet. Quia fieri aliter non potest, quin Dei maiestas tamquam ignis consumens non secus ac stipulem nos consumat; quae scilicet est carnis nostrae imbecillitas. Quatenus autem renovatur in nobis Dei imago, oculos habemus ad Dei aspectum comparatos. Et nunc quidem Deus imaginem suam instaurare in nobis incipit; sed quantula ex parte? Ergo, nisi omni carnis nostrae corruptione exuti, Deum facie ad faciem aspiciere non poterimus. Quod etiam exprimitur particula ista: *sicuti nobis est*. Neque enim omnem Dei aspectum nunc adimit; sed quemadmodum dicit Paulus (I. Cor. 13, 12.): Nunc tantum per speculum cernimus in aenigmate. Hunc autem vivendi modum ab oculari intuitu alibi discernit. In summa, Deus nunc se nobis conspiciendum offert, non qualis est, sed qualem modulus noster eum capit. Ita impletur illud, quod habetur apud Mosem (Exod. 33, 23.), nos eum velut a tergo duntaxat videre, quia in eius facie nimius est fulgor. Notandum praeterea est, rationem hanc, quam adducit apostolus, ab effectu sumptam esse, non a causa. Neque enim docet, similes ideo nos fore, quia fruimur aspectu, sed inde probat nos divinae gloriae fore participes, quia nisi spiritualis, et coelesti beataque immortalitate praedita esset natura, ad Deum nunquam tam prope accederet. Nec tamantantae gloriae erit perfectio in nobis, ut totum Deum aspectus noster comprehendat. Longa enim tunc quoque erit inter nos et ipsum proportionis distantia. Sed quum dicit apostolus, nos eum, qualis est, visuros, novum et ineffabilem vivendi modum designat, cuius nunc sumus expertes. Quamdiu enim per fidem ambulamus, Paulus nos ab eo peregrinari docet (II. Cor. 5, 6.). Et quoties se visendum patribus praebuit, non in sua essentia, sed sub symbolis semper visus est. Ergo tunc demum in se videbitur, quae tunc latet, Dei maiestas, ubi ablatum fuerit mortalitatis huius ac corruptibilis naturae velum. Ab aliis argutis disputationibus supersedeo. Videmus enim, quantopere se in illis Augustinus torqueat, nec tamen se expedit, cum in epistolis ad Paulinam et Fortunatianum, tum libro de civitate Dei 22. et aliis locis. Quod tamen illic dicit, observatu dignum est, plus valere in hac inquisitione vivendi quam loquendi modum, et cavendum esse, ne, dum altercando quaerimus, quomodo possit Deus videri, pacem et sanctificationem perdamus, sine qua nemo eum videbit.

3. *Omnis, qui habet hanc spem*. Nunc concludit, non ideo debere sanctitatis studium frigere in nobis, quia nondum appareat nostra felicitas; spem enim sufficere. Eorro scimus sperari, quae sunt absocondita. Sensus ergo est, utcumque Christum nondum habeamus oculis praesentem, si tamen in ipso speramus, fieri non posse, quin spes ista nos ad seotandam puritatem excitet ac stimulet, quia ad Christum recta nos dirigit, quem scimus absolutum esse puritatis exemplar.

4. Quicumque facit peccatum, etiam iniquitatem facit; et peccatum est iniquitas. 5. Porro nostis, quod ille ap-

paruit, ut peccata nostra tolleret, et peccatum in eo non est. 6. Quisquis in eo manet, non peccat; quisquis peccat, non vidit eum.

4. *Quicumque facit.* Iam supra ostendit apostolus, quam ingrati simus Deo, si parvi facimus adoptionis honorem, quo nos ultro praevenit, ac non saltem mutuum illi amorem rependimus. Simul admonitionem illam interposuit, non debere affectum nostrum diminui, quia differtur promissa beatitudo. Nunc autem, quia homines in malis plus aequo sibi blandiri solent, hanc perversam indulgentiam corrigit, pronuntians iniquos esse, ac legis transgressores, quicumque peccant. Credibile enim est, tunc fuisse, qui blanditiis istis extenuarent sua vitia: Non mirum, si peccemus, quia sumus homines; sed magnam est peccati et iniquitatis discrimen. Frivolam hanc excusationem illis excutit apostolus, quum peccatum definit esse divinae legis transgressionem. Nam illi propositum est peccati odium et horrorem inducere. Nomen ipsum peccati leve quibusdam videtur; iniquitas autem vel legis transgressio non tam facile ignosci potest. Caeterum non facit apostolus aequalia peccata, quum iniquitatis damnat omnes, qui peccant; sed simpliciter docere vult, ex contemptu Dei nasci peccatum, et peccando violari legis iustitiam. Quare nihil commune habet cum deliro Stoicorum paradoxo haec Iohannis doctrina. Deinde hic *peccare* non significat in aliquo opere delinquere, nec *peccati* nomen pro singulis delictis capitur; sed peccatum vocat, ubi homines toto cordis affectu ad malum ruunt. Nec alios peccare intelligit, nisi qui addicti sunt peccato. Neque enim fideles, qui adhuc carnis concupiscentiis laborant, iniqui censentur, quamvis a peccato non sint puri nec immunes; sed quia non regunt in ipsis peccatum, Iohannes dicit, eos non peccare, ut mox fusius exponam. Summa huius sententiae est, perversam eorum vitam, qui peccandi licentiam sibi indulgent, exosam esse Deo, nec posse ab eo ferri, quum ipsius legi sit adversa. Hinc non sequitur, neque potest colligi, fideles iniquos esse, quia subese Deo cupiunt, sibi in suis vitiis displicent, idque in singulis delictis; deinde vitam, quantum in se est, componunt ad legis obsequium. Verum ubi deliberata est peccandi voluntas vel continuus tenor, illic est legis transgressio.

5. *Porro nostis, quod ille apparuit.* Alio argumento demonstrat, quantum inter se dissideant peccatum et fides. Christi enim officium est peccata tollere, et in hunc finem a patre missus est; fide autem percipimus Christi virtutem: ergo qui in Christum credit, necesse est a peccatis purgari. Caeterum quum alibi (Iohann. 1, 29.) dieatur Christus peccata tollere, quoniam mortis suae sacrificio ea expiavit, ne coram Deo nobis imputentur: hoc loco intelligit Iohannes, vere et ipso actu (ut loquuntur) Christum tollere peccata, quia per ipsum crucifigitur vetus homo noster, et per poenitentiam carnem nostram cum pravis concupiscentiis spiritus eius mortificat. Neque enim palitur contextus, de remissione exponi. Sic enim (ut dixi) ratiocinatur, eos, qui peccare non desinunt, irritum facere Christi beneficium, quum ideo venerit, ut aboleret regnum peccati. Id autem ad spiritus sanificationem refertur. *Peccatum in eo non est.* Non de Christi persona hic agit, sed de toto corpore. Quocumque vim suam diffundit Christus, negat amplius locum esse peccato. Proinde statim colligit, non peccare, qui in Christo manent. Nam si per fidem in nobis habitat, opus illud suum peragit, ut nos a peccatis purget. Unde apparet, quid sit *peccare*. Neque enim suo nos spiritu perfecte uno die vel momento Christus renovat, sed renovationem ex parte coeptam con-

tinuat tota vita. Fieri ergo non potest, quin peccato obnoxii sint fideles, quamdiu in mundo agunt; sed quatenus viget in ipsis Christi regnum, peccatum abolitum est. Interea censentur a praecipua parte, hoc est, iusti esse et iuste vivere dicuntur, quia sincero cordis affectu ad iustitiam aspirant. Dicuntur *non peccare*, quia, etsi carnis infirmitate labuntur, peccato tamen non consentiunt, quin potius gemendo luctantur, ut vere testari cum Paulo (Rom. 7, 19.) queant, se malum facere, quod nolunt. *Manere* in Christo fideles dicit, quia fide in eum inserimur, et unum efficimur cum ipso.

6. *Quisquis peccat, non vidit eum.* Oppositum membrum suo more addidit, ut sciamus, falso praetexti Christi fidem et notitiam absque vitae novitate. Nusquam enim otiosus est Christus, ubi regnat; sed spiritus sui virtutem exserit. Proprium autem eius esse dictum est, peccatum fugare, non secus atque sol fulgore suo tenebras dispellit. Atque iterum hoc loco docemur, quam viva res sit et efficax Christi cognitio, nempe quae nos in eius imaginem transformat. Ita per *affectum* et *notitiam* nihil aliud intelligitur quam fides.

7. Filioli, nemo vos decipiat; qui facit iustitiam, iustus est, quemadmodum ille iustus est. 8. Qui facit peccatum, ex diabolo est, quia ab initio diabolus peccat. In hoc manifestatus est filius Dei, ut solvat opera diaboli. 9. Quisquis natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen eius in ipso manet, et non potest peccare, quia ex Deo genitus est. 10. In hoc manifesti sunt filii Dei et filii diaboli.

7. *Qui facit iustitiam.* Docet hic apostolus, testandam esse bonis operibus vitae novitatem, nec consistere illam, de qua loquutus est, Christi cum suis membris similitudinem, nisi fructus suos proferat, acsi diceret: Quum nos esse Christo conformes deceat, huius rei veritas et testimonium in vita nostra exstet. Eadem est haec exhortatio cum illa Pauli ad Galat. cap. 5, 25.: Si spiritu vivitis, spiritu et ambulate. Multi enim libenter persuaderent se habere sepultam in cordibus iustitiam, dum pedes, et manus, et linguam, et oculos palam occupat iniquitas.

8. *Qui facit peccatum.* Hoc quoque *facere* ad externa opera refertur, ut sit sensus, nullam esse Dei et Christi vitam, ubi perverse et scelerate se homines gerunt; sed tales diaboli potius esse mancipia. Qua loquutione melius exprimit, quantopere a Christo dissideant. Quemadmodum enim Christum prius tamquam omnis iustitiae fontem posuit: ita nunc diabolum ex opposito statuit caput peccati. Negavit, quemquam esse Christi, nisi qui iustus sit, taliumque operibus se praestet; nunc alios omnes in diaboli societatem ablegat, eiusque imperio subiicit, ut sciamus, nihil esse medium, quin tyrannidem Satan occupet, ubi primatum non obtinet Christi iustitia. Neque tamen duo adversa principia cum Manichaeis fingenda sunt. Diabolum enim scimus non natura nec creationis origine, sed defectionis suae vitio malum esse. Scimus praeterea, non esse Deo aequalcm, ut pari iure cum eo contendat; sed invitum constringi, ne quid nisi creatoris sui nutu et arbitrio possit. Postremo Iohannes, quum alios ex Deo genitos, et alios ex diabolo esse dicit, nullam fingit traducem, qualem Manichaei somniabant; sed priores Christi spiritu gubernari significat; alteros autem a Satana abripi, sicut hoc illi potestatis adversus incredulos Deus concedit. *Quia ab initio diabolus peccat.* Sicuti prius non de sola



Christi persona loquebatur, quum dicebat esse iustum, sed illum statuebat fontem et causam iustitiae: ita nunc, quum diabolum peccare dicit, comprehendit totum eius corpus, hoc est, reprobos omnes, acsi diceret, hoc diabolo proprium esse, ut ad peccandum impellat. Undo sequitur, eius esse membra, et ab eo regi, quicumque peccato edditi sunt. Porro initium hoc, cuius apostolus meminit, non est aeternitatis, quemadmodum ubi docet, sermonem initio fuisse. Est enim longe diversa ratio in Deo et creaturis. Initium in Deo tempus non habet. Quare quum semper apud Deum aermo fuerit, non reperies aliquod temporis punctum, quo esse coeperit; sed necesse est, ad ipsam aeternitatem venias. Hic autem nihil aliud vult Iohannes, quam diabolum stetim a creatione mundi fuisse apostatam, et inde nullum spargendi in homines sui veneni finem fecisse. *In hoc manifestatus est filius Dei.* Idem elis verbis repetit, quod prius dixerat, venisse Christum, ut tolleret peccata. Hinc duo colligenda sunt: non posse censi in Christi membris, nec ad eius corpus ullo modo pertinere, in quibus regnat peccatum; nam ubicunque vim suam exerit Christus, diabolum una cum peccato profligat; quod etiam mox subiicit Iohannes. Proxima enim sententia, ubi dicit: Non peccare, qui ex Deo geniti sunt, est conclusio superiorum. Argumentum ductum est a repugnantibus, ut iam dixi: quia Christi regnum, quod iustitiam necessario secum affert, stare cum peccato nequeat. Coeterum iam supra attigi, quid hic significet non peccare. Neque enim immune prorsus ab omni vitio facit Dei filios; sed negat hoc titulo vane gloriari, nisi qui ex animo vitam suam in Dei obsequium componere adudent. Pelagiani quidem et Catheri hoc testimonio olim abusi sunt, quum fideles angelica puritate fingerent in hoc mundo esse praeditos; et hoc saeculo quidam ex anabaptistis delirium illud renoverunt. Sed quicumque eiusmodi perfectionem somniant, satis produnt, quam stupidam habeant conscientiam. Atque haec apostoli verba adeo nihil suffragentur eorum errori, ut ad eius refutationem sufficiant. Dicit non peccare, qui ex Deo sunt geniti. Nunc videndum est, an Deus momento uno nos regeneret. Atqui constat, sic inchoari in nobis regenerationem, ut ad mortem usque veteris hominis reliquiae maneant. Quod si nondum plena est ac solida regeneratio, nonnisi pro modo suo a peccati servitute nos eximit. Hinc apparet, fieri non posse, quin vitiis laborent filii Dei, et quotidie peccent, quatenus scilicet residuum adhuc aliquid habent veteris naturae; et manet tamen illud fixum, quod epostolus contendit, hunc esse regenerationis finem, ut peccatum aboleatur: ideoque iuste et pie vivere, quicumque ex Deo geniti sint, quia spiritus Dei peccandi libidinem corrigat; idque intelligit apostolus per *semen Dei*. Sio enim format Dei spiritus piorum corda ad rectos affectus, ut non preevaleat caro cum suis concupiscentiis, sed domita quasi sub iugo cohibeatur. In summa, superiores partes apostolus in electis spiritui tribuit, qui virtute sua peccatum reprimet, neque sinat vigare.

9. *Et non potest peccare.* Hic iam altius conscendit epostolus. Nam clare pronuntiat, efficaciter piorum corda gubernari a Dei spiritu, ut inflexibili affectu sequantur eius ductum. Hoc vero a papistica doctrina longe remotum est. Fatentur quidem Sorbonici, voluntatem hominis, nisi adiutam a Dei spiritu, non posse, quod rectum est, appetere; sed talem spiritus motum esse fingunt, qui liberam nobis relinquat boni et meli optionem. Hiuc merita eliciunt, quia spiritus gratiae sponte obsequimur, quam in potestate nostra erat reiicere. Denique hanc solam spiritus gratiam esse definiunt, ut possimus bene velle, si libuerit. Iohannes hic longe aliter. Neque enim tantum docet, posse nos non peccare, sed tam efficacem

esse spiritus motum, ut necessario nos in constanti iustitiae obedientia ratineat. Neque hic solus scripturae locus, qui doceat, sic formari voluntatem, ut non nisi recta esse possit. Testatur enim Deus, ac cor novum dare filiis suis, et facturum promittit, ut in praeceptis suis ambulent. Adde, quod Iohannes non solum docet, quam efficaciter agat semel Deus in homine; sed clare affirmat, spiritum suam gratiam in nobis ad extremum usque persequi, ut ad vitae novitatem inflexibilis perseverantia accedat. Quare ne imaginemur cum sophistis medium aliquem motum, quem homini liberum sit vel sequi, vel respicere; sed sciamus, corda nostra regi a Dei spiritu, ut iustitiae constanter adhaereant. Porro absurdum, quod obiciunt sophistae, facile refellitur. Dicunt, hoc modo voluntatem tolli ab homine; sed falso. Voluntas enim a natura est; sed quia naturae corruptio pravos tantum affectus generat, ideo necesse est, ut eam spiritus Dei reformet, quo bona esse incipiat. Deinde quia statim exciderent homines a bono, necesse est, ut idem spiritus, quod coepit, ad finem usque perducatur. De merito facilis est responsio. Neque enim pro absurdo habendum est, si nihil homines mereantur; et tamen bona opera censi non desinunt, quae manant ex gratia spiritus, quia voluntaria sunt. Habent etiam mercedem, quia gratuito accepta hominibus feruntur, perinde acsi ipsorum essent. Sed hinc exoritur quaestio, an, simulacrum regentis est quispiam Dei spiritu, nunquam possit in eo extingui timor Dei et pietas. Hoc enim videntur sonare apostoli verba. Qui aliter sentiunt, citant Davidis exemplum, qui ad tempus sic oppressus est beluino stupore, ut nulla sciintilla in eo apparet. Quinetiam Psalmo 51., cum sibi restitui petit. Unde sequitur, fuisse privatum. Ego tamen non dubito, quin semen illud, quo electos suos regenerat Deus, ut est incorruptibile, ita perpetuam vim retineat. Fieri quidem posse concedo, ut interdum suffocetur, quemadmodum in Davide; sed tamen, quo tempore videbatur extincta esse omnis in eo pietas, oarbo vivus sub cineribus latebat. Conatur quidem Satan evellere, quicquid Dei est, in electis; sed ubi plurimum illi permittitur, manet semper occulta radix, quae deinde pullulat. Caeterum Iohannes non de uno actu (ut vocant) hic loquitur; sed de continuo vitae tenore. Fanatici quidam aeternum nescio quod semen in electis somniant, quod semper afferant ex matris utero; sed huc plus quam importune torquent Iohannis verba. Neque enim de aeterna electione disputat, sed initium a regeneratione facit. Sunt etiam alii bis furiosi, qui hoc praetextu fidelibus quidvis licere volunt, quia Iohannes posse eos peccare negat. Volunt ergo, ut sine discrimine sequamur, quocumque nos affectus tulerit: ita scortandi, furandi et occidendi licentiam faciunt, quia peccatum esse nequeat, ubi regnat Dei spiritus. Sed longe alia est mens apostoli. Peccare enim ideo negat fideles, quia eorum cordibus legem suam Deus inculpavit, quemadmodum habetur apud prophetam (Ierem. 31, 33.).

10. *In hoc manifesti sunt.* Paucis verbis concludit; frustra sibi locum et nomen arrogare inter Dei filios, qui non se tales probent pia et sancta vita, quandoquidem hac nota differant a filiis diaboli. Porro non ita manifestos intelligit, ut palam dignosci a toto mundo queant; sed hoc tantum vult, fructum et effectum divinae adoptionis semper exstare in vita.

Quisquis non facit iustitiam, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum, 11. Quia haec est praedicatio, quam audistis ab initio, ut mutuo nos diligamus, 12. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum.

Et qua de causa eum occidit? Quia opera eius mala erant, fratris autem iusta. 13. Ne miremini, fratres mei, si vos mundus odit.

*Qui facit iustitiam.* Facere iustitiam, et facere peccatum, sunt hic inter se opposita. Itaque facere iustitiam nihil aliud est quam ex animo Deum timere, et ambulare in eius praeceptis, quantum fert humana fragilitas. Quamquam enim iustitia, si exacte aestimetur, non alia est quam plena legis observatio, a qua multum semper absumt fideles: quia tamen delicta et lapsus illis Deus non imputat, iustitia vocatur dimidium hoc obsequium, quod Deo praestant. Pronuntiat autem Iohannes, non esse ex Deo, quicumque non iuste vivunt, quia, quoscumque vocat Deus, eos spiritu suo regenerat. Ergo vitae novitas perpetuum est divinae adoptionis testimonium. *Et qui non diligit fratrem.* Generalem doctrinam ad suum institutum accommodat. Hactenus enim ad fraternam caritatem hortatus est fideles; nunc eodem refert summam verae iustitiae. Quare hoc membrum vice expositionis additum est. Caeterum iam prius dixi, qua ratione comprehendatur sub fraterna caritate tota iustitia. Priores quidem partes obtinet amor Dei; sed quia ex eo pendet fraterna inter homines caritas, saepe per synecdochen ille sub hac includitur, et vicissim haec sub illo. Ergo ut quisque beneficentiae et humanitati deditus est, ita iustum esse et censi pronuntiat, quia caritas est legis complementum. Confirmat hanc sententiam, quum dicit, ita edoctos fuisse ab initio fideles. Nam his verbis significat, non debere illis novum videri definitionem, quam ponit.

12. *Non sicut Cain.* Altera confirmatio ex contrario sumpta: quia in reprobis et filiis diaboli regnet odium, et quasi principatum in eorum vita teneat; cuius rei speculum proponit Cain. Interea hoc ad eorum consolationem valet, quemadmodum tandem concludit: *Ne miremini, si vos odit mundus.* Haec exegesis diligenter notanda est; semper enim in vitae ratione hallucinantur homines, quia sanctitatem constituunt in fictitiis operibus; ac dum se macerant in nugis, putant se Deo his gratos esse. Sicuti monachi suum vivendi genus perfectionis statum superbe nominant. Nec alius in papatu censetur cultus Dei, quam superstitionum colluvies. Atqui apostolus hanc demum iustitiam testatur probari Deo, si nos mutuo diligimus; rursus diabolum regnare, ubi odium, simultas, invidia et inimicitiae grassantur. Simul tamen memoria tenendum est, quod nuper attigi, fraternam caritatem, quia ex Dei amore nascitur tamquam effectus ex causa, ideo non disiungi, quin potius hoc nomine laudari ab Iohanne, quod sit nostrae in Deum pietatis approbatio. Quum dicit, *Cain* ad fratris caedem hac causa fuisse impulsum, quoniam opera eius mala erant: significat, quod iam monui, ubi regnat impietas, odium omnes vitae partes occupare. *Iussa* Abelis opera commemorat, quo patienter ferre discamus, si mundus nos gratis, nullaque iniuria provocatus, odio habet.

14. Nos scimus, quod transierimus a morte in vitam, quia diligimus fratres. Qui non diligit fratrem, manet in morte. 15. Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est; et nostis, quod omnis homicida non habet vitam aeternam in se manentem. 16. In hoc cognoscimus caritatem, quod ille pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere. 17. Si quis habeat victum mundi,

et videat fratrem suum egentem, et claudat viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei in ipso manet? 18. Filioli mei, ne diligamus sermone, neque lingua, sed opere et veritate.

14. *Nos scimus.* Insigni elogio caritatem nobis commendat; quia testimonium sit nostri a morte in vitam transitus. Unde sequitur, si fratres diligamus, nos esse felices; miseros autem, si odimus. Nemo est, qui non a morte liberari et exire cupiat. Ergo plus quam stupidos esse oportet, qui odium fovendo sponte morti suae indulgent. Porro quum dicit apostolus, ex dilectione cognosci, quod transierimus in vitam: non significat, hominem suum esse liberatorem, quasi fratres diligendo a morte se eripiat, sibi que vitam comparet. Neque enim hic de salutis causa disputat; sed quum caritas praecipuus sit fructus spiritus, certum quoque est regenerationis symbolum. Proinde a signo ratiocinatur apostolus, non autem a causa. Nam quia nemo sincera fratres diligit, nisi qui spiritu Dei regebitus est: hinc rita colligitur, spiritum Dei, qui vita est, in omnibus habitare, qui fratres diligit. Sed praepostere inde quispiam inferret, caritate vitam acquiri, quum sit caritas ordine posterior. Plus coloris haberet hoc argumentum, si vitae nostrae certiores facit nos caritas, salutis igitur fiduciam in opera recumbere. Sed eius quoque non difficilis est solutio. Etsi enim omnibus Dei gratiis, tamquam adminiculis, confirmatur fides, non tamen suum in una Dei misericordia fundamentum habere desinit. Exempli gratia, quum luca fruimur, certi sumus solem lucere; si locum, in quo sumus, sol irradiat, habemus clariorem quendam adspactum; sed tamen, ut non pertingant ad nos visibiles radii, hoc ipso contenti sumus, quod sol splendoris sui usum ad nos diffundit. Ita, postquam in Christo fundata est fides, possunt quaedam accidere, quae illam iuvent; in sola tamen Christi gratia interim acquiescit.

15. *Homicida est.* Quo nos melius ad caritatem stimulet, ostendit, quam detestabilis coram Deo res sit odium. Nemo est, qui non homicidium horreat, imo nomen ipsum execramur omnes. Apostolus autem homicidas esse pronuntiat, quicunque fratrem odio habeat. Nihil dici atrocius potuit; nec tamen hoc est hyperbolicum. Nam quem odimus, vellemus perisse. Nec refert, si quis manus suas a noxa absteineat; ipsa enim nocendi cupiditas, non aliter ac conatus, damnatur coram Deo. Imo etiam ubi nocere non appetimus, si tamen aliunde cupimus malum fratri nostro accidere, tunc quoque homicidiae sumus. Ergo apostolus rem, ut est, simpliciter definit, quum *homicidii* nomen tribuit odio. Unda convincitur hominum stultitia, quod, quum nomen abominetur, crimen ipsum prope nihili faciunt. Unde id? Quia scilicet externa rerum facies sensus omnia nostros occupat, coram Deo interior affectus in rationem venit. Quare ne quis amplius tam grave malum extenuet, discamus nostra iudicia ad Dei tribunal revocare.

16. *In hoc cognovimus.* Nuno quaenam sit vera caritas ostendit. Neque enim eam laudara satis esset, nisi vis eius teneatur. Perfectam autem caritatis regulam proponit in Christi exemplo, quia propriae vitae non parcendo testatum fecit, quantopera nos diligeret. Ad hauc ergo scopum tendere iubet. Summa est, in eo probari nostram caritatem, si amorem nostri in fratres transferimus, ita ut sui quisque quodammodo oblitus aliis consulat. Certum quidem est, nos Christo esse longa impares; sed apostolus imitationem nobis commendat, quia, etsi ipsum non assequimur, procul tamen eius vestigia sequi convenit. Sane quum apostoli consilium sit, inanem

hypocritis factantiam excutere, qui fidem Christi sine fraterno amore se habere gloriantur: nisi in animis nostris vigeat hoc studium, nihil esse nobis cum Christo commune, his verbis significat. Neque tamen (ut dixi) Christi dilectionem nobis ita proponit, ut aequalem a nobis exigit. Quid enim hoc foret, quam ad unum omnes ad desperationem cogere? Sed ita vult compositos esse nostros affectus, ut vitam simul et mortem cupiamus primum Deo, tum etiam proximis impendere. Est alterum inter nos et Christum discrimen, quod non eadem mortis nostrae virtus esse potest. Neque enim sanguine nostro placatur ira Dei, nec morte vita acquiritur, nec debita aliis poena persolvitur. Sed apostolus in hac comparatione, qualis fuerit vel finis, vel effectus mortis Christi, non spectavit; sed tantum vitam nostram formari voluit ad eius exemplum.

17. *Si quis habeat victum.* Nunc concionatur de communibus caritatis officiis, quae ex summo illo fonte manant, ubi scilicet nos ad mortem usque proximis impendere parati sumus, quamquam videtur a maiori ad minus argumentari. Nam qui facultatibus suis, salva et incolumi vita, fratris inopiam levare abnuit, multo minus vitam suam exponeret. Ergo caritatem in nobis esse negat, si proximos ope nostra fraudemus. Caeterum externam beneficentiam sic commendat, ut simul optime exprimat, quatenam vere sit beneficiendi ratio, et qualis eam regere debeat affectus. Sit igitur haec prima propositio, neminem vere amare fratres, quin hoc re ipsa testetur, quoties usus postulat. Altera, quantum quisque facultatis habet, eatenus obstringi ad fratres invitandos, quia Dominus hoc modo nobis suppeditat exercendae caritatis materiam. Tertia, spectandam esse cuiusque necessitatem, quia, ut quisque cibo et potu indiget, aut aliis rebus, quarum nobis suppetit copia, ita officium nostrum implorat. Quarta, nullam beneficentiam, nisi *τῆ σφραγίδι* coniuncta, Deo placere. Multi in speciem sunt liberales, qui tamen fratrum miseriis minime tanguntur. Verum apostolus praecipit, aperienda esse viscera, quod fit, dum induimus fere eundem sensum, ut aliorum malis non secus condolescamus ac nostris. *Caritas Dei.* Hic de fratribus diligendis agitur. Quorsum ergo amorem Dei nominat? nempe tenendum est illud principium, fieri non posse, quin Dei caritas fratrum amorem in nobis generet. Atque hoc modo nostri erga se amoris experimentum capit Deus, dum sui respectu homines diligere iubet, quemadmodum Psalm. 16, 2. 8. habetur: Benignitas mea ad te non pertingit, sed erga sanctos, qui in terra sunt, voluntas mea et studium meum.

18. *Ne diligamus sermone.* Concessio est in hoc priore membro. Neque enim lingua tantum diligere possumus, sed quia falso hoc multi iactant, eorum simulationi rei nomen concedit apostolus, ut saepe fieri solet, quamquam altero membro eorum vanitatem coarguit, quum veritatem esse neget nisi in opere. Sic enim resolvi debent verba: Non profiteamur lingua nos amare, sed opere id probemus, quia haec demum vara est amoris ratio.

19. Et in hoc cognoscimus, quod ex veritate sumus, et coram ipso persuadebimus corda nostra. 20. Quod si accuset nos cor nostrum, certe maior est Deus corde nostro, et novit omnia. 21. Dilecti, si cor nostrum nos non accuset, fiduciam habemus erga Deum, 22. Et si quid petierimus, accipimus ab eo, quia praecepta eius servamus, et quae coram eo placent, facimus.

19. *Et in hoc cogn.* Nomen *veritatis* diverso nunc sensu accipit; sed elegans est pronomasia, si vere proximos diligimus, hinc nos habere testimonium, quod simus ex Deo geniti, qui veritas est, vel quod Dei veritas locum in nobis habeat. Semper autem meminimus, non habere nos ex caritate notitiam, quam dicit apostolus, quasi inde petenda sit salutis certitudo. Et certe non aliunde cognoscimus, nos esse Dei filios, nisi quia gratuitam suam adoptivam coróibus nostris per spiritum suum obsignat, et nos certum eius pignus in Christo oblatum fide amplectimur. Est igitur caritas accessio vel adminiculum inferius ad fidei fulcrum, non fundamentum, quo nititur. Cur ergo dicit apostolus: *Persuadebimus coram Deo corda nostra?* Nempe his verbis admonet, non consistere fidem sine bona conscientia, non quod inde oriatur persuasio, aut pendeat; sed quia tunc demum vere, non fallaciter, de nostra cum Deo coniunctione persuasi sumus, dum spiritus sancti efficacia in caritate nostra se profert. Semper enim, quid agat apostolus, expendere convenit. Quia enim fictam et fallacem fidei professionem damnat, non aliter coram Deo solidam persuasionem nobis constare dicit, quam si eius spiritus fructum caritatis in nobis proferat. Tametsi autem disiungi a fide non potest bona conscientia, nemo tamen inde colliget respiciendum ad opera nostra esse, ut nobis firma sit persuasio.

20. *Quod si accuset.* Probat ex contrario, frustra nomen et speciem habere Christianorum, quos bonae conscientiae testimonium deficit. Nam si quis male sibi conscius est, et proprio animi sui sensu damnatur, multo minus effugiet Dei iudicium: sequitur ergo, malae conscientiae inquietudine subverti fidem. *Deum corde nostro maiorem* vocat respectu iudicii, quia scilicet multo acutius videat quam nos, et acrius inquirat, et severius iudicet. Qua ratione dicit Paulus (I. Cor. 4, 4.), etiamsi nullius rei sibi conscius sit, non tamen propterea iustificari. Agnoscit enim, quantumvis sollicitè ad officium intentus sit, in multis tamen se errare, et sibi ignoscere errata per incogitantiam, quae animadvertit. Hoc ergo vult apostolus, fieri non posse, ut Dei iudicium effugiat, quem urget ac constringit sua ipsius conscientia. Eodem pertinet, quod mox subiicit, Deum omnia videre. Quomodo enim laterent, quae nos videre cogimur, qui praé illo sumus hebetes, adeoque caeci? Sic ergo resolve: Deus, quum omnia videat, longe superior est corde nostro. Copulam enim vice causalis particulae accipi novum non est. Nunc sensus clarus est, nempe quum alius penetret Dei cognitio quam conscientiae nostrae sensus, neminem coram ipso posse consistere, nisi quem sustinet conscientiae integritas. Sed hic obiicitur quaestio: Certum est, eo stuporis interdum reprobos demergi a Satana, ut mala sua amplius non sentiant, ac sine dolore et metu (quemadmodum dicit Paulus) secure rursus in suam interitum. Certum etiam est, hypocritas solere sibi blandiri, ac superbe contemnere Dei iudicium, quia falsa iustitiae opinione ebrii peccatis suis non tanguntur. Responsio facilis est, ideo falli hypocritas, quia lucem fugitant: ideo nihil sentire reprobos, quia a Deo recedunt; imo nulla est, nisi in latebris, malae conscientiae securitas. Sed apostolus hic de conscientia loquitur, quas Deus in lucem extractas ad tribunal suum cogit, et iudicii sui seusu exercet, quamquam hoc quoque generaliter verum est, nunquam nobis tranquillam constare pacem, nisi quam spiritus Dei purgatis cordibus praestat. Nam quos stupere diximus, illi tamen caecae punitiones subinde sentiunt, et in suo veterno torquentur.

21. *Si cor nostrum nos non accuset.* Iam exposui, neque ad hypocrisin, neque ad crassum Dei contemptum hoc pertinere. Nam utcumque reprobis viae suae placeant, Dominus tamen ponderat corda, inquit Salomon (Proverb. 16, 2.). Haec Dei trutina suo examine effi-

cit, ne quis gloriari queat, se mundum habere eor. Hunc ergo sensum habent apostoli verba, tunc nos demum tranquilla fiducia venire in conspectum Dei, quum nobis bene conscii recti et probi cordis testimonium nobiscum afferimus. Est quidem verum illud Pauli (Ephes. 3, 12.), fide, quae Christi gratia nititur, nobis aditum ad Deum cum fiducia patefieri; item, fide nobis pacem conferri, ut tranquillae coram Deo stent nostrae conscientiae. Sed inter istas sententias nihil est dissidii. Nam Paulus causam fiduciae ostendit; Iohannes vero tantum accidens inseparabile commemorat, quod necessario cohaeret, quamvis causa non sit. Hic tamen oritur maior difficultas, quod nihil videtur relinquere fiduciae in toto mundo. Quis enim reperietur, quem nulla in re cor suum arguat? Respondeo, pios ita coargui, ut se pariter absolvant; nam suis quidem eos peccatis intus serio pungi necesse est, ut terror ad humilitatem siveque displicentiam erudiat; sed mox ad Christi sacrificium confugiunt, ubi certam pacem habent. Quamquam apostolus alio sensu eos non accusari dicit: quia utcumque se in multis deficere agnoscant, sublevantur tamen hoc conscientiae testimonio, quod vere et ex animo Deum timeant, et sequi subiicere cupiant eius iustitiae. Quicumque hoc pio affectu sunt praediti, et interea sciunt sua studia, quantumvis a perfectione distent, Deo tamen placere, merito cor sedatum vel pacatum habere dicuntur, quia nulla est interior punctio, quae placidam eorum hilaritatem turbet.

22. *Et si quid petierimus.* Quia res sunt inter se connexae, fiducia et Dei invocatio: quemadmodum prius malam conscientiam docuit repugnare fiduciae, ita nunc non posse invocari Deum pronuntiat, nisi ab iis, qui eum puro corde timent, et rite colunt. Hoc posterius ex priore sequitur. Est illud generale scripturae axioma, non exaudiri a Deo impios, quin potius sacrificia eorum et preces abominationi esse. Ergo ianua hic clauditur hypocrisis, ne in Dei conspectum cum eius contemptu prorumpant. Interea non significat, afferendam esse bonam conscientiam, quasi precibus nostris gratiam concillet. Vae nobis, si ad opera respicimus, quae nihil quam trepidationis materiam in se habent. Non aliter igitur quam Christo mediatore freti ad Dei tribunal adspirant fideles. Sed quia cum fide semper coniunctus est amor Dei, quo magis hypocritas perstringat apostolus, hoc singulari privilegio, quo Deus suos filios dignatur, eos privat, ne scilicet putent, aditum esse ad Deum suis precibus. Quum dicit: *Quia servamus eius praecepta*, non intelligit, fundatam esse in operibus nostris orandi fiduciam; sed in hoc tantum insistit, non posse a fide disjungi pietatem et sincerum Dei cultum. Nec absurdum videri debet, quod partioulam causalem usurpet, utcumque de causa non disputet; nam accidens inseparabile interdum causae loco poni solet, quemadmodum si quis dicat, quia sol meridie supra nos lucet, plus tunc esse caloris. Neque enim sequitur, ex luce oriri calorem.

23. Et hoc est praeceptum eius, ut credamus nomini filii eius Iesu Christi, et nos diligamus invicem, sicuti praeceptum dedit nobis. 24. Qui servat praecepta eius, in ipso manet, et ipse in eo; atque in hoc cognoscimus, quod manet in nobis, ex spiritu, quem nobis dedit.

25. *Et hoc est praeceptum.* Rursus generalem sententiam ad suum propositum accommodat. Summa est, nobis tale esse cum Deo dissidium, ut ab eius accessu arceamur, nisi fraterno inter nos amoris coniuncti, quamquam non solam hic caritatem, ut prius, com-

mendat, sed fidei comitem et quasi pedissequam adiungit. Haec verba sophistae suis commentis depravant, quasi partim fide, partim operibus nobis comparetur orandi libertas. Quum Iohannes ad legitimam precandi rationem hoc requirat, ut servemus Dei mandata, et postea doceat fide et caritate hanc observationem constare: colligunt illi, ex his duobus orandi fiduciam concipi debere. Ego autem iam aliquoties monui, hic minima tractari, unde vel quibus modis sibi hoc comparent homines, ut Deum invocare audeant. Hic enim de causa vel dignitate non agitur; tantum ostendit Iohannes, Deum colloquii sui honore et privilegio non nisi filios suos, et quidem spiritu suo regeneratos dignari. Proinde hic est orationis contextus: Ubi non regnat timor Dei et reverentia, fieri non potest, ut Deus nos exaudiat. Quod si nobis propositum est eius mandatis obedire, videndum est, quid praecipiat. Atqui fidem a caritate non separat; sed utramque uno velut complexu a nobis exigit. Atque haec ratio est, cur nomen *mandati* singulari numero posuerit. Caeterum hic locus insignis est, quia tam perspicue, quam breviter definit, in quo consistat tota sanctae vitae perfectio. Non est ergo, quod difficultatem causemur, quando nos Deus minime per longas ambages circumagat; sed simpliciter et uno verbo nobis exponit, quid rectum sit, et quid sibi placeat. Adde, quod nulla in hac brevitate est obscuritas, quia nobis recte vivendi principium et finem clare demonstrat. Quod autem hic tantum fraternae caritatis fit mentio, praeterito Dei amore, ratio est (ut alibi diximus), quod fraterna caritas, sicuti ex solo amore Dei manat, ita certa sit et vera eius approbatio. *Nomini filii eius.* Nomen ad praedicationem respicit; atque haec relatio notanda est, quia pauci, quid sit in Christum credere, intelligunt. Ex hac autem loquutione colligere promptum est, hanc esse demum rectam fidem quae Christum, qualis praedicatur in evangelio, amplectitur. Unde etiam conficitur, nullam esse absque doctrina fidem, quemadmodum et Paulus docet Rom. 10, 14. Simul et hoc notandum, quod fidem apostolus in Christi cognitione includit. Est enim viva patris imago, et in eo absconditi sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae. Quare simulatque ab eo defleximus, nihil possumus quam in errore vagari.

24. *Qui servat praecepta.* Confirmat, quod iam prius dixit, ita patefieri, quam habemus cum Deo, coniunctionem, si nos mutuo diligimus, nam quod inde incipiat coniunctio, sed quia otiosa esse nequeat et absque effectu, ubicunque esse coepit. Atque id probat addita ratione: quia non maneat Deus in nobis, nisi spiritus eius in nobis habitet. Atqui spiritus eius, ubicunque sit, necesse est, ut vim et efficaciam suam exerat. Unde colligere promptum est, non alios manere in Deo, ac illi unitos esse, nisi qui eius mandata servant. Quum ergo dicit: *Et in hoc cognoscimus*: copula *et*, quia pro causae redditione ponitur, tantum valet atque: nam aut quia. Caeterum expendi debet praesentis causae circumstantia. Tametsi enim haec sententia verbis convenit cum illa Pauli (Rom. 8, 15.), ubi a spiritum dicit testari cordibus nostris nos esse Dei filios, et nos per eum clamare ad Deum: Abba pater: in sensu tamen est aliquid discriminis. Nam Paulus de gratuita adoptionis certitudine loquitur, quam spiritus Dei cordibus nostris obsignat; Iohannes autem hic effectus respicit, quos profert spiritus in nobis habitans, quemadmodum et Paulus ipse, quum dicit eos esse Dei filios, qui spiritu Dei aguntur. Nam illic quoque de mortificatione carnis, et vitae novitate disserit. Haec summa est, iuda constare an filii Dei simus, si vitam nostram spiritus eius moderatur et gubernat. Interea docet Iohannes, quicquid est in nobis honorum operum, provenire ex gratia spiritus, et hunc spiritum non acquiri nostra iustitia, sed gratuito nobis donari.



## CAP. IV.

1. *Dilecti, ne omni spiritui credatis, sed probate spiritus, an ex Deo sint, quia multi pseudoprophetae exierunt in mundum.* 2. *In hoc cognoscite spiritum Dei: Omnis spiritus, qui confitetur, Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est; 3. Et omnis spiritus, qui non confitetur, Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est, et hic est Antichristi, de quo audiistis, quod venturus sit, et nunc iam in mundo est.*

Redit ad superiorem doctrinam, quam attigerat capite secundo. Plerique enim (ut in rebus novis fieri solet) Christi nomine abutebantur ad serendos suos errores. Alii dimidia ex parte profitebantur Christum; interea quum locum haberent inter domesticos, plus valebant ad nocendum. Praesertim in Christo ipso turbandae ecclesiae materiam captabat Satan. Nam hic est lapis offensionis, ad quem impingere necesse est omnes, qui planam viam, ut a Deo nobis monstratur, non tenent. Porro tribus membris constat tota haec apostoli ratio. Nam primo malum ostendit, unde periculum fidelibus instabat, atque hac ratione eos ad cavendum hortatur. Cavendi modum praescribit, ut diiudicent inter spiritus. Atque hoc est secundum membrum. Tandem speciem unam designat, a qua maximum erat illis periculum. Vetat igitur eos audire, qui filium Dei in carne manifestatum esse negant. Nunc singula ordine tractemus. Tametsi autem in contextu ratio ista subiicitur, quod multi pseudoprophetae in mundum exierint: tamen inde initium facere convenit. Continet autem haec sententia utilem admonitionem, quia, si iam tunc multos impulerat Satan, qui sub Christi nomina suas imposturas spargerent, hodie simile exemplum consternare nos non debet. Haec enim perpetua est evangelii conditio, ut eius puritatem variis erroribus inficere ac corrumpere molitur Satan. Hoc nostrum saeculum horrenda quaedam sectarum portenta protulit; qua occasione multi attoniti haerent, et, quorsum se vertere debeant nescientes, omnem pietatis curam abiciunt. Naque enim melius inveniunt compendium sese extricandi ab errorum periculo. Stulte id omnino; lucem enim veritatis fugiendo sese ultro in errorum tenebras coniciunt. Quare hoc in animis nostris fixum haereat, ex quo publicari coepit evangelium, statim exstitisse pseudoprophetas. Munit etiam nos haec doctrina contra illud offendiculum. Plerosque errorum vetustas quasi vinctos retinet, ne inde emergere audeant. Atqui Iohannes intestinum ecclesiae malum hic designat. Quod si iam tum apostolis aliisque fidei doctoribus permitti fuerunt impostores, quid mirum, si iam pridem oppressa evangelii doctrina, multae corruptelae in mundo grassatae sunt? Non est igitur, quod nos impediatur antiquitas, quo minus libere veritatem a mendacio discernamus.

1. *Ne omni spiritui credatis.* Multi (ut dictum est), quum ecclesia dissidiis et contentionibus vexatur, expavescunt ab evangelio discedunt. Spiritus autem longe diversum remedium praescribit, ne temere scilicet et absque delectu quamlibet doctrinam recipiant fideles. Cavendum igitur, ne opinionum varietate offensi, doctores una cum verbo Dei valere iubeamus. Sed hoc temperamentum sufficiat, non esse promiscue omnes audiendos. Nomen *spiritus* metonymica accipio pro eo, qui spiritus dono se praeditum esse iactat ad obaudum prophetarum munus. Nam quum nemini permissum sit privato suo

nomine loqui, nec fides loquantibus habenda sit, nisi quatenus spiritus sancti sunt organa: quo plus austeritatis haberent prophetae, hoc elogio Deus ipsos ornavit, acsi eos eximeret ex communi hominum numero. Spiritus ergo vocabantur, qui linguam tantum praebentes oraculis spiritus sancti, ministram eius personam quodammodo sustinebant; nihil proferebant ex proprio sensu, nec privato suo nomine probabant in medium. Huo autem spectabat tam honorificus titulus, ne quid ob ministri contemptum verbi Dei reverentiae decederet. Nam Deus semper verbum suum ex hominum ore non secus excipi voluit, quam si palem ipse e caelo apparuisset. Hic se medium iniecit Satan; et quum falsos doctores supponeret ad verbum Dei adulterandum, nomen quoque illis imposuit, sub quo melius fallerent. Ita pseudoprophetae superciliose et plenis buccis semper sibi arrogare soliti sunt, quidquid Deus in servos suos honoris contulerat. Videtur autem consulto apostolus hoc nomine usus esse, ne suis larvis nos decipiant, qui falso Dei nomen praetendunt, quemadmodum videmus hodie permultos nudo ecclesiae titulo obstupescere, ut se in aeternum interitum papae addicere malint, quam illi quicquam vel minimum auctoritatis abrogare. Notanda est igitur ista concessio. Poterat enim dicere apostolus, non esse quibusvis hominibus credendum; sed quoniam falsi doctores spiritus titulum mentiebantur, eum sic ipsis relinquit, ut simul admoneat frivolum ac nugatorium esse, nisi re ipsa exhibeant, quod profitentur; stultos vero esse, qui ad solum honorifici tituli strepitum attoniti de re inquirere non audeant. *Probate spiritus.* Quia non omnes verae sunt prophetiae, apostolus hic pronuntiat revocandas esse ad examen. Alloquitur autem non modo totum ecclesiae corpus, sed etiam singulos fideles. Sed quaeritur, unde nobis ista discretio. Qui respondent, verbum Dei regulam esse, ad quem exigi oporteat, quicquid in medium proferunt homines, neque illi nihil dicunt, neque totum. Concedo probandas esse verbo Dei doctrinas; verum nisi adsit spiritus prudentiae, nihil aut parum proderit verbum Dei habere ad manum, cuius interpretatio nobis non constabit, quemadmodum, exempli gratia, aurum igne aut Lydio lapide probatur, sed ab iis, qui artem tenent. Nam imperitis nec lapis Lydius, neque ignis usui esse poterit. Ergo ut simus idonei iudices, necesse est nos discretionis spiritu donari et dirigi. Quia autem frustra hoc nobis praeciperet apostolus, nisi iudicandi facultas suppeteret, certo statuendum est, pios nunquam destitutum iri spiritu prudentiae, quoad expediet, modo eum a Domino postulent. Sed ita demum ad veram discretionem nos spiritus diriget, si omnes nostros sensus verbo subiciamus. Est enim (ut dictum est) instar Lydii lapidis, imo longe pluris esse nobis debet, quoniam ea demum legitima est doctrina, quae inde sumpta est. Sed hic nascitur difficilis quaestio: quia, si penes singulos ius et arbitrium erit iudicandi, nihil inquam certi constitui poterit, quin potius vacillabit tota religio. Respondeo, duplex esse doctrinae examen: privatum et publicum. Privatum, quo unusquisque fidem suam stabilis, ut tuto acquiescat in ea doctrina, quam a Deo novit profectam esse. Neque enim alibi quam in Deo tutam et tranquillam stationem inventient conscientiae. Publicum examen ad communem ecclesiae consensum et *πολιτικόν* spectat. Nam quia periculum est, ne insurgant fanatici homines, qui se temere iacent spiritu Dei esse praeditos: necessarium est hoc remedium, ut simul conveniant fideles, et retentionem pii purique consensu quaerant. Caeterum quum vetus illud proverbium nimis verum sit, quot sunt capita, tot esse sensus: certum est, hoc esse singulare Dei opus, ut domita omni pervicacia nos unum sentire, atque in puram fidei unitatem coalescere faciat. Quod autem hoc praetextu, quaecumque unquam in conciliis decreta sunt, pro certis ora-

culis papistae volunt haberi, quia ecclesia semel probavit ex Deo esse: id nimis est frivolum. Nam utcumque illa sit ordinaria consensus quaerendi ratio, pium sanctumque concilium cogere, ubi controversiae ex Dei verbo definiantur: nunquam tamen Deus cuiuslibet concilii decretis nos alligavit. Nec vero simul ac in unum aliquem locum coferunt episcopi centum vel plures, protinus sequitur, eos rite invocasse Deum, et ex ore eius sciscitatos, quidnam verum esset. Imo nihil clarius est, quam a sincero Dei verbo saepe eos recessisse. Ergo hic quoque valere debet examen, quod praescribit apostolus, ut spiritus probentur.

2. *In hoc cognoscite.* Specialem notam apponit, qua melius discernere veros prophetas a falsis liceat, quamquam hic tantum repetit, quod prius habuimus, Christum scilicet, sicuti scopus est, ad quem recta fides collimat, ita scopulum esse, ad quem impingunt omnes haeretici. Quamdiu itaque in Christo manemus, salva res est; ubi autem ab eo disceditur, perit fides, et exinanita est omnis veritas. Caeterum meminimus, quid haec confessio contineat. Nam quum dicit apostolus *Christum* venisse, hinc colligimus, prius fuisse apud patrem; quo ostenditur aeterna eius divinitas. Quum dicit *venisse in carne*, significat, carnem induendo verum hominem esse factum, eiusdem nobiscum naturae, ut frater noster fieret, nisi quod ab omni vitio ac corruptela fuit immunis. Postremo quum dicit *venisse*, notanda est adventus eius causa; neque enim frustra a patre missus est. Hinc pendet officium Christi ac virtus. Ergo quemadmodum haeretici veteres ab hac fide exciderunt, partim divinam Christi naturam, partim humanam negando, ita hodie papistae, licet Christum fateantur Deum et hominem, minime tamen confessionem hanc retinent, quam requirit apostolus, quia Christum virtute sua spoliant. Nam ubi liberum suum arbitrium, operum merita, fictitios cultus, satisfactiones, sanctorum patrocinia statuerunt, quantum Christo residuum manet? Hoc ergo sentit apostolus, quando summam doctrinae pietatis in se complectitur Christi notitia, semper illuc coniciendos et figendos esse oculos, ne fallamur. Et certe Christus laevis et prophetarum finis est. Nec aliud ex evangelio discimus, quam eius vim et gratiam.

3. *Et hic est Antichristi.* Hoc addidit apostolus, quo magis detestabiles redderet imposturas, quae nos a Christo abducunt. Diximus enim celebrem ac tritam fuisse doctrinam de regno Antichristi: ut de futura ecclesiae dissipatione admoniti fideles solliciti sibi caveant. Merito igitur tamquam infame et ominosum horrebant istud nomen. Nunc dicit apostolus, membra esse huius regni, quicumque Christo detrahunt. Dicit autem spiritum Antichristi *venturum et iam esse* in mundo, diverso sensu. Tunc enim iam in mundo fuisse intelligit, quia moliebatur iniquitatis suae arcem. Quia tamen nondum oppressa erat Dei veritas falsis et adulterinis dogmatibus, nondum corrupto Dei cultu invaluerat superstitio, nondum mundus scelerata perfidia a Christo defecerat, nondum se palam extulerat tyrannus, Christi regno opposita: ideo venturum dicit.

4. Vos ex Deo estis filioli, et vicistis eos, quia maior est, qui est in vobis, quam qui in mundo. 5. Ipsi ex mundo sunt: propterea ex mundo loquuntur, et mundus eos audit. 6. Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis et spiritum erroris.

4. *Vos ex Deo.* De uno Antichristo loquutus erat; nunc plures commemorat. Sed pluralis numerus ad pseudopphetas refertur, qui iam tunc emergerant, priusquam caput exstaret. Porro apostoli consilium est, fidelibus addere animos, ut fortiter et intrepide impostoribus resistent. Multum enim alacritatis decedit, quum dubio eventu pugnatur. Porro formidinem bonis incutere poterat, quod vixdum exorto Christi regno iam in acie stare videbant hostes ad illud opprimendum. Ergo utcumque certandum sit, dicit tamen eos vicisse, quia felicem habituri sint exitum, acsi diceret, in media pugna iam extra periculum eos esse, quia futuri sint superiores. Atque haec doctrina longius extendi debet. Quoi quid enim certaminum sustinemus adversus mundum et carnem, coniunctum est cum certa victoria. Nos quidem duri et acres conflictus manent, et alii subinde aliis succedunt; sed quia Christi virtute pugnamus, et instructi sumus Dei armis, pugnando et laborando sumus victores. Quantum ad circumstantiam huius loci pertinet, insignis est consolatio, quod, quibuscumque dolis nos adoriatur Satan, tamen in Dei veritate stabimus. Sed notanda est, quae mox subiicitur, ratio: quia maior, hoc est, fortior sit, qui in nobis est, quam qui in mundo. Nam ea est nostra infirmitas, ut, antequam manus conseramus cum hoste, succumbere oporteat. Sumus enim impliciti ignorantia, ideoque expositi ad omnes fallacias; Satan autem mirus ad fallendum artifex. Si sustinerimus ad diem unum, obrepet tamen animis nostris dubitatio, quid cras futurum sit: ita perpetuo erimus anxii. Admonet ergo apostolus, non propria nos, sed Dei virtute esse fortes. Unde colligit, non magis nos vinci posse, quam Deum ipsum, qui nos sua virtute ad finem usque mundi instravit. Atque in tota spirituali nostra militia insidere cordibus debet haec cogitatio, actum protinus fore de nobis, si nostris viribus pugnandum esset; caeterum quia nobis quiescentibus Deus hostes repellit, indubiam esse victoriam.

5. *Ipsi ex mundo sunt.* Haec non parva est consolatio, quod, qui Deum in nobis aggredi audent, tantum mundi praesidiis sunt instructi. Porro mundum intelligit apostolus, quatenus Satan est eius princeps. Simul additur altera consolatio, quum dicit, mundum amplecti in pseudopphetis, quod suum agnoscit. Videmus, quanta sit ad vanitatem hominum propensio. Falsae igitur doctrinae facile statim penetrant, et longe lateque grassantur. Negat apostolus esse, cur propterea turbari nos deceat, quia nihil novum sit aut insolens, si mundus, qui totus est mendax, libenter mendacium audit.

6. *Nos ex Deo sumus.* Quamquam hoc vere in omnes pios competit: proprie tamen ad fideles evangelii ministros spectat. Nam apostolus ex spiritus fiducia hic gloriatur, se ac suos collegas sincere Deo servire, et ab eo sumpsisse, quicquid tradunt. Idem pseudoapostolos iactare continget, ut mos illis est sub Dei larva decipere; sed ab illis multum discrepant fidei doctores, qui nihil de se verbis praedicant, quod non exhibeant re ipsa. Semper tamen memoria tenendum est, quam causam hic tractet. Exiguus erat piorum numerus; incredulitas autem omnia fere occupabat; pauci evangelio vere adhaerebant, maior pars ad errores proclivis erat. Hinc scandali occasio; cui ut occurrat Iohannes, contentos esse nos iubet ista fidelium paucitate, quia omnes Dei filii honorem illi deferant, ac se eius doctrinae subiiciant. Nam contrarium membrum continuo post opponit, qui ex Deo non sunt, puram evangelii doctrinam non audire. Quibus verbis significat, ingentem illam turbam, cui non sapit evangelium, ideo non audire probos ac legitimos Dei servos, quia a Deo ipso aliena sit: nihil ergo ex evangelii auctoritate minui, dum a multis respuitur. Sed huic doctrinae annexa est utilis admonitio, ut fidei obedientia nos esse ex Deo probemus. Nihil facilius est quam

iactare nos esse Dei: ideoque nihil inter homines magis vulgare, quemadmodum hodie papistae superbe se venditant pro Dei cultoribus; interea non minus superbe verbum repudiant. Nam quamvis se Dei verbo credere simulent; ubi tamen ad rem venitur, aures habent clausas. Atqui hoc unicum est timoris Dei testimonium, eius verbum revereri. Nec locum hic habet, quae a multis obtendi solet, excusatio, se ideo fugere evangelii doctrinam, quum illis proponitur, quia non sint ad iudicandum idonei. Fieri enim non potest, quin Deum agnoscat in verbo suo, quisquis ex animo eum timet, et illi obsequitur. Si quis obliat, multos ex electis non statim accedere ad fidem, imo proterve initio calcitrare: respondeo, eo tempore non habendos esse (nostro quidem iudicio) in Dei filiis. Caeterum hoc reprobi hominis signum est, quum pertinaciter ab eo reiicitur veritas. Obiter etiam notandum est, illud *audire*, cuius meminit apostolus, de interiore et serio cordis auditu, qui fide constat, intelligi. *In hoc cognoscimus.* Relativum *in hoc*, duo superiora membra complectitur, acsi diceret, inde veritatem a mendacio discerni, quia alii ex Deo, alii ex mundo loquuntur. Quod autem per *spiritum veritatis et erroris*, quidam, auditores notari, putant, acsi diceret, eos, qui se impostoribus fallendos tradunt, esse natos ad errorem, et in se habere semen mendacii; eos autem, qui verbo Dei consentiunt, hoc specimine monstrari veraces, non recipio. Nam quum apostolus *μετῶν ψευδῶς πνεύματος* *spiritus* hio accipiat pro doctoribus vel prophetis, nihil aliud velle eum existimo, quam doctrinae examen esse ad ista duo revocandum, ex Deo, an ex mundo sit. Videtur tamen ita loquendo nihil dicere. Nam omnibus excipere promptum erit, se non nisi ex Deo loqui. Sio hodie papistae sua omnia commenta spiritus oracula esse, magistrali supercilio iactant. Nec Muhammedus aliunde se hausisse praedicat sua deliria, quam e coelo. Quinetiam Aegyptii sibi olim divinitus revelatas esse mentiebantur putidas illas ineptias, quibus se et alios infatuabant. Sed respondeo, nos verbum Domini habere, quod in primis consulendum est. Ergo quum Dei nomen obtendunt spiritus fallaces, ex scripturis inquirere convenit, an res ita habeat. Modo pium a nobis studium adhibeatur cum humilitate et modestia, aderit spiritus discretionis, qui sa ipsum in scripturis loquentem, tamquam fidus interpres, exponat.

7. Dilecti, diligamus nos mutuo, quia dilectio ex Deo est; et omnis, qui diligit, ex Deo genitus est, et cognoscit Deum. 8. Qui non diligit, non novit Deum, quia Deus dilectio est. 9. In hoc apparuit dilectio Dei in nobis, quod filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. 10. In hoc est dilectio, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod nos ipse dilexit, et misit filium propitiationem peccatis nostris.

7. *Dilecti* etc. Redit ad illam exhortationem, quam tota fere epistola prosequitur. Diximus enim, mistam esse fidei doctrina et exhortatione ad caritatem. In duobus capitulis ita insistit, ut ab uno ad alterum subinde transeat. Quum *mutuum* amorem commendat, non intelligit, nos officio defunctos esse, si amicos nostros vicissim diligimus, quia nos diligunt. Sed quia fideles in commune alloquitur, aliter non debuit loqui, quam ut se mutuo diligant. Confirmat hanc sententiam ratione iam aliquoties adducta: quia scilicet nemo se filium Dei prohibet, nisi qui proximos diligit, et quia vera Dei cognitio amorem Dei necessario in nobis generat. Opponit etiam

contrarium membrum suo more, quod nulla sit Dei cognitio, ubi non viget caritas. Sumit autem generale principium, quod Deus sit caritas, hoc est, quod eius natura sit homines diligere. Seio, multos argutus philosophari, ac praesertim veteres hoc loco abusos esse, ut spiritus divinitatem probarent. Verum simplex est apostoli sensus, quia Deus sit fons caritatis, hunc affectum ab eo fluere et diffundi, quocumque pervenit eius notitia, quemadmodum prius lucem vocavit, quia nihil sit in eo tenebrarum, sed potius omnia suo fulgore illustret. Hic ergo de essentia Dei non loquitur; sed tantum docet, qualis a nobis sentiatur. Caesarum duo notanda sunt in verbis apostoli, hanc esse veram Dei notitiam, quae nos regeneret et refingat, ut simus novae creaturae; deinde fieri non posse, quin ipsa nos Deo conformet. Facessat igitur stultum commentum de fide informi, quia, si quis fidem a caritate separat, perinde facit, acsi calorem a sole auferre conetur.

9. *In hoc apparuit.* Aliis etiam pluribus documentis testatum habemus D-i erga nos amorem. Nam si quaeritur, cur creatus sit mundus, cur simus in eo collocati ad obtinendum terrae dominium, cur servemur in hac vita, ut fruamur bonis innumeris, cur simus in apem melioris vitae conditi, cur luce et intelligentia praediti simus: non alia omnium causa adduci poterit, quam gratuitus erga nos Dei amor; sed praecipuum specimen hic deligit apostolus, et quod reliquis omnibus longe praecellit. Hic enim non immensus tantum fuit Dei amor, quod proprio filio non pepercit, ut eius morte nos in vitam restitueret; sed plus quam mirifice bonitas, quae mentes nostras in stuporem rapere debet. Ergo Christus tam illustre est ac singulare divini erga nos amoris documentum, ut quoties ipsum intuemur, hanc doctrinam plane nobis confirmet, quod Deus sit dilectio. Quod *unigenitum* appellat, ad auxesin valet. In eo enim clarius ostendit, quem unice nos amaret, quod unicum filium exposuit nostra causa in mortem. Interea qui unus est natura filius, gratia et adoptione multos facit, quoscumque scilicet fide inserit in corpus suum. Finem exprimit, cur missus a patre fuerit Christus, ut per eum vivamus. Nam extra ipsum sumus omnes mortui; adventu autem suo vitam nobis attulit, et nisi obstet nostra incredulitas, hunc gratiae eius effectum in nobis sentimus.

10. *In hoc est dilectio.* Amplificat alia ratione Dei amorem, quod scilicet filium suum nobis dederit, quo tempore eramus inimici, quemadmodum etiam Paulus docet ad Romanos cap. 5, 8.; sed aliis verbis utitur, quod Deus nullo hominum amore provocatus eos ultro dilexerit. Quibus verbis docere voluit, gratuitum erga nos fuisse amorem Dei. Tametsi autem apostoli consilium est Deum nobis imitandum proponere: non tamen negligenda est fidei doctrina, quam simul admiscet. Gratis nos Deus amavit. Cur? quia, antequam nati essemus, deinde quia in ista naturae pravitae cor habemus ab eo aversum, et ad rectos piosque affectus minime flexibile. Si locum haberet papistarum argutia, unumquemque electum esse a Deo, prout amore dignum praevidit, non staret haec doctrina, priorem nos dilexisse. Tunc enim amor erga Deum noster priores ordines teneret, etiamsi tempore esset posterior. Sed apostolus confessum scripturae axioma sumit, quod profani isti sophistae ignorant, nos ita corruptos et pravos nasci, ut nobis quasi ingentium sit Dei odium, ut nihil appetamus, nisi quod illi displicet, ut singuli carnis nostrae affectus assiduum cum eius iniustitia bellum gerant. *Et misit filium.* Ergo ex mera Dei bonitate, tamquam ex fonte, fluxit nobis Christus cum suis omnibus bonis. Quemadmodum autem hoc cognitu necessarium est, nos ideo salutem habere in Christo, quia sponte nos dilexit coelestis pater: ita, ubi

querenda est solide et plena divini in nos amoris certitudo, non alio quam in Christum respicere convenit. Quere in suum exitum insaniunt, quicumque omissio Christo, quidem de se in arcano Dei consilio constitutum sit, inquirent. Porro iterum causam adventus Christi, eiusque officium ostendit, quum ideo missum commemoret, ut esset propitiatio pro peccatis. Ac primum quidem his verbis docemur, nos omnes per peccatum fuisse alienatos a Deo, et manere hoc dissidium, donec interveniat Christus, qui nos reconciliet. Docemur secundo, hoc esse vitee nostrae initium, quod Deus morte filii sui placet nos in gratiam recipit. Nam quod *propitiatio* dicitur, hoc proprie ad mortis sacrificium pertinet. Habemus ergo, hoc honoris competere in solum Christum, ut mundi peccata expiet, etque ita inimicitias tollat inter nos et Deum. Sed hic emergit quaedam repugnantia species. Nempe si prius emebat Deus, quem se Christus pro nobis in mortem offerret, quid nova reconciliatione opus fuit? ite supervacuo videri Christi mors posset. Respondeo, quum dicitur Christus placuisse nobis patrem, hoc ad sensum nostrum referri. Nempe ut sumus meles nobis conscii, Deum non nisi iratum et infestum concipere possumus, donec e reatu Christus nos absolvat. Deus enim, ubicunque apparet peccatum, iram suam ei aeternae mortis iudicium vult sentire. Hinc sequitur, nihil quam presenti mortis aspectu terri nos posse, donec peccatum Christus morte sua aboleat, donec sanguinis sui pretio nos a morte liberet. Rursum Dei amor iustitiam requirit: ergo ut persuasi simus nos emeri, ad Christum venire necesse est, in quo solo nobis constat iustitia. Nunc videmus loquendi varietatem, quae in scriptura occurrit, secundum diversos respectus, optissimam et fidei apprimè utilem esse. Ideo filium suum interponit Deus ad se nobis reconciliandum, quae nos emebat; sed occultus erat amor ille, quia interea nos Deo eremus hostes iram eius assidue provocando. Deinde males conscientiae formido et terror omnem vitee gustum nobis adimebant. Ergo quoad fidei nostrae sensum, Deus nos in Christo amare incipit. Quamquam eum hic apostolus de prima reconciliatione tractet, sciemus tamen, hoc perpetuum esse Christi beneficium, ut peccata expiando Deum nobis propitiat. Hoc papistae quoque aliqua ex parte concedunt; sed postea extenuant hanc gratiam ac fere in nihilum redigunt fictas satisfactiones ingerendo. Atqui si homines se redimunt operum pretio, non erit Christus unica propitiatio, quemadmodum hic vocetur.

11. Dilecti, si ita Deus nos dilexit, nos quoque debemus invicem diligere. 12. Deum nemo vidit unquam. Si diligimus nos invicem, Deus in nobis manet, et dilectio eius perfecta est in nobis. 13. In hoc cognoscimus, quod in ipso manemus, et ipse in nobis, quia ex spiritu suo dedit nobis. 14. Et nos vidimus, et testamur, quod pater misit filium servatorem mundi. 15. Qui confessus fuerit, quod Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. 16. Et nos cognovimus et credimus dilectionem, quam habet Deus in nobis. Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.

11. *Dilecti* etc. Nunc apostolus, quae nuper docuit de gratuito Dei amore, ad suum institutum accommodat, nempe ut nos Dei exemplo hortetur ad fraternam amorem. Sicut etiam Paulus (Ephes. 5, 2) Christum nobis proponit, qui se hostiam bonae fragrantiae ob-

tulit patri, ut se quisque nostrum proximis impendat. Admonet autem Iohannes, amorem nostrum non debere mercenarium esse, quum proximos diligere iubet, sicuti nos Deus dilexit. Nam illud repetendum est, gratis nos fuisse dilectos. Et certe ubi commodum nostrum respicimus, vel referimus amicis pares vires, philautia est, non caritas.

12. *Deum nemo vidit.* Eadem verba habentur in evangelii Iohannis capite 1, 18.; sed Iohannes baptista non eundem omnino finem illic respicit; tantum enim significat, non posse aliter cognosci Deum, nisi quatenus se in Christo patefacit. Eandem doctrinam apostolus hic longius extendit, Dei virtutem fide ac dilectione a nobis comprehendendi, ut sciamus, nos esse eius filios, et aum in nobis habitare. Prius tamen de caritate loquitur, quum dicit, *in nobis manere Deum*, si nos diligimus mutuo, quia perfecta est, hoc est, vere comprobata in nobis eius dilectio, acsi diceret, Deum se quasi praesentem exhibere, dum spiritu suo corda nostra in fraternum amorem format. Eodem sensu repetit, quod iam semel dixerat, nos ex spiritu, quem dedit nobis, cognoscere, quod in nobis habitat. Est enim confirmatio proximae sententiae: quia caritas effectus est spiritus. Itaque haec summa est: Quum caritas sit ex Dei spiritu, non possumus vere et sincero corde fratres diligere, quin spiritus vim suam exserat. Hoc modo se in nobis habitare testatur. Porro Deus per spiritum suum in nobis habitat: ergo caritate probabimus, Deum nos habere in nobis manentem. Rursum, quisquis se Deum habere iactat, nec fratres diligit, hoc uno refellitur eius vanitas, quia Deum a se ipso divellit. Quum dicit: *Et caritas eius perfecta est*, copulam accipit causalis particulae loco. Et caritas Dei hic bifariam exponi potest: vel qua illum prosequitur, vel quam nobis inspirat. Deum nobis spiritum suum dedisse, et dedisse ex spiritu suo, idem prorsus valent. Scimus enim, spiritum singulis distribui ad mensuram.

14. *Et nos vidimus.* Nunc alteram notitiae Dei partem, quam attigimus, exponit, quod scilicet in filio se nobis communicat, ac fructum offert: unde sequitur, fide a nobis percipi. Nam huc tendit apostoli consilium, nos fide et caritate sic Deo uniri, ut in nobis vere habitat, et virtutis suae effectu quodammodo visibilem se praebet, qui alioqui videri non potest. Quum dicit: *Vidimus et testamur*, se et reliquos apostolos designat. Et ad spectum non quamlibet intelligit, sed fidei adiunctum, quo agnoverint in Christo Dei gloriam, quemadmodum et sequitur, *missum esse*, ut sit *servator mundi*. Quae notitia ex spiritu illuminatione manat.

15. *Qui confessus fuerit.* Repetit illud axioma, nos Deo uniri per Christum, neo posse Christo esse coniunctos, quin Deus in nobis maneat. Promiscue autem *fides et confessio* ponuntur eodem sensu. Nam quamvis hypocritae mendaciter fidem iactent, apostolus tamen nullos hic in ordine confitentium agnoscit, nisi qui vere et ex animo credunt. Praeterea quum dicit: *Quod Iesus est filius Dei*, paucis istis verbis totam fidei summam perstringit. Nihil enim est ad salutem necessarium, quod non in Christo inveniat fides. Caeterum postquam in genere dixit, sic fide inseri homines in Christum, ut Christus eos Deo coniungat, subiicit hypothesin, quod viderint ipsi, ut generalem sententiam accommodet iis, ad quos scribit. Tandem sequitur exhortatio, ut alios diligant, quemadmodum a Deo dilecti sunt. Quare haec series est, et hic contextus sermonis: Fides Christi facit, ut Deus in hominibus maneat; atqui nos sumus huius gratiae consortes. Porro quum Deus sit caritas, nullus in eo manere potest, quin diligit fratres suos. Ergo caritatem in nobis regnare decet, quando se Deus nobis coniunxit.



16. *Cognovimus et credimus.* Perinde est, acsi diceret: Cognovimus oredendo; talis enim notitia non nisi fida percipitur. Sed hinc colligimus, quantum a fide absit suspensa vel dubia opinio. Porro quum velit hinc proximam sententiam accommodare ad lectores, quemadmodum iam dixi: ipsam tamen fidei substantiam varie definit. Prius dixerat: Qui credit, Iesum esse filium Dei; nunc autem dicit: Fide cognoscimus amorem Dei erga nos. Unde apparet, in Christo apprehendi paternum Dei amorem, neo certi quicquam de Christo tenere, nisi qui se eius gratia Dei filios agnoscunt. Ideo enim filium suum pater quotidie nobis proponit, ut in eo nos adoptet. *Deus caritas est.* Est veluti minor propositio in syllogismo, quia a fide ad caritatem ratiocinatur hoc modo: Fide in nobis habitat Deus: atqui Deus est caritas: ergo ubicunque manet Deus, caritatem simul vigere oportet. Hinc sequitur, caritatem necessario fidei connexam esse.

17. In hoc perfecta est caritas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicii, quod, sicut ille est, nos quoque sumus in hoc mundo. 18. Timor non est in caritate; sed perfecta caritas foras pellit timorem, quia timor tormentum habet; qui autem timet, non est perfectus in caritate.

17. *In hoc perfecta.* Duo huius orationis sunt membra: nos divinae adoptionis tunc esse compotes, quum Deum referimus, ut filii patrem; deinde hanc fiduciam incomparabile esse bonum, quia sine ea simus miserissimi. Priore itaque loco ostendit, qua lege nos Deus complexus sit in amorem, et quomodo hac demum gratia fruamur, quam nobis in Christo exhibuit: ergo hic *caritas* Dei erga nos intelligenda est. *Perfectam* esse dicit, quia plena copia effusa est, ac in solidum praestita, ut veluti numeris omnibus constet. Caeterum non alios esse huius boni participes affirmat, quam qui Deo conformes eius se filios esse probant. Est igitur argumentum a coniunctis. *Ut fiduciam habeamus.* Iam fructum divini erga nos amoris ostendere incipit, quamquam postea clarius a contrario ostendit. Sed tamen haec inaeestimabilis est felicitas, quod nos audemus intrepide coram Deo sistere. Natura enim horremus Dei conspectum, et merito; nam quum ipse iudex sit mundi, nos autem peccata nostra reatu constrictos teneant, mortem et inferos una cum Deo nobis in mentem venire necesse est. Hinc illa, quam dixi, formido, ut Deum homines, quantum in se est, fugiant. Iohannes autem fideles negat expavescere, quum illis iudicii extremi fit mentio; sed potius securos et alacres ad Dei tribunal accedere, quia de paterno eius amore certo persuasi sunt. Tantum ergo quisque in fide profecit, quam bene animo compositus est ad expectandum iudicii diem. *Sicut ille est.* His verbis (ut iam dictum est) vicissim hoc a nobis requiri significat, ut imaginem Dei referamus. Qualis ergo Deus in coelo est, tales nos in hoc mundo esse iubet, ut censeamur eius filii. Nam imago Dei, quum in nobis apparet, veluti adoptionis eius est sigillum; sed ita videtur partem fiduciae statuere in operibus. Itaque cristas hic erigunt papistae, quasi neget Iohannes, nos sola Dei gratia fretos habere certam salutis fiduciam, nisi simul adjuvent opera; sed in eo falluntur, quod non expendunt, apostolum hinc a causa minime argumentum ducere, sed locum esse a coniunctis. Nos autem libenter fatemur, neminem reconciliari Deo per Christum, quin simul reformatur ad Dei imaginem; nec posse alterum ab altero disiungi. Recte ergo apostolus, qui omnes a fiducia gratiae repellit, in quibus nulla

conspicitur Dei similitudo. Tales enim certum est a Dei spiritu et Christo esse prorsus alienos. Neque etiam negamus, vitae novitatem, quia divinae adoptionis est effectus, valere ad confirmandam fiduciam, sed tamquam secundarium (ut ita loquar) adminiculum; sed interea nos in sola gratia fundatos esse oportet. Nec sane aliter sibi constaret Iohannis doctrina; nam experientia demonstrat, et fateri etiam papistae coguntur, semper in operum respectu esse trepidandi materiam. Quare nullus ad Dei tribunal tranquillo animo unquam accedet, nisi qui statuet gratuito se amari. Sed horum nihil gustata papistas, non est, quod quispiam miratur, quando nullam miseri fidem noverunt, nisi dubitatione implicitam. Adde, quod hypocrisis tenebras illis obducit, ne serio reputent, quam formidabile sit Dei iudicium, ubi non adest Christus mediator. Resurrectionem alii quasi fabulosam negligunt; nos autem ut laeti et alicres obviam Christo prodeamus, in sola eius gratia fidem nostram esse defixam oportet.

18. *Timor non est.* Iam a contrariis commendat eius boni praestantiam. Nos enim assidue torqueri dicit, donec amoris in nos sui remedio a misero illo cruciatu Deus liberet. Summa est, quum nihil sit miserius, quam continua inquietudine vexari, hoc nos consequi agnita Dei erga nos caritate, ut placide extra metum quiescamus. Unde apparet, quam singulare sit Dei beneficium, nos amore suo dignari. Porro ex hac doctrina mox exhortationem ducet; sed priusquam nos ad officium hortetur, donum istud Dei nobis commendat, quod metum nobis fide eximit. Scio, totum hunc locum a multis secus exponi; sed ego, quid voluerit apostolus, non quid alii sentiant, respicio. Dicunt illi, metum non esse in caritate, quis, ubi sponte Deum amamus, non cogimur vi et metu ad eius obsequium. Ergo secundum eos servilis timor hic voluntariae reverentiae opponitur: unde etiam inter servilem et filialem timorem nata est distinctio. Ego quidem verum esse illud fateor, quum liberaliter Deum amamus ut patrem, non cogi nos amplius timore poenae; sed doctrina illa nihil cum praesenti loco commune habet. Tantum enim docet apostolus, ubi perspectus est nobis, et fide cognitus Dei amor, conscientiae nostris pacem conferri, ne amplius tumultuentur. Potest tamen quaeri, quando timorem pellat perfecta caritas, quia aliquo tantum divini erga nos amoris gustu praediti nunquam in solidum metu liberamur. Respondeo, tametsi non plane excutitur timor: ubi tamen ad Deum confugimus, tamquam ad tranquillum portum, et ab omni naufragii ac tempestatum periculo tutum et immunem, metum vere pelli, quia fidei locum cedit. Ergo non ita pellitur timor, quin animos nostros sollicitet; sed ita pellitur, ut non turbet, neque impediat pacem nostram, quam fide obtinemus. *Timor tormentum habet.* Hic quoque apostolus gratiae, de qua loquitur, magnitudinem amplificat. Nam quum miserrima sit conditio, assiduos patii cruciatu, nihil magis optabile est quam sedata conscientia et animo composito sese in Dei conspectum offerre. Quod alii dicunt, timere servos, quia poenam et flagella sibi ante oculos proponunt, nec obire suum officium nisi coactos: nihil ad mentem apostoli, ut dictum est. Ita in proximo membro, quum exponunt, non esse perfectum in caritate, qui timet: quia non ultro se subiicit Deo, quin potius libenter se emanciparet: contextui minime convenit. Potius enim admonet apostolus, hoc esse infidelitatis vitium, quum aliquis timet, hoc est, inquietum habet animum, quia amor Dei probe cognitus animos tranquillat.

19. Nos diligimus eum, quia prior dilexit nos. 20. Si quis dicit, Deum diligo, et proximum suum odio habeat,

mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem vidit: Deum, quem non vidit, quomodo potest diligere? 21. Et hoc praeceptum habemus ab ipso, ut, qui Deum diligit, diligit et fratrem suum.

19. *Nos diligimus.* Verbum ἀγαπᾶμεν tam indicativo, quam hortandi modo legi potest; prior tamen sensus longe melius quadrat. Repetit enim (meo iudicio) apostolus superiorem sententiam, quia Deus nos gratuito amore anteverit, reddere nos illi debitas vias, ut mox subsumat, ipsum in hominibus esse diligendum, vel testandum erga homines, quem illi amorem deferimus. Si cui tamen placet hortandi modus, eodem tendet oratio: Quia nos gratis Deus amavit, mutuo nunc eum amemus. Atqui amor ille stare nequit, quin fraternum inter nos amorem generet: ideo mentiri eos dicit, qui Deum se amare iactant, quum proximos oderint. Sed videtur perum firma esse ratio, quam subiicit; est enim comparatio minoris et maioris. Si proximos, inquit, quibuscum versamur, non diligimus: multo minus Deum poterimus diligere, qui est invisibilis. Duplex autem exceptio in promptu est. Nam et amor, quo Deum prosequimur, ex fide, non ex adpectu manat, quemadmodum habetur I. Petri 1, 8. Deinde longe diversa est Dei quam hominum ratio, quia, quum in amorem sui nos Deus pro immensa sua bonitate rapiat, saepe odio digni sunt homines. Respondeo, apostolum, quod procul dubio inter nos constare debet, pro confesso hic sumere, Deum se nobis in hominibus offerre, qui insculptam gerunt eius imaginem, et officia, quibus ipse non indiget, ut illis praestemus, exigere, quemadmodum Psalmo 16, 2. 3. legimus: Beneficentia mea ad te non pervenit, Domine; erga sanctos, qui in terra sunt, affectus meus. Et certe eiusdem naturae societas, tot rerum usus, mutua communicatio, nisi valde ferrei essemus, ad amorem nos allicerent; sed Iohannes nihil aliud voluit, quam fallacem esse iactantiam, si quis Deum se amare dicat, et eius imaginem, quae ante oculos est, negligat.

21. *Et hoc praeceptum.* Firmissimum argumentum ab auctoritate et doctrina Christi. Nam ipse non de nudo Dei amore praecipit; sed fratres etiam diligere iubet. Quare sit incipiendum est a Deo, ut simul fiat transitus ad homines.

## CAP. V.

1. *Omnis, qui credit, quod Iesus est Christus, ex Deo genitus est, et omnis, qui diligit eum, qui genuit, diligit etiam eum, qui genitus est ab eo.* 2. In hoc cognoscimus, quod diligimus filios Dei, si Deum diligimus, et praecepta eius servamus. 3. Haec est dilectio Dei, ut praecepta eius servemus, et praecepta eius gravia non sunt, 4. Quoniam omne, quod ex Deo genitum est, vincit mundum, et haec est victoria, quae vincit mundum, fides vestra. 5. Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quod Iesus est filius Dei?

1. *Omnis, qui credit.* Alia ratione confirmat res esse coniunctas, fidem et fraternum amorem. Nam quum fide nos Deus regeneret, nebesse est amari a nobis ut patrem; atqui amor ille completitur omnes eius filios: non potest igitur fides a caritate disiungi.

Prima sententia est, ex Deo genitos esse, quicumque credunt, quod Iesus sit Christus. Ubi iterum vidas, unum Christum fidei scopum proponi, quemadmodum in eo iustitiam, vitam, quicquid optari potest honorum, et totum Deum invenit. Quare haec vera est credendi ratio, quum in ipsum mentes nostras dirigimus. Caeterum credere, quod sit Christus, est ab eo sperare, quaecumque de Messia promissa sunt. Neque enim inanis ei Christi titulus hic tribuitur; sed potius munus, quod a patre illi iniunctum est. Quemadmodum autem in lege plena rerum omnium instauratione, iustitia et felicitas per Messiam promissa est: ita hodie hoc totum in evangelio clarius exprimitur. Ergo Iesus pro Christo recipi non potest, quin ab eo petatur salus, quando in hunc finem missus est a patre, et quotidie nobis offertur. Unde merito apostolus omnes ex Deo genitos esse pronuntiat, qui vere credunt. Est enim fides longe supra humani ingenii captum posita, ut nos trahi a patre coelesti ad Christum oporteat, quia nunquam proprio Marte quisquam nostrum consoanderet. Atque hoc est, quod idem apostolus, evangelii sui cap. 1, 13., docet, non ex sanguinibus, neque ex carne esse genitos, qui credunt in nomen unigeniti; et Paulus (I. Corinth. 2, 12.), non spiritu huius mundi, sed spiritu qui ex Deo est, nos esse praeditos, ut sciamus, quae ab eo nobis donata sunt. Quia neque oculus vidit, nec auris audivit, nec sensus percepit, quae diligentibus Deum reposita sit merces; sed solus spiritus ad arcanum illud pervenit; deinde quum datus sit nobis Christus in sanctificationem, et spiritum regenerationis secum simul afferat; denique quum nos inserat in corpus suum; haec quoque altera ratio est, cur fidem habere nemo possit, quin sit ex Deo genitus. *Diligit eum, qui genitus est.* Augustinus et alii quidam veterum ad Christum hoc traxerunt; sed falso. Nam sub nuncro singulari omnes fideles apostolos designat, et contextus aperte ostendit, non aliud esse illi consilium, nisi ut mutuum in fratres amorem ex fide, tamquam ex fonte, derivet. Est autem argumentum ex communi naturae ordine sumptum; sed quod in hominibus cernitur, ad Deum transfert. Notandum autem est, apostolum non ideo de solis fidelibus sermonem habere praeteritis extraneis, quod illi soli amandi sint, horum autem nulla habenda sit cura vel ratio; sed nos hoc velut tirocinio ad omnes sine exceptione amandos instituit, quum initium facere a piis iubet.

2. *In hoc cognoscimus.* His verbis breviter ostendit, quaenam vera sit caritas, nempe quae ad Deum refertur. Hactenus docuit, nusquam esse verum Dei amorem, nisi quum proximi etiam amantur, quia hic perpetuus sit effectus; nunc autem docet, recte et ordine amari homines, quum Deus priores obtinet. Atque haec definitio necessaria est; nam saepe fit, ut homines amemus extra Deum, ut profanae et carnales amicitiae non alio quam ad privatum commodum, vel ad alios evanidos respectus tendunt. Ergo sicuti prius effectum urgebat, ita nunc causam urget; vult enim sic mutuum coli inter nos caritatem, ut Deus praeferratur. Amori Dei coniungit legis observationem, et merito; nam quum Deum amemus, ut patrem et Dominum, fieri non potest, quin coniuncta sit reverentia cum amore. Deinde non potest a se ipso Deus avelli: quum itaque fons sit omnis iustitiae et rectitudinis: qui eum amat, necesse est, ut compositos habeat suos affectus in obedientiam iustitiae. Non est igitur otiosa res amor Dei. Verum ex hoc leco simul colligimus, quaenam vera sit legis observatio; nam si metu tantum coacti Deo obsequimur in servandis eius mandatis, longe distamus a vera obedientia. Ergo hoc primum est, ut corda se Deo addicant in liberalem reverentiam; deinde vita ad legis regulam formetur. Hoc sibi vult Moses, quum in colligenda legis summa dicit (Deut.

10, 12.): Israel, quid petit abs te Dominus Deus tuus, nisi ut ipsum diligas, et ei obedias?

3. *Præcepta eius graviora non sunt.* Hoc additum est, ne difficultas (ut fieri solet) studium nostrum frangat vel minuatur. Nam qui alacri animo magnoque fervore piam sanctamque vitam aggrediuntur, postea vires suas impares ex parte pigrescunt: ergo Iohannes, ut conatus nostros incitet, mandata Dei graviora esse negat. Verum obici contra potest, nos longe aliud experiri, et scriptura etiam testatur (Aot. 15, 10.), iugum legis esse importabile. Ratio quoque manifesta est; nam quum nostri abnegatio sit quasi servandae legis praeludium, an facile homini esse dicemus, sa ipsum negare? Imo quum lex spiritualis sit (quemadmodum Paulus docet, Rom. 7, 14.) nos autem nihil quam caro, ingans inter nos at Dei legem dissidium esse oportet. Respondeo, difficultatem hanc minime esse ex natura legis, sed ex carnis nostrae vitio. Quod etiam Paulus diserte exprimit, quia, postquam dixit, impossibile fuisse legi conferre nobis iustitiam, mox culpam in carnem reiiicit. Haec solutio Pauli et Davidis sententias, quae in speciem videntur multum pugnare, optime conciliat. Paulus legem facit mortis ministrum, nihil quam iram Dei operari pronuntiat (Rom. 4, 15.); datam esse, ut peccatum augeret; vivera, ut nos occidat (II. Corinth. 3, 7.). David contra (Psalm. 19, 11.) suavam prae malle, et prae auro desiderabilem sibi esse praedicoat. Inter alia eius elogia haec ponit, quod exhilaret corda, ad Dominum convertat, et vivificet. Sed Paulus legem cum vitiosa hominis natura confert: inde hostilis illa conflictus. David autem, qualiter affecti sint, quos Deus spiritu suo ragenuit, docet. Hinc suavitas illa at oblectatio, cuius nullum gustum caro percipit. Nec vero Iohannes distinctionem hanc omisit; na quis enim generaliter hoc acciparet, *præcepta Dei non esse graviora*, restringit ad filios Dei, quo significat, fieri hoc spiritus virtute, ut Deo obsequi non sit nobis grava nec molestum. Nondum tamen videtur prorsus soluta quaestio. Nam fideles, utcumque spiritu Dei regantur, durum tamen cum carne sua certamen sustinent, et quantumvis sudant, vix tamen dimidia ex parte ad officium se comparant, imo quasi inter sacrum (ut aiunt) et saxum constituti fere subonere deficiunt. Vidamus, ut Paulus sa captivum tenari gemat, at infelicem exclamet, quia non potest libera Dao servire. Respondeo, facilem vocari legem, quatenus coelesti virtute praediti superamus carnis concupiscentias. Nam utcumque recalcitret caro: sentiunt tamen fideles, nulla se alia re tam oblectari, quam ut Deum sequantur. Praeterea notandum est, Iohannem non loqui de nuda lege, quae nihil praeter mandata continet; sed paternam Dei indulgentiam coniungere, qua mitigatur legis rigor. Ergo quum nobis clementer ignosci a Domino scimus, si opera nostra legi non satisfaciant, id longe nos reddit ad obsequium promptioras, quemadmodum in Psalmo 130, 4. habetur: Apud te est propitiatio, ut timearis. Hinc ergo facilitas legis servandae, quod fideles venia sublevati, si ubi deficiunt, enimos non despondant. Interea edmonet apostolus, pugnandum esse, ut serviamus Domino. Totus animus mundus nobis obsistit, ne pergamus, quo Deus vocat. Ergo ille demum legem servabit, qui mundo fortiter resistat.

4. *Haec est victoria.* Quia dixerat, omnes, qui ex Deo geniti sunt, mundi victores esse: vincendi quoque modum exprimit. Poterat enim adhuc quaeri, unde victoria: ergo in fide constituit victoriam totius mundi. Insignis locus, quia, tametsi duos et horribiles insultus assidue ingerit Satan, spiritus Dei extra periculum nos esse pronuntians exempto metu nos ad fortiter pugnandum animat. Et plus valet praeteritum tempus, quam praesens vel futurum. *Vicisse* enim dicit, ut perinde certi simus, acsi iam profligatus esset

hostis. Verum quidem est, tota vita durare nostram militiam, quotidianos esse conflictus, imo singulis momentis nova et diversa proelia hinc inde ab hoste nobis moveri; sed quia non armat nos Deus tantum in unum diem, et fides aliam unius diei non est, sed perpetuum spiritus sancti opus: non aliter iam victoriae sumus compotes, quam si esset debellatum. Neque tamen fiducia haec torporam inducit, quin sollicitate semper ad pugnam simus intenti. Sic enim certos esse Dominus suos iubet, ut tamen securos esse nolit, quin potius ideo vicisse ipsos pronuntiat, quo animosius et magis strenue pugnent. *Mundi* nomen hic late patet; comprehendit enim, quicquid adversum est Dei spiritui: ita naturae nostrae pravitas pars mundi est, omnes concupiscentiae, omnes Satanae astus, quicquid denique nos a Deo abstrahit. In tam multiplici hominum copia, gravis belli moles in nos incumbit, so iam ante congressum essemus victi, ac centies quotidie vincendi, nisi Deus victoriam nobis promitteret. Sed Deus haec lege ad pugnandum nos hortatur, ut prius victoriam promittat. Caeterum ut haec promissio nos invicti Dei virtute in perpetuum munit, ita ex adverso in nihilum redigit hominum vires. Neque enim hic apostolus Deum suppetias tantum nobis ferre docet, ut, eius subsidio adiuti pares simus ad resistendum; sed victoriam in sola fide locat; fides autem aliunde, quo vincat, accipit. Quare Deo cripiunt, quod suum est, qui propriae virtuti triumphum canunt.

5. *Quis est, qui vincit mundum?* Ratio superioris sententiae: ideo scilicet nos fide vincere, quia robur a Christo mutuamur, quemadmodum et Paulus dicit (Philipp. 4, 13.): Omnia possum in eo, qui me confirmat. Is ergo demum Satana et mundo superior erit, nec carni suae succumbet, qui sibi diffidens recumbet in solam Christi virtutem. Nam *fidei* nomine vivam Christi apprehensionem intelligit, quae vim eius et officium ad nos accommodat.

6. Hic est, qui venit per aquam et sanguinem, Iesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua et sanguine, et spiritus est, qui testificatur, quandoquidem spiritus est veritas. 7. Nam tres sunt, qui testificantur in coelo, pater, sermo et spiritus sanctus, et hi tres unum sunt. 8. Et tres sunt, qui testificantur in terra, spiritus, aqua et sanguis, et hi tres in unum conveniunt. 9. Si testimonium hominum recipimus, testimonium Dei maius est, quoniam hoc est testimonium Dei, quod testificatus est de filio suo.

6. *Hic est, qui etc.* Ut tanto fides nostra in Christo quiescat, solidam umbrarum legis substantiam in eo constare dicit. Neque enim dubito, quin ad veteres legis ritus alludat in vocibus aquae et sanguinis. Huc porro tendit comparatio, non tantum ut legem Moysi abolitam esse sciamus Christi adventu, sed ut in ipso quaeramus eorum complementum, quae olim figurabant caeremoniae. Tsmelsi vero plures erant species, tamen sub his duabus totam sanctitatis et iustitiae perfectionem apostolus designat. Aqua enim abluebantur omnes sordes, ut homines nonnisi puri et mundi ad Deum accederent. In sanguine erat expiatio, et plenae cum Deo reconciliationis pignus; sed lex externis tantum symbolis adumbravit, quod solide se re ipsa a Messia praestandum erat. Apte igitur probat Iohannes, Iesum esse Christum Domini olim promissum, quia secum attulit, quo nos omni ex parte sanctificet. Ac de sanguine quidem, quo Christus Deum placavit, nulla est dubitatio; sed quomodo per

aquam viderit, quaeri potest. Nam hoc ad baptismum referri non est probabile. Ego oarta existimo Iohannem hic fructum at affectum exprimere eius rei, quam in historia avangelica narrat. Nam quod illic dicit, ex Christi latere fluxisse aquam. et sanguinem, haud dubie pro miraculo habendum est. Scio, tale quiddam mortuis naturaliter accidere; verum certo Dei consilio factum est, ut Christi latus sanguinis et aquae fons esset, ut scirent fideles, veram munditiam (cuius figurae erant veteres baptismi) in eo sibi constare; ut acirent etiam completum, quod omnes sanguinis adspersiones olim promiserant. Quare haec brevis partitio plurimum habet gratiae, quia summam ostendit, quorsum praecipue tenderent ceremoniae veteres: nempe ut homines ab inquinamentis purgati, et soluti omnibus piaculis, Deum haberent propitium, et illi consecrarentur; deinde veritatem in Christo fuisse exhibitam, quia lex praeter visibiles figuras nihil habebat. Qua de re plura ad epist. ad Hebraeos cap. 9. et 10. diximus. *Spiritus est, qui testificatur.* Hoc membro docet, quomodo vim illam Christi sentiant fideles, quia scilicet Dei spiritus eos certiores reddat; et ne vacillet eorum fides, addit plenam at solidam firmitudinem constare spiritus testimonio. Vocatur enim spiritus veritas, quia indubia sit auctoritas ipsius; nobisque abunde sufficere debeat.

7. *Tres sunt in coelo.* Hoc totum a quibusdam omissum fuit, Hieronymus existimat malitia potius quam errore id fuisse factum, et quidem a Latinis duntaxat. Sed quum ne Graeci quidem codices inter se consentiant, vix quicquam asserere audeo. Quia tamen optime fluit contextus, si hoc membrum addatur, et video in optimis ac probatissimae fidei codicibus haberi, ego quoque libenter amplector. Sensus autem erit, quod Deus, quo uberius nostram in Christo fidem confirmet, triplici modo testatur, in eo acquiescendum esse. Nam sicuti fides nostra in una Dei essentia tres personas agnoscit, ita totidem modis ad Christum vocatur, ut se in eo sistat. Quod dicit, *tres esse unum*, ad essentiam non refertur, sed ad consensum potius, acsi diceret, patrem, et aeternum sermonem eius, ac spiritum, symphonia quadam Christum pariter approbare. Itaque nonnulli codices habent *sic se*. Verum etiamsi legas *se sicut*, ut est in aliis exemplaribus: non tamen dubium est, quin pater, sermo at spiritus eodem sensu dicantur unum esse, quo postea sanguis et aqua et spiritus. Sed quum spiritus, qui unus est testis, his citetur: videtur esse absurda repetitio. Respondeo, quum varie de Christo testetur, apte duplicem illi attribui testandi locum. Nam e coelis pater cum aeterna sua sapientia et spiritu tamquam pro imperio pronuntiat Iesum esse Christum: ergo illic sola divinitatis maiestas nobis consideranda est. Quoniam vero spiritus in cordibus nostris habitans arrha, pignus et sigillum est ad obsignandum illud decretum: hoc modo iterum in terra per gratiam suam loquitur. Caeterum quia non omnes forte lectionem hanc recipient, quae sequuntur, perinde exponam, acsi apostolus hos solos in terra nominasset testes.

8. *Tres sunt.* Sententiam illam de aqua et sanguine nunc ad suum institutum accommodat, quod scilicet nihil excusationis habeant, qui Christum raspuunt, quum satis firmis ac luculentis testimoniiis se illum esse probaverit, qui promissus olim fuerat; nam sanguis et aqua, quum pignora sint et effectus salutis per eum allatae, vere testantur a Deo missum esse. Accedit deinde tertius testis spiritus sanctus, qui tamen primas tenet partes, quia alioqui aqua et sanguis sine ullo profectu diffunderent. Ipse enim est, qui cordibus nostris aquae et sanguinis testimonium obsignat; hic est, qui efficit sua virtute, ut fructus mortis Christi ad nos usque perveniat, imo ut sanguis in redemptionem nostram fusus penetret usque in

animas nostras; vel (ut nro verbo omnia dicam) efficit, ut Christus cum omnibus suis bonis sit noster. Ita Paulus ad Romanos 1, 4., postquam dixit, Christum resurrectionis suae potentia ostensum esse filium Dei, continuo post addit: Per sanctificationem spiritus. Quia quaecunque in Christo refulgent divinae gloriae signa: nihilominus obscura nobis essent, et effugerent conspectum nostrum, nisi fidei oculos nobis aperiret spiritus. Nunc intelligunt lectores, cur spiritum cum aqua et sanguine Iohannes testem adduxerit: quia scilicet proprium spiritus officium est, Christi sanguine mundare conscientias nostras, facere, ut allata ab ipso purgatio in nobis sit efficax. Qua de re aliquid dictum est initio proximae epistolae, ubi Petrus eandem fere loquutionem usurpat, nempe quod spiritus sanctus animas nostras sanguinis Christi adspersione purget. Caeterum ex his verbis colligere licet, fidem non apprehendere nudum vel inanem Christum, sed vivificam simul eius virtutem. Quorsum enim prodesset missum in terram Christum fuisse, nisi Deum mortis suae sacrificio placasset? nisi abluendi munus a patre illi esset iniunctum? Obiici tamen poterit, supervacuam esse distinctionem, quae hic ponitur, quia Christus peccata expiando nos mundaverit: ergo rem unam apostolus his nominat. Fateor quidem, in expiatione simul abluentionem includi: itaque non statui aquae et sanguinis discrimen, quasi res sint disiunctae; verum si quisque nostrum infirmitatem suam reputet, facile agnoscet, non frustra neo temere sanguinem ab aqua discerni. Deinde (ut iam dictum est) apostolus ad legis ritus alludit. Atqui Deus humanae infirmitatis causa non sacrificia tantum, sed abluentiones quoque olim instituerat. Utriusque partis veritatem in Christo fuisse exhibitam distincte exprimere apostolus voluit. Qua ratione paulo ante dixerat: Non in aqua solum. Significat enim, non modo partem aliquam salutis nostrae in Christo inveniri, sed omnes numeros (ut ita dicam) completos, ita ut nihil alibi sit amplius quaerendum.

9. *Si testimonium hominum.* A minori ad maius ratiocinatur, quam ingrati sint homines, si Christum divinitus (ita ut retulit) approbatum repudient. Nam si in negotiis humanis infirmitatis causa non stamus, qui mentiri et fallere possunt: quam absurdum erit, Deum minus fidei in suo foro (ut ita loquar), ubi summus est iudex, apud nos obtinere? Sola igitur nobis pravitas obstat, ne Christum recipiamus, quando suae virtuti fidem legitima probatione facit. Porro Dei testimonium vocat non modo, quod spiritus cordibus nostris reddit, sed quod etiam habemus ab aqua et sanguine. Vis enim illa purgandi et expiandi non terrena, sed coelestis fuit. Quare non vulgari hominum more aestimandus est Christi sanguis; sed consilium Dei potius respicere convenit, quo fuit ordinatus ad delenda peccata, et vim illam divinam, quae inde fluxit.

Porro hoc est testimonium Dei, quod testificatus est de filio suo. 10. Qui credit in filium Dei, habet testimonium in se ipso; qui non credit Deo, mendacem fecit eum, quia non credidit in testimonium, quod testificatus est Deus de filio suo. 11. Et hoc est testimonium, quod vitam aeternam dedit nobis Deus, et haec vita in filio eius est. 12. Qui habet filium, habet vitam; qui non habet filium Dei, vitam non habet.

*Hoc est testimonium.* Particula *ὅτι* causam hic non notat, sed tantum exegetice capitur. Postquam enim admonuit apostolus, Deum multo plus fidei mereri quam homines: nunc subiicit, nullam



haberi possa fidem Deo, nisi credendo in Christum, quia Deus hunc solum nobis proponit, et in eo nos sistit. Hinc colligit, nos tuto et tranquillis animis in Christum credere, quoniam auctoritate sua Deus fidem nostram asserat. Nec dicit, Deum extra loqui, sed unumquemque piorum intus in se ipso cum sentire fidei suae auctorem. Unde apparet, quantum a fide differat fluxa opinio, quae aliunde pendet.

10. *Qui non credit.* Sicut hoc boni habent fideles, quod se extra errandi periculum esse norunt, quia in Deo sunt fundati: ita impios extremae blasphemiae reos facit, quia Deum mendacii arguant. Certe nihil Deo pretiosius est quam sua veritas: quare nulla illi atrocior iniuria fieri potest, quam dum hoc honore spoliatur. Ergo ut nos ad credendum incitet, argumentum a contrario sumit. Nam si Deum facere mendacem horribilis est et execranda impietas, quia nunc, quod illi maxime proprium est, eripitur: quis non horreat fidem evangelio derogare, in quo Deus unico verax et fidelis vult haberi? Hoc diligenter notandum est. Mirantur aliqui, cur tantopere Deus fidem commendat, cur tam severe damnetur incredulitas; atqui hic vertitur summa Dei gloria. Nam quum praecipuum veritatis suae specimen in evangelio edere voluerit, nihil illi faciunt reliquum, quicumque oblatum illio Christum respuunt. Quare ut quempiam in reliquis vitae partibus demus angelo esse parem: diabolica tamen est eius sanctitas, quamdiu Christum reicit, sicuti quosdam in papatu videmus nescio qua sanctimoniae larva multum sibi placere; quum tamen obstinatissime evangelio resistant. Ergo teneamus hoc pietatis initium esse, doctrinam illam obedienter amplecti, quam adeo sancte pro testimonio asseruit.

11. *Quod vitam aeternam dedit.* Nunc proposito fructu ad credendum nos invitat. Haec quidem Deo reverentia debetur, ut, quicquid nobis affirmat, protinus sit extra controversiam. Sed ubi gratuito vitam nobis offert, ingratitude minime ferenda est, nisi prompta fide tam amabilem suavemque doctrinam excipimus. Et certe in hunc finem tendunt apostoli verba, non modo reverenter obediendum esse evangelio, ne Deo simus iniurii; sed amandum etiam illud esse, quia vitam aeternam nobis offerat. Unde etiam colligimus, quid maxime in evangelio quaerendum sit, nempe gratuitum salutis donum. Nam quod illic Deus ad poenitentiam et timorem nos hortatur, non debet a Christi gratia separari. Atque ut nos prorsus in Christo retineat apostolus, iterum repetit, contineri in ipso vitam, acsi diceret, non aliud adipiscendae vitae medium nobis a Deo patre statui. Ac tria quidem summam hic complexus est apostolus: nos scilicet omnes morti addictos esse, donec Deus gratuita sua bonitate nos in vitam restituat. Aperte enim pronuntiat vitam a Deo donari: unde et ipsa nos destitit saquitur, nec meritis posse acquiri. Deinde hanc vitam nobis per evangelium conferri docet, quia illic patefit Dei bonitas et paternus erga nos amor. Postremo non aliter eius vitae nos fieri compotes dicit, quam dum fide in Christum inserimur.

12. *Qui non habet.* Est proximae sententiae confirmatio. Sufficienter quidem illud debebat, Deum non alibi quam in Christo vitam locasse, et inde petatur; verum ne quis alio deflectat, a spe vitae excludit omnes, qui eam in Christo non quaerunt. Scimus, quid sit habere Christum; nam fide possidetur: vita ergo privat omnes, qui alieni sunt a Christi corpore. Sed videtur hoc rationi minime consentaneum; nam summos viros exstitisse, et heroicis virtutibus praeditos historiae narrant, qui tamen a Christo prorsus erant extranei. Absurdum autem videtur, tantae praestantiae nihil habere honoris. Respondeo, longe nos falli, si putamus probari Deo, quicquid in oculis nostris excellit, quin potius (ut est apud Lucam, 16, 16.)

quod altum est hominibus, abominatio est apud Deum. Quia enim abscondita est nobis cordis immundities, externa specie contenti sumus; atqui Deus sub hac latentes foedissimas sordes videt. Itaque non mirum, si illi foeteant speciosae virtutes, quae et ab impuro corde manant, neque in rectum finem tendunt. Porro unde cordis puritas, unde rectum pietatis studium, nisi a spiritu Christi? Nihil ergo laude dignum, nisi in Christo, quamquam alia est ratio, quae omnem dubitationem eximit. Hominem enim iustitia in remissione peccatorum sita est. Hanc si tollas, certa Dei maledictio et mors aeterna nos omnes manet. Solus autem Christus est, qui patrem nobis conciliat, sicuti eum semel mortis suae sacrificio placavit. Unde sequitur, nemini propitium esse Deum, nisi in Christo, nullam quoque nisi in ipso iustitiam esse. Si quis Cornelium obiciat, quem Lucas acceptum fuisse Deo testatur, priusquam vocatus esset ad fidem evangelii Act. 10, 1. 2: respondeo breviter, sic interdum agere Deum in nobis, ut semen fidei non primo statim die emergat. Non habuit Cornelius claram et dilucidam Christi notitiam; sed quum aliquo misericordiae Dei sensu fuerit praeditus, eum simul de mediatore aliquid tenere oportuit. Verum quia occultas et mirificas agendi rationes habet Deus, omissis, quae nihil prosunt, speculationibus, tantum planam viam salutis, quam nobis ostendit, teneamus.

13. Haec scripsi vobis credentibus in nomen filii Dei, ut sciatis, quod vitam habetis aeternam, et ut credatis in nomen filii Dei. 14. Atque haec est fiducia, quam habemus erga eum, quod, si quid petierimus secundum voluntatem eius, audit nos. 15. Si autem novimus, quod audit nos, quum quid petierimus: novimus, quod habemus petitiones, quas postulavimus ab eo.

13. *Haec scripsi vobis.* Quia quotidianos fidei profectus esse oportet: ideo se iis, qui iam crediderunt, scribere dicit, ut firmiter ac certius credant; atque ita plena vitae aeternae fiducia fruantur. Hic ergo doctrinae usus est, non tantum ut rudes initiis in Christo, sed ut, qui iam eruditi sunt, magis ac magis confirmet. Ideo nos assidue incumbere oportet in studium discendi, ut fides nostra toto vitae cursu augeat. Nam ut multae adhuc infidelitatis reliquiae in nobis supersunt, et adeo imbecilla est nostra fides, ut hoc ipsum, quod credimus, nondum sit solide credere, nisi amplior confirmatio accedat. Porro operae pretium est notare, quatenam vera sit confirmandae fidei ratio, nempe dum officium et virtus Christi explicatur. Dicit enim apostolus, se haec scripsisse, nempe quod non alibi quam in Christo quaerenda sit vita aeterna, ut, qui iam fideles sunt, credant, hoc est, proficiant credendo. Quare pli doctoris officium est, ut in fide discipulos confirmet, extollere, quantum potest, Christi gratiam, ut ea contenti nihil amplius appetamus. Hanc quum obscuris modis omnibus ac extenuent papistae: satis hoc uno produnt, se nihil minus curare quam rectam fidei doctrinam. Imo hac causa magis fugiendae sunt eorum scholae, quam omnes Scyllae vel Charybdes, quia vix ingredi quispiam eas possit sine certo fidei naufragio. Docet praeterea hoc loco apostolus, Christum esse proprium fidei scopum, et fidei, quam habemus in eius nomen, annexam esse salutis fiduciam. Hic enim credendi finis, ut Dei filii simus ac haeredes.

14. *Haec est fiducia.* Fidem, cuius meminit, a fructu commendat, vel ostendit, in quo praecipue sita sit fiducia: nempe quod

pii intrepido animo Deum invocare audeat, sicuti et Paulus loquitur ad Ephesios cap. 3, 12: Quod fide accessus nobis ad Deum patet cum fiducia. Et ad Romanos 8, 15.: Quod spiritus os nobis reserat, ut clamare non dubitemus: Abba, pater. Et sane si arcemur a Dei accessu, nihil nobis miserius. Rursum, modo hoc nobis asylum pateat, in malis omnibus nihilominus erimus beati. Imo hoc unum felices reddit nostras aerumnas, quod certo statuimus, Deum fore liberatorem, et paterno eius erga nos amore freti ad ipsum confugimus. Teneamus ergo banc apostoli sententiam, invocationem Dei summum fidei nostrae examen esse; Deum autem non rite, neque ex fide invocari, nisi quum certo persuasi sumus, non irritas fore nostras preces. Nam qui suspensi haesitant, eos fiducia praeditos esse negat apostolus. Unde apparet, sepultam ac prope extinctam esse fidei doctrinam in papatu, ubi certitudo omnis tollitur. Multas quidem illic preces murmurant, et de invocando Deo multum garrunt; sed dubiis ac fluctuantibus animis orant, ac orare iubent, imo damnant hanc fiduciam, quam apostolus necessario exigit. *Secundum voluntatem.* Haec particula obiter monere voluit, quoniam vera sit precandi regula: nempe ubi vota sua Deo homines subleciunt. Neque enim, quum pollicitus est Dominus facturum se, quicquid sui petierint, effrenem illis licentiam permisit petendi, quicquid in mentem subierit; sed simul legem illis praescripsit rite orandi. Et sane hoc freno nihil nobis utilius, quia, si cuique nostrum petere liceat, quicquid libet, et Deus votis nostris indulgeat, pessime nobis consultum erit. Nam quid expediat, nescimus; imo aestuamus pravis ac noxiis desideriis. Duplex autem remedium adhibet Deus, ut aliter oremus quam ad voluntatis suae praescriptum, quia et ex verbo suo nos docet, quidnam petere nos velit, et spiritum suum ducem ac moderatorem nobis praeficit, qui cohibeat affectus nostros, ne vagari extra metas sinat. Nam quid et qualiter oporteat orare, nescimus (inquit Paulus, Rom. 8, 26.) sed spiritus infirmitatibus nostris opem ferens excitat in nobis gemitus inenarrabiles. Interea os quoque Domini interrogandum est, ut preces nostras dirigat. Nam Deus in suis promissionibus legitimam orandi rationem (ut dictum est) nobis statuit.

15. *Si autem novimus.* Non est (ut in speciem videtur) superflua repetitio. Nam quod in genere de orationum successu pronuntiavit apostolus, nunc specialiter affirmat, nihil pios optare vel poscere a Deo, quod non impatrent. Quum autem omnia fidelium vota exaudiri dicit, de sanis modestisque votis loquitur, et quae ad obedientiae regulam sunt composita. Neque enim laxis habitibus fideles, aut quidvis sibi indulgent; sed quid mandat Deus, semper in suis precibus respiciunt. Est igitur haec generalis doctrinae applicatio ad specialem et privatum cuiusque usum, ne dubitent fideles, Deum se in omnibus ac singulis votis propitium habere, ut sedatis animis expectent, dum praestet Dominus, quae precati sunt, atque ita omni molestia et anxietate lavati curas suas in Deum exonerent. Neque tamen haec quies et sacritas precandi ardorem restinguere in nobis debet, ut, qui certus est de felici eventu, ab invocando Deo abstineat. Fidei enim certitudo socordiam minime generat, vel pigritiam. Sed tantum vult apostolus, in suis quemque necessitatibus tranquillum esse, ubi suos gemitus in Dei sinum deposuit.

16. Si quis viderit fratrem suum peccantem peccato non ad mortem, petet, et dabit illi vitam, peccanti dico non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo

dico ut quis roget. 17. Omnis iniustitia peccatum est, et est peccatum non ad mortem. 18. Novimus, quod, quisquis ex Deo genitus est, non peccat; sed qui genitus est ex Deo, servat se ipsum, et malignus non tangit eum.

16. *Si quis etc.* Fructum fidei, cuius meminit apostolus, iam longius extendit, ut pro fratribus etiam valeant preces nostrae. Magnum illud erat, quod, simul ac premimur, benigne nos Deus ad se invitat, nobisque opem ferre paratus est; sed quod pro aliis quoque rogantes audire sustinet, non parva inde confirmatio fidei nostrae accedit, ut certo persuasissimus, nos in propria causa repulsam minime unquam passuros. Interea hortatur apostolus, ut simus alii de aliorum salute mutuo solliciti; deinde vult fratrum lapsus nobis esse ad orandum incitamenta. Et certe ferrea esset ista durities, nullo misericordiae sensu tangi, quum animas Christi sanguine redemptas videmus in exitium ire. Ostendit autem, in manu esse remedium, quo fratres fratribus succurrant. Vitam, inquit, pereunti restituet, qui pro eo orabit, quamquam verbum *dabit* referri ad Deum potest, acsi dictum esset: Fratris vitam Deus concedit precibus nostris. Verum idem semper erit sensus, eo usque valere fidelium preces, ut fratrem a morte eripiant. Si de homine intelligas, quod det fratri vitam, hyperbolica erit loquutio: nihil tamen continebit absurdi. Nam quod gratuita Dei bonitate nobis concessum est, imo quod in gratiam nostram aliis conceditur, dicimur aliis dare. Tanta utilitas non parum nos stimulare debet, ut peccata fratribus nostris remitti petamus. Quum autem *συνάδειαν* nobis commendat apostolus, simul admonet, quantopere in fratribus damnandis cavenda sit crudelitas, aut in desperanda eorum salute nimius rigor. *Peccato non ad mortem.* Ne protinus spem abiiciamus de eorum salute, qui peccant, Deum ostendit, non tam graviter ulcisci suorum lapsus, ut propterea eos abdicet. Unde sequitur, nobis pro fratribus habendos, quando ipsos Dominus in filiorum numero retinet. Peccata vero ad mortem esse negat, non modo in quibus quotidie sancti delinquant; sed etiam si quando graviter iram Dei ab ipsis provocari contingat. Quandiu enim veniae relinquitur locus, mors prorsus imperium nondum occupat. Neque tamen hic inter veniale et mortale peccatum distinguit apostolus, sicuti postea vulgo factum est. Prorsus enim insulsa est illa distinctio, quae in papatu obtinuit. Nullum fere Sorbonici mortale peccatum agnoscunt, nisi in quibus tam crassa exstat turpitude, ut manibus palpari queat. Ita in peccatis venialibus censent teterrimas foeditates, quae in animis latent. Omnes denique peccati originalis fructus, modo non erumpant in externum actum, levi adspersione aquae benedictae elui putant. Et quid mirum, quum ne blasphemias quidem, de gratia Dei dubitationes, et quicquid est libidinum ac cupiditatum, modo consensus non accedat, peccata esse censeant? Si animus hominis infidelitate percellitur, si eum sollicitat impatientia, ut adversus Deum fremat, quantumvis prodigiosae cupiditates eum titillent: hoc totum levius est papistis, quam ut in peccato deputetur, saltem post baptismum. Non mirum igitur, si ex magnis sceleribus venialia delicta faciunt; sua enim, non Dei trutina appendunt. Atqui inter fideles indubium hoc axioma esse debet, quicquid cum lege Dei pugnat, peccatum esse, et quidem mortale sua natura. Ubi enim legis transgressio, illic et peccatum et mors. Quis ergo verborum apostoli sensus erit? Peccata negat mortifera esse, quae, etsi morte digna sunt, non tamen tam atrociter a Deo puniuntur. Ideo peccata in se non aestimat; sed iudicium de illis ex paterna Dei indulgentia facit, quae reatum condonat, ubi tamen

culpa erat. Denique morti non addicit, quos Deus erigendo restituit in vitam, quamvis per eos non steterit, quominus a vita alienati essent. *Est peccatum ad mortem.* Iam dixi, ita vocari peccatum, cui nulla spes vanitatis reliqua est; sed quaeritur, quale hoc sit. Valde enim atrox esse oportet, quod Deus tam severe ulciscitur. Ex contextu colligi potest, non esse partialem (ut vocant) lapsum, nec praecepti unius transgressionem; sed apostasiam, qua penitus homines a Deo se alienant. Nam postea subiicit apostolus, filios Dei non peccare, ut scilicet, relicto Deo, Satanae se in totum addicant ac mancipent. Talis defectio, non mirum est, si mortalis sit lapsus. Neque enim suos Deus unquam ita privat spiritus gratia, quin aliquam pietatis scintillam retineant. Reprobos ergo et exitio devotos esse oportet, qui sic deficiunt, ut timorem Dei abiiciant. Si quis quaerat, an eorum poenitentiae praecelsa sit salutis ianua: in promptu est responsio, quum in reprobam sensum traditi sint, et spiritu sancto destituti, non aliud eos posse, quam obstinatis animis semper ruere in deterius, et peccata addere peccatis. Porro quum peccatum aut blasphemiam in spiritum eiusmodi defectionem perpetuo secum trahat, non dubium est, quin hic notetur. Sed quaeritur iterum, quibusnam iudiciis cognoscere possimus lethalem esse hominis casum. Nisi enim certa eius rei esset cognitio, frustra exciperet apostolus, non esse pro hoc peccati genere orandum. Licebit ergo interdum statuere, sitne deploratus, qui cecidit, an adhuc locus sit remedio. Id quidem verum esse fateor, et ex praesenti loco sine controversia evincitur. Sed quia rarissime hoc accidit, et Deus immensa gratiae suae divitias commendans nos suo exemplo misericordes esse iubet: non temere in quemquam ferendum est mortis aeternae iudicium, potius nos caritas ad bene sperandum flectat. Quod si desperata quorundam impietas non secus nobis apparet, acsi Dominus eam digito monstraret, non est, quod certemus cum iusto Dei iudicio, vel clamentiores eo esse appetamus.

17. *Omnia iniustitia.* Varie potest hic locus exponi. Nam si in adversativam resolves, non male constabit sensus hoc modo: Tametsi omnia iniustitia peccatum est, aliquid tamen est peccatum non ad mortem. Aequè etiam congrueret diversus sensus: Quia peccatum est omnia iniustitia, inde sequitur, aliquid esse peccatum non ad mortem. Alii *omnem iniustitiam* accipiunt pro tota, acsi diceret apostolus, peccatum, de quo agit, esse iniustitiae cumulum. Ego tamen primam vel secundam expositionem libentius amplector, et quia eodem recidunt, liberum relinquo lectoribus iudicium, utra sit aptior.

18. *Novimus, quod quisquis ex Deo.* Si filios Dei puros omnino et immunes a peccato esse intelligas, sicut fanatici contendunt, sacrum pugnabit apostolus. Nam hoc modo mutuum inter fratres precandi studium tolleret. Ergo *non peccare* dicit, qui non prorsus a gratia Dei excidit. Hinc autem inferre voluit, orandum pro omnibus Dei filiis esse, quia ad mortem non peccant. Additur probatio: quod quisquis ex Deo genitus est, se ipsum servat, hoc est, continet se in Dei timore, nec se ita abripi patitur, ut extincto pietatis sensu diabolo et carni totum se permittat. Nam quum dicit, *non tangi eum a maligno*, ad lethale vulnus referendum est. Neque enim a Satanae vulneribus intacti manent filii Dei; sed ita fidei clypeo propulsant eius ictus, ut minime ad cor ipsum penetrent. Quare nunquam in ipsis exstinguitur spiritualis vita. Hoc istud est *non peccare*, quum labuntur quidem fideles infirmitate carnis; sed sub onere peccati gemunt, sibi displicent, Deum timere non desinunt. *Servat se ipsum.* Quod Dei proprium est, ad nos transfert: Nam si quisque nostrum salutis suae sit custos, miserum erit

praesidium. Itaque patrem rogat Christus (Iohann. 17, 11.), ut nos servet, hoc opis nostrae non esse significans. Patroni liberi arbitrii vocem istam arripiunt, ut inde probent, partim Dei gratia, partim vero propria virtute nos servari a peccato. Atqui non animadvertunt, non habere a se ipsis fideles custodiam, de qua loquitur apostolus. Nec sane hic eorum virtutem praedicat, quasi proprio Marte se custodiant; sed tantum docet, eos Satanae resistere, ut eius telis nunquam lethaliter vulnerentur. Scimus autem, non aliis quam Dei armis instructos pugnare. Servant ergo se a peccato fideles, quatenus a Deo servantur.

19. Novimus, quod ex Deo sumus, et mundus totus in maligno positus est. 20. Novimus autem, quod filius Dei venit, et dedit nobis intelligentiam, ut cognoscamus illum verum, et sumus in ipso vero, in filio eius Iesu Christo. Hic est verus Deus, et vita aeterna. 21. Filioli, custodite vos ab idolis. Amen.

19. *Ex Deo sumus.* Ex superiore doctrina sumit exhortandi materiam. Nam quod in commune pronuntiavit de omnibus Dei filiis, nunc ad eos, quibus scribit, accommodat, idque ut eos stimulet ad cavendum peccatum, et ad repellendos Satanae insultus animet. Observent lectores, hanc demum esse veram fidem, quae Dei gratiam nobis (ut ita dicam) applicat. Neque enim alios fideles agnoscit apostolus, nisi qui se in ordinem filiorum Dei aggregant. Nec vero probabilem coniecturam (ut loquuntur sophistae) pro fiducia ingerit. Dicit enim nos scire. Summa huc tendit, quum ex Deo geniti simus, dandam esse operam, ut a mundo segregati probus vitae sanctitate, non frustra ad tantum honorem nos fuisse vocatos. Haec autem admonitio valde piis omnibus necessaria est. Quocumque enim vertant oculos, Satan paratas habet illecebras, quibus eos a Deo abducit. Difficile igitur illis foret rectum gradum tenere, nisi plaris sua illis esset vocatio, quam omnia mundi obstacula. Ergo ut probe ad certandum muniti simus, duo haec tenenda sunt: mundum perversum esse, et a Deo esse nostram vocationem. Sub mundi nomine, non dubium est quin totum humanum genus apostolus comprehendat. Quum in maligno positum esse dicit, sub Satanae principatu eum locat. Non ergo est, cur mundum fugere dubitemus, qui contempto Deo Satanae in servitutem se tradit; non est, cur metuamus eius dissidium, quia a Deo alienus est. Denique, quando totam naturam occupat corruptio, abnegationi sui studere debent fideles; quando in mundo nihil praeter malitiam et pravitatem cernitur, carni et sanguini valedicant necesse est, ut Deum sequantur. Simul tamen addendum est alterum illud, Deum esse, qui ipso vocavit, ut eius praesidium omnibus mundi et Satanae machinis opponant.

20. *Novimus autem, quod filius Dei venit.* Quia undique impetuntur filii Dei, hac (ut diximus) ratione eos ad resistendi constantiam animat atque hortatur, quod sub Dei auspiciis militant, ac certo tenent eius spiritu se regi. Nunc autem, unde notitia illa maxime petenda sit, admonet. Dicit igitur, Deum in Christo nobis ita esse patefactum, ut iam nulla sit haesitandi ratio. Non temere in hanc partem incumbit apostolus; nisi enim solide in Deo fundata sit fides, nunquam firmi in pugna stabimus. Hoc consilio docet apostolus, nos Christi beneficio consequutos esse certam veri Dei notitiam, ut non fluctuemus incerti. Verum Deum intelligit non veracem, sed eum, qui re vera Deus est, ut eum ab idolis omnibus discernat. Ita verus fictitio opponitur. Est enim ἀληθινός non

ἀληθῆς, quemadmodum Iohann. 17, 3.: Haec est vita aeterna, ut te cognoscant verum Deum, et quem misisti Iesum Christum. Christo autem has partes iure tribuit, ut mentes nostras in Dei notitiam illustret. Nam quum unica sit invisibilis Dei imago, quum unicus patris interpres, quum unus sit vitae director, imo vita, lux mundi et veritas: simulatque ab eo discessimus, nos in figmentis nostris evanescere necesse est. Dicitur autem Christus nobis *intelligentiam dedisse*, non modo quia evangelii doctrina ostendit, quisnem sit verus Deus, et spiritu quoque suo nos illuminet; sed quia in Christo ipso Deum habemus in carne manifestatum, ut inquit Paulus (Coloss. 2, 9.): Quandoquidem in eo habitat omnis plenitudo deitatis, et absconditi sunt omnes scientiae et intelligentiae thesauri. Ita fit, ut conspicua quodammodo Dei facies nobis in Christo reluceat, non quod nulla fuerit ante Christi adventum, vel dubia Dei cognitio; sed quia nunc se plenius et quasi ad liquidum patefecit. Atque hoc est, quod dicit Paulus II. Corinth. 4, 6., Deum, qui iussit olim ex tenebris lucem splendescere in creatione mundi, nunc illuxisse cordibus nostris per fulgorem cognitionis gloriae suae, in facie Christi. Ad notandum est, solis electis peculiare esse hoc donum. Omnibus quidem promissae evangelii sui faciem Christus accendit; sed non omnibus oculatae sunt mentes ad videndum, quin potius velum caecitatis multis obducit Satan. Lucem ergo apostolus intelligit, quam intus accendit Christus in cordibus suorum, et quae semel accensa nunquam extinguitur, etiamsi in quibusdam ad tempus suffocari interdum contingat. *Sumus in vero*. Hoc verbo admonet, quam efficax sit cognitio illa, cuius meminit, quia scilicet per eam inserimur in Christum, et unum efficimur cum Deo. Vivam enim radicem habet, ac cordibus penitus infixam, qua fit, ut vivat in nobis Deus, et nos in ipso. Quoniam sine copula dicit, *nos in vero esse, in filio eius*: videtur modum exprimere nostrae cum Deo unitatis, acsi diceret, nos in Deo esse per Christum. *Hic est verus Deus*. Tametsi hunc locum eludere Arriani conati sunt, et illis hodie subscribunt quidam: hic tamen insigne hebemus divinitatis Christi elogium. Arriani transferunt hoo ad patrem, quasi epistolus eum rursus praedicat esse verum Deum. Atqui nimis frigida esset repetitio. Bis iam testatus eret, verum esse Deum, qui nobis in Christo innouit: quorsum mox subiiceret: *Hic est verus Deus?* In Christum vero apposite competit. Postquam enim Christum docuit esse ducem, cuius manu ad Deum dirigimur: nunc amplificandi causa Christum esse Deum illum affirmat, ne procul queerendum putemus, idque confirmat epithetum *vitae aeternae*. De uno certe ac eodem utrumque praedicat, quod verus sit Deus, ac vita aeterna. Omitto, quod demonstrativum οὗτος ad proximam personam restringi solet. Hoc dico, Christum proprie vitam aeternam vocari; et hunc loquendi morem Iohanni esse perpetuum, negari non potest. Summa est, ubi Christum habemus, nos vero et aeterno Deo frui, quia non alibi quaerendus sit; deinde nos ita vitae aeternae fieri participes, quia in patre abscondita nobis in Christo offertur. Vitae quidem origo est pater; sed fons, ex quo haurire licet, Christus est.

21. *Custodite vos ab idolis*. Tametsi distincta est sententia: est tamen velut appendix superioris doctrinae. Nam vivifica lux evangelii non tenebres modo, sed nebulas quoque omnes discutere et fugare ex piorum mentibus debet. Nec idololatriam modo demnat apostolus, sed praecipit, ut e simulacris ipsis caveant. Quo significat, non posse integrum ac sincerum Dei cultum retineri, simulacra appetere homines incipiunt. Sic enim nobis ingenita est superstitio, ut minima quaeque occasio nos contagione sua inficiat. Non tam facile ardebit lignum aridum carbone subiecto, quam cito idololatria hominum mentes corripit et occupat, dum illis materia

obiicitur. Quis autem simulacra non videt scintillas esse? Quid scintillas dico? Imo potius faeces, quae ad totius mundi incendium sufficiant, quamquam apostolus non de statu modo loquitur; sed aras etiam et quaevis superstitionum instrumenta comprehendit. Ridiculi porro sunt papistae, qui hoc ad statuas Iovis et Mercurii et similia detorquent, quasi vero non generaliter doceat apostolus, pietatis esse corruptelam, ubi corporea Deo figura affingitur, vel ubi eriguntur ad cultum statuae et picturae. Meminerimus ergo in spirituali Dei cultu ita sollicite manendum esse, ut, quicquid nos ad crassas et carnales superstitiones flectere potest, procul a nobis arceamus.

---



## ARGUMENTUM EPISTOLAE IACOBI.

**H**anc epistolam non sine certamine olim receptam a multis ecclesiis fuisse, ex Hieronymi Eusebiique testimonio notum est. Sunt etiam hodie nonnulli, qui eam auctoritate dignam non censeant. Ego tamen, quia nullam eius repudiandae satis iustam causam video, libenter eam sine controversia amplector. Nam quod videtur capite secundo gratuita iustificationis doctrina convelli, facile hoc suo loco diluemus. Quod autem parcius in praedicanda Christi gratia videtur, quam apostolo conveniat: certe non est ab omnibus exigendum, ut idem argumentum tractent. Multum a stylo Davidis distant Salomonis scripta. Nam quum hic posterior formando externo homini, et tradendis politicae vitae praeceptis magis sit intentus: illum assidue de spiritali tum Dei cultu, tum conscientiae pace, Deique misericordia, et gratuita salutis promissione concionari, notum est. Atqui non facit haec diversitas, ut alterum probando alterum damnemus. Quinetiam inter ipsos evangelistas tantum est discriminis in illustranda Christi virtute, ut reliqui tres cum Iobanne comparati vix scintillas habeant pleni fulgoris, qui in ipso tam conspicuus apparet; et tamen omnes peraequa exosulamur. Quare mihi ad epistolam hanc recipiendam satis est, quod nihil continet Christi apostolo indignum; multiplici vero doctrina scatet, cuius utilitas ad omnes Christianae vitae partes late patet. Sunt enim hic insignes sententiae de patientia, de invocatione Dei, de coelestis doctrinae praestantia et fructu, de humilitate, de sanctis exercitiis, de linguae continentia, de colenda pace, de reprimendis cupiditatibus, de praesentis vitae contemptu, et similes, quas sigillatim suis locis excutiemus. Porro de auctore maior aliquanto est dubitandi ratio. Certum quidem est, non esse Zebedaei filium, quem Herodes paulo post Domini resurrectionem occidit. Veteres fere consentiunt, fuisse unum ex discipulis, cognomine Obliam, et Christi consanguineum, qui ecclesiae Hierosolymitanae praefuerit. Et eundem esse arbitrantur, quem Paulus in epistola ad Galatas (2, 9.), Petro et Iohanni annumerat, quos dicit pro columnis habitos. Atqui inter tres columnas numerari unum ex discipulis, et supra decem apostolos efferri, mihi non est probabile. Potius itaque in hanc coniecturam inclino, illum, de quo loquitur Paulus, fuisse Alphaei filium, quamquam non nego alium fuisse ecclesiae Hierosolymitanae praefectum, et quidem ex discipulorum collegio. Nam apostolos non oportuit certo loco alligari. Uter autem ex duobus huius epistolae scriptor fuerit, asserere meum non est. Fuisse certe Obliam illum maximae apud Iudaeos auctoritatis, vel inde patet, quod quum a factione impii pontificis crudeliter necatus esset; Iosephus urbis excidium aliqua ex parte eius morti imputare non dubitat.

---

IACOBI APOSTOLI EPISTOLA,  
 CUM  
 IOH. CALVINI  
 COMMENTARIIS.

CAP. I.

1. **Iacobus**, Dei ac Domini Iesu Christi servus, duodecim tribubus, quae in dispersione sunt, salutem. 2. **Omne gaudium existimate**, fratres mei, quum in tentationes varias incideritis. 3. **Scientes**, quod probatio fidei vestrae patientiam operatur. 4. **Patientia** vero opus perfectum habeat, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.

1. *Duodecim tribubus.* Quum abductae sunt decem tribus, captivos Assyrius in diversis sedibus collocavit. Postea, ut in regnorum mutationibus (quales tunc acciderunt) fieri solet, verisimile est, huc et illuc eos seorsum migrasse. Iudaei vero in omnes fere mundi regiones dissipati erant. Hos igitur omnes, quos alloqui coram non poterat, quia procul dissiti erant, scripto hortatur, Quod autem de Christi gratia at fide in ipsum non disserit, haec videtur essa ratio: quod orationem ad eos dirigebat, qui iam ab aliis recte instituti erant, ut non tam doctrina, quam exhortationum stimulis opus haberent.

2. *Omne gaudium.* Prima exhortatio: ut hilari animo tentationes excipiant, quibus probatur aeterna fides. Fuit autem in primis necessarium sublevari eo tempore Iudaeos, tot aerumnis paene oppressos. Sic enim erat infame gentis nomen, ut odio ac contemptui essent omnibus populis, quocumque venerant. Christianorum vero miserior adhuc conditio erat, quod suos gentiles habebant hostes sibi infestissimos, quamquam non ita uni tempori haec consolatio propria fuit, quin saepe utilis sit fidelibus, quorum vita assidua est militia super terram. Caeterum ut melius sciamus, quid velit, *tentationes* pro rebus adversis accipi non dubium est, quia sunt nostrae erga Deum obedientiae experimenta. His dum exercentur fideles, eos gaudere iubet, neque id dum in unam duntaxat tentationem incidunt, sed in plures, neque unius tantum generis, sed multiplices ac varias. Et certe quum ad mortificandam carnem nostram valeant, sicuti in nobis continenter pullulant carnis vitia: ita illas subinde rapere necesse est. Deinde sicuti diversis morbis laboramus; sic diversa remedia adhiberi illis curandis non mirum est. Varie ergo nos Dominus affligit, quia non eodem curari possent pharmaco, ambitio, avaritia, aemulatio, gulae intemperies, nimius mundi amor et innumerae libidines, quibus scatemus. Quum iubet *existimare omne gaudium*, perinde est, acsi dicaret, ita in lucro deputandas esse, ut nonnisi gaudendi sit materia. Daniqua nihil esse in afflictionibus significat, quod gaudium nostrum obturbet. Atque hoc modo non tantum praecipit,

placide et aequo animo ferre res adversas; sed causam esse docet, cur gaudeant fideles, dum illis premuntur. Certum quidem est, ita comparatos esse omnes naturae nostrae sensus, ut nos dolore et tristitia afficiat quaevis tentatio. Neque vero potest quisquam nostrum naturam eatenus exuere, ut non doleat ac tristetur, simulac sentit aliquid mali; sed hoc non obstat, quin assurgant filii Dei directione spiritus supra carnis dolorem. Hinc fit, ut vel in media tristitia non desinant tamen laetari.

3. *Scientes, quod probatio.* Nunc videmus, cur *tentationes* vocaverit res adversas, nempe quia fidei nostrae examinandae serviunt. Est autem hic causae redditio ad confirmandam proximam sententiam. Poterat enim obiici ex adverso: Qui fieri potest, ut, quod amarum est sensu, dulce iudicemus? Ab effectu ergo ostendit, in afflictionibus gaudendum esse, quia fructum pariant magni aestimandum, nempe patientiam. Ergo si Deus salutem nostrae consulit, gaudendi materiam nobis praebet. Eodem utitur argumento Petrus, circa initium prioris epistolae, ut probatio fidei vestrae auro pretiosior sit in laudem etc. Nam certe ideo et morbos, et inopiam, et exilium, et carcerem, et ignominiam, et mortem horremus, quia putamus mala esse. Quum autem intelligimus, Dei beneficio verti in salutis adumenta, ingratiitudinis esset obmurmurare, ac non sponte nos offerre illi adeo paterne tractandos. Paulus ad Romanos cap. 5, §. gloriari dicit pro eo, quod Iacobus hic *gaudere*. Gloriamur, inquit, in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam efficit, quamquam videtur, quod mox subiicit, Iacobi verbis esse contrarium. Probationem enim tertio loco ponit, quasi patientiae effectum, quae hic prior ordine statuitur, tamquam causa. Verum prompta est solutio, quia illic activa est verbi significatio, quae hic passiva est. Iacobo dicitur probatio efficere patientiam, quia, nisi nos Dominus examinaret, sed relinqueret otiosos, nulla esset patientia, quae nihil est aliud quam animi fortitudo in malis perferendis. Paulus vero intelligit, dum patiendo mala vincimus, nos experiri, quod Dei auxilium in necessitate valeat. Nam tunc quasi in re praesenti nobis ostenditur Dei veritas. Ita fit, ut plus spei in posterum concipere audeamus; veritas enim Dei usu cognita, plus apud nos fidei obtinet. Ideo Paulus docet, ex tali probatione, id est, divinae gratiae experimento spem nasci, non quod tunc demum spes incipiat, sed quia augetur et confirmatur. Uterque vero significat tribulationem esse patientiae materiam. Caeterum non ita naturaliter compositi sunt hominum animi, ut illis patientiam secum afferat afflictio. Sed Paulus et Iacobus non tam in hominum naturam, quam in Dei providentiam respiciunt, qua fit, ut fideles patientiam ex aerumnis discant, tametsi impii magis inde ac magis ad insaniam provocentur, quemadmodum Pharaonis exemplum ostendit.

4. *Patientia vero opus perfectum.* Quoniam saepe in nobis se efferunt generosi spiritus, ac statim concidunt: ideo constantiam requirit. Haec, inquit, vera erit patientia, quae in finem usque durabit. Nam *opus* hic pro effectu capitur, nec tantum ut simus in uno certamine superiores, sed ut perstemus tota vita. Posset etiam perfectio ista ad sincerum animi affectum referri, ut sponte se homines ac non simulate Deo subiiciant; sed quia nomen *operis* additur, malo de constantia exponere. Nam multi (ut diximus), qui heroicam initio magnitudinem prae se ferunt, paulo post fatigantur. Quare ad extremum perseverare iubet, qui perfecti esse volunt ac integri. His autem duobus nominibus significat, quod statim exponit, hoc est, qui non deficiunt vel faticunt. Nam qui victi impatientia franguntur, eos paulatim minui, et tandem prorsus deficere necesse est.

5. Porro si quis vestrum destituitur sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus simpliciter, nec exprobrat, et dabitur ei. 6. Postulet autem in fide, nihil haesitans. Nam qui haesitat, similis est fluctui maris, qui vento agitur et circumfertur. 7. Non ergo existimet homo ille, quod sit quicumquam accepturus a Domino. 8. Vir duplici animo instabilis est in omnibus viis suis.

5. *Si quis destituitur.* Quoniam ab eo ratio nostra, adeoque sensus omnes abhorrent, ut nos credamus beatos esse in malis: ideo petendum esse a Domino praecipit, ut hac sapientia nos imbuat. Nam *sapientiae* nomen ad circumstantiam praesentis loci restringo, acsi diceret: Si haec doctrina ingenii vestri captu altior est, petite a Domino, ut vos spiritu suo illuminet. Nam ut sola illa consideratio ad mitigandam quamlibet malorum acerbietatem sufficit, salutare esse nobis, quod carni molestum est: ita, nisi hoc solatii genere sustinemur, necesse est impatientia vinci. Sicut videmus Dominum non ita a nobis exigere, quae sunt supra vires, quin paratus sit opitulari, modo petamus: quare simulatque aliquid praecipit, discamus ab eo petere praestandi facultatem. Quamquam autem hoc loco *sapere* est subiicere se Deo ad mala toleranda, ubi rite expendimus, sic eum omnia moderari, ut in salutem nostram cedant: potest tamen haec sententia generaliter aptari ad omnes rectae intelligentiae partes. Verum cur dicit *si quis*, quasi non omnes indigeant? Respondeo, destitui quidem omnes naturaliter; sed alios spiritu prudentiae donatos esse, quo alii carent. Quoniam itaque non omnes eo progressi sunt, ut sibi in afflictione gratulentur, sed pauci, quibus hoc datum est: ideo occurrit Iacobus, et eos admonet, quibus nondum persuasum est, cruce salutem nostram a Domino promoveri, ut se hac sapientia donari postulent. Et tamen non dubium est, quin omnes admoeneat necessitas, idem petere. Qui enim aliquo usque profecit, longe adhuc abest a meta. Sed aliud est, engmentum petere, quam initium. Quum iubet a Domino *petere*, significat, eum esse unum, qui morbis nostris potest mederi, et inopiae subvenire. *Qui dat omnibus simpliciter.* Omnes intelligit, qui petunt; nam qui remedia non quaerunt suae egestati, digni sunt, qui in ea tabescant. Magnam tamen vim habet universalis oratio, qua sine exceptione unumquemque nostrum invitat: quare nemo se privare debet tanto bono. Huc accedit promissio, quae mox annectitur. Nam sicuti hoc mandeto demonstrat, quale sit cuiusque officium: ita non frustra facturos, quod praecipit, affirmat, secundum illud Christi (Matth. 7, 7.; Luc. 11, 9.): Pulsate, et aperietur. Particule *simpliciter*, dandi promptitudinem denotat. Sic ad Roman. cap. 12, 8. Paulus a diaconis simplicitatem requirit. Et II. Corinth. cap. 8. et 9., quum de eleemosynis disputat, aliquoties repetit eandem vocem. Sensus ergo est, Deum ita ad dendum esse propensum et fecilem, ut neminem repudiet vel fastidiose differat, nec similem parcis ac tenacibus, qui vel maligne, quasi semiclausa menu, tenuiter erogant; vel aliquid ex eo, quod erant daturi, rescindunt; vel diu secum intus alternant, daturi sint necne. *Nec exprobrat.* Hoc additum est, ne quis Deum saepius adire metuat. Qui ex hominibus maxime sunt liberales, tametsi identidem quispian iuvare se postulet, priora beneficia commemorant, etque ita excusant in posterum: quere hominem mortalem quantumvis largum nos fatigare pudet saepius petendo. Iacobus autem nihil in Deo simile esse admonet, quoniam priora beneficia sine fine ac modo novis subinda cumulare paratus sit.

6. *Postulet autem in fide.* Primum hic docet, quae legitima sit orandi ratio. Nam sicuti orare, nisi praeeunte verbo, non possumus: ita, antequam oremus, credere nos oportet. Precando enim testamur gratiam, quam Deus promisit, nos ab eo sperare. Ita quisquis fidem non habet promissionibus, simulate orat. Hinc quoque discimus, quae sit vera fides; nam simul ac praecipit Iacobus cum fide petere, addit explicationem, *nihil haesitando.* Ergo fides est, quae Dei promissionibus freta, nos impetrandi, quod petimus, certos reddit: unde sequitur, cum fiducia et certitudine divini in nos amoris esse coniunctam. Verbum *διὰ τὴν πίστιν*, quo utitur, proprie in utramque partem, disceptantium more, inquirere significat. Vult ergo sic nobis persuasum esse, quod semel Deus promisit, ut in dubitationem non vocemus, exaudiendi simus necne. *Qui haesitat.* Eleganter hac similitudine exprimit, qualiter Deus eorum infidelitatem puniat, qui de promissis suis dubitant. Sna enim ipsi inquietudine intus se ipsos excruciant, quoniam nulla usquam est animis nostris tranquillitas, nisi dum recumbunt in Dei veritatem. Tandem concludit, indignos esse tales, qui a Dei quicquam impetrent. Insignis est hic locus ad refellendum impium illud dogma, quod in toto papatu pro oraculo habetur, nempe dubitanter et incerta successus opinione esse orandum. Quare principium hoc teneamus, non aliter exaudiri preces nostras a Domino, nisi quum adest impetrandi fiducia. Fieri quidem non potest in hac carnis infirmitate, quin variis tentationibus agitemur, quae sunt veluti machinae ad labefactandam nostram fiduciam: ita nemo reperietur, qui non sensu carnis suae vacillet ac trepidet; sed oportet eiusmodi tentationes fide tandem superari, quemadmodum arbor, quae firmas radices iecit, petitur quidem venti impulsu, sed non revellitur, quin potius suo loco stabilis manet.

8. *Vir duplici animo.* Potest haec sententia eorsum legi, ut generaliter de hypocritis loquatur; mihi tamen magis videtur superioris doctrinae esse clausula, atque ita erit tacita antithesis inter Dei simplicitatem, cuius meminit prius, et duplicem hominis animum. Sicuti enim exprorecta manu nobis Deus largitur: ita vicissim sinum cordis nostri expansum esse decet. Incredulos ergo, qui flexuosos recessus habent, dicit esse *instabiles*, quia nunquam unum et idem constitutum habent; sed nunc turgent carnis confidentia, nunc desperatione in profundum merguntur.

9. Porro gloriatur frater humilis in sublimitate sua; 10. Dives autem in humilitate sua, quia tamquam flos herbae praeteribit. 11. Nam sol exortus est cum aestu, et exarescit herba, et flos eius cecidit, et decor adspectus eius periit: sic et dives in suis viis (vel *copiis*) marcescet.

9. *Frater humilis.* Quemadmodum Paulus (I. Corinth. 7, 22.), quum servos hortatur ad tolerandam aequo animo sortem suam, hanc illis consolationem proponit, quod liberti sint Dei, manumissi eius gratia e miserrimo Satanae servitio; ingenuos autem admonet, ut se Dei servos esse meminerint; ita hic noster eodem sensu iubet humiles in eo gloriari, quod a Domino adoptati fuerint in filios; divites autem, quod ostensa mundi sanitate in ordinem coacti fuerint. Ita priores vult esse contentos humili et abiecta sua conditione; secundos autem superbiere vetat. Quum haec summa et incomparabilis sit dignatio, quod in societatem angelorum allecti simus, imo Christi consortes facti, qui tantum Dei beneficium suo pretio aestimat, reliqua omnia susque deque faciet. Ergo nec paupertas, nec con-

temptus, nec nuditas, nec fames, nec sitis, eius animum ita anxium habebunt, quin se hac consolatione sustentet: Quando mihi, quod praecipuum erat, Dominus contulit, aliis minoribus carere aequo animo dacet. En quomodo frater abiectus gloriari debeat in sua sublimitate, quia, si gratus est Deo, in sola adoptione sua satis plenam habet consolationis materiam, ne minus prospero vitae statu ultra modum angatur.

10. *Dives in humilitate.* Speciem pro genere ponit. Pertinet enim haec admonitio ad omnes, qui vel honore, vel nobilitate, vel aliis rebus excellunt. Eos in humilitate, vel parvitate sua gloriari iubet, ut comprimat altos illos spiritus, qui ex rebus prosperis inflari solent. Porro *humilitatem* appellat, quia regnum Dei patefactum nos in contemptum mundi adducere debet, ut sciamus, omnia, quae prius in magna admiratione erant, vel nihili, vel admodum exilia esse. Christum enim, qui non nisi parvulorum magister est, omnem carnis fastum sua doctrina retundit. Ergo ne divites abripiat inane mundi gaudium, assuescant in suae carnalis excellentiae deiectione gloriari. *Tamquam flos herbae.* Si quis ad verba Iesae alludere Iacobum putet, non valde repugno; sed non concedam testimonium prophetae ab eo citari, qui non de bonis fortunae tantum et evanida mundi figura loquitur, sed de toto homine, nec de corpore magis quam anima; hic autem de opum vel bonorum pompa agitur. Summa autem est, stultam esse et praeposteram gloriationem in divitiis, quae momento effluunt. Idem docent philosophi; verum surdis canitur fabula, donec apertae sint aures a Domino ad audiendam coelestis regni aeternitatem. Ideo dicit *frater*, significans, non ante locum esse hinc doctrinae, quam dum adsciti in ordinem filiorum Dei sumus. Tametsi recepta est lectio *ty raiç noçetais*; tamen Erasmo assentior, potius legendum esse *noçetais* absque diphthongo: In opibus, vel cum opibus, quod posterius mihi magis placet.

12. Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam, quum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam promisit Deus diligentibus ipsum. 13. Nemo, quum tentatur, dicat: A Deo tentor. Deus enim nec tentari malis potest, nec quemquam tentat. 14. Sed unusquisque tentatur, dum a sua concupiscentia abstrahitur et inescatur. 15. Postquam autem concupiscentia concepit, parit peccatum; peccatum vero perfectum generat mortem.

12. *Beatus vir.* Postquam adhibita consolatione temperavit eorum dolorem, qui duriter tractantur in hoc mundo, et rursum humiliavit magnorum superciliosa: nunc concludit, beatos esse, qui aerumnas et alias tentationes magno animo perferunt, ita ut superiores emergant. Posset quidem nomen *tentationis* aliter accipi, nempe pro cupiditatum aculeis, qui intus animum pungunt; sed existimo fortitudinem in perferendis rebus adversis hic laudari, ut sit paradoxum, non esse beatos, ut vulgo putantur, quibus ex voto omnia proveniunt, sed qui malis non vincuntur. *Quoniam quum probatur.* Rationem reddit superioris sententiae; nam corona sequitur certamen. Ergo si summa beatitudo est, in regno Dei coronari; sequitur, certamina, quibus nos Dominus exercet, adiumenta esse nostrae felicitatis. Ita argumentum est a fine, vel ab effectu: unde colligimus, ideo tot malis vexari fideles, ut manifesta fiat eorum pietas et obedientia, sicque demum ad recipiendam vitae coronam praeparari. Caeterum perperam ratiocinantur, qui inde inferunt, nos

coronam pugnando mereri. Nam quum eam gratuito nobis Deus destinaverit, tantum ad eam recipiendam nos aptat. Nam quod subiicit, *promissam esse* iis, qui Deum diligunt: ita loquendo non asserit dilectionem hominis esse causam (praevenit enim nos Deus suo erga nos amore), sed tantum significat, eos demum approbari Dei electos, qui ipsum diligunt. Interea admonet, victores omnium tentationum fore, qui Deum amant, nec alia de causa nos animo defici, quum tentamur, nisi quia praevalet mundi amor in nobis.

13. *Nemo quum tentatur.* Hic vero non dubium est, quin de alio tentationis genere disserat. Plus satia notum est, tentationes omnes externas, quarum hactenus facta est mentio, nobis a Deo immitti. Hoc sensu tentavit Deus Abraham (Genes. cap. 22.), et quotidie nos tentat, hoc est, experitur, quales simus, obiecta patefaciendi animi nostri occasione. Sed longe aliud est, extra elicere, quod in animis latebat, quam animos intus sollicitare pravis cupiditatibus. De tentationibus ergo internis hic tractat, quae nihil aliud sunt quam inordinati appetitus, qui nos ad peccandum incitant. Illorum auctorem merito Deum esse negat, quoniam ex carnis nostrae corruptione manant. Haec admonitio valde necessaria est, quia nihil hominibus est magis usitatum quam malorum, quae quisque perpetrat, culpam alio transcribere; tunc autem maxime videntur sibi liberari, si eam in Deum ipsum derivent. Hoc tergiversandi artificium a primo homine traditum sedulo imitamur. Hac de causa Iacobus nos ad proprii reatus confessionem vocat, ne Deum substituaemus nostro loco, acsi nos ipsa ad peccandum impelleret. Verum huius sententiae videtur reclamare tota scripturae doctrina, quae homines tradit excaecari a Deo, conici in sensum reprobum, prostitui in cupiditates foedas et illicitas. Respondet, hac quoque ratione fortassis inductum fuisse Iacobum, ut negaret a Deo nos tentari, quia impii ad captandum colorem scripturae testimoniis se armant. Verum duo sunt hic notanda. Nam quum scriptura excaecationem vel obdurationem cordis tribuit Deo (Exod. 9, 12.), neque illi initium assignat, neque facit mali auctorem, ut culpam sustinere debeat. In his autem duobus solum Iacobus insistit. Scriptura reprobos a Domino conici asserit in pravas cupiditates (Rom. 1, 26.), an quia Dominus cor eorum depravet vel corrumpat? Minime; ideo enim subiicitur pravis desideriis, quia iam corruptum et vitiosum erat. An vero quum excaecat vel indurat Deus, peccati auctor est vel minister? Imo hoc modo peccata ulciscitur, iustamque mercedem impiis rependit, qui spiritu suo regi abnerunt. Sequitur ergo, neque peccati originem esse in Deo, neque illi culpam imputari posse, quasi ex malis voluptatem capiat. Summa est, frustra tergiversari hominem, qui vitiorum suorum culpam reficere in Deum conatur, quia non ex alio fonte proveniat, quicquid est malorum, quam ex perversa hominis concupiscentia. Atque ita sane res habet, non aliunde nos impelli, sed cuique pravum suum affectum esse ducem ac impulsorem. Deum vero neminem tentare, inde probat, quia *malis non tentatur.* Nam ideo nos ad peccandum diabolus sollicitat, quia insana peccandi cupiditate totus ardet; Deus autem malum non appetit: ergo neque male agendi nobis auctor est.

14. *Dum a sua concupiscentia.* Quum interior sit ad malum motus et incitatio, frustra ab externo impulsu excusationis praetextum quaeret peccator, quamquam notandi sunt hi duo concupiscentiae effectus, quod nos illecebris inescat, et quod nos abstrahit, quorum singuli ad reatum sufficiunt.

15. *Postquam concepit.* Principio *concupiscentiam* hic appellat non quemvis appetitum, sed appetituum omnium fontem. Ab eo docet concipi vitiosos foetus, qui tandem emergunt in peccata. Vi-

detur tamen improprie, et nequaquam ex scripturae usu, ad externa opera restringere peccati vocem, quasi vero non esset ipsa concupiscentia per se peccatum, quasi etiam perversa desideria, quae in-  
 tus clausa et snppressa manent, non totidem essent peccata. Verum quum multiplex sit verbi usus, nihil est absurdi, si pro actuali peccato hic sumitur, quemadmodum et aliis pluribus locis. Ac imperite hoc testimonium arripiunt papistae, dum ex eo probare volunt, non esse peccata vitiosas, imo foedas, sceleratas, et plus quam nefandas cupiditates, modo ne accedat consensus. Neque enim disputat Iacobus, quando incipiat nasci peccatum, ita ut peccatum sit, ac reputetur coram Deo; sed quando emergat. Sic enim gradationem procedit, mortis aeternae causam esse consummationem peccati; peccatum autem oriri ex illicitis desideriis: iam illic ita desideria radicem habere in concupiscentia. Unde sequitur, homines in interitu fructum colligere, quem ipsi protulerunt. Perfectum itaque peccatum non intelligo unum aliquod opus perpetratum, sed cursum peccandi completum; tametsi enim unicuique peccato mors debetur, dicitur tamen stipendium esse impiae et sceleratae vitae. Ita refellitur eorum delirium, qui ex his verbis colligunt, non esse mortale peccatum, donec in exteriorem (ut vocant) actum proruperit. Neque que enim hoc tractat Iacobus; sed tantum in hoc versatur, ut radicem nostri exitii in nobis esse doceat.

16. Ne erretis, fratres mei dilecti: 17. Omnis donatio bona. et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum, apud quem non est transmutatio, aut conversionis obumbratio. 18. Is sua voluntate genuit nos sermone veritatis, ut essemus primitiae quaedam suarum creaturarum.

16. *Ne erretis.* Argumentum est a repugnantibus. Nam quum Deus omnis boni auctor sit, absurdum est censerī malorum auctorem. Proprium inquam et naturale illi est benefacere, a quo bona omnia nobis proveniunt: ergo quicquam mali agere, in eius naturam non cadit. Sed quia interdum accidit, ut, qui praeclare alia se gerit tota vita, simul labatur aliqua in parte: huic dubitationi occurrit, dum negat Deum instar hominum esse mutabilem. Quod si in omnibus et semper sui similis est, ex hao constantia sequitur, perpetuum in eo benefaciendi tenorem esse. Haec ratiocinatio longe alia est quam Platonis, qui contendit, nullas hominibus calamitates a Deo immitti, quia bonus est. Nam quia aequum est puniri a Deo hominum scelera, eius respectu in malis deputare non convenit, quas iuste poenas irrogat. Plato quidem imperite; at Iacobus puniendi ius et officium Deo relinquens, tantum culpam ab eo avertit. Hic locus docet, ita innumeris Dei beneficiis, quae ex eius manu quotidie percipimus, affici nos dehere, ut nihil cogitemus nisi in eius gloriam; quaecumque vero aut in mentem nobis veniunt, aut ab aliis ingeruntur, minus consentanea cum eius laude, toto pectore exhorreamus. *Pater luminum* vocatur Deus, quasi omnis et praestantia et bene compositi ordinis. Et quum mox subiicit, nullam in eo esse *conversionis obumbrationem*, perseverat in metaphora, ne Dei splendorem metiamur solis irradiatione, quae nobis apparet.

18. *Is sua voluntate* etc. Eius, quam praedicavit, divinae bonitatis praecipuum nunc specimen in medium adducit, nempe quod nos regeneravit in vitam aeternam. Hoc inaestimabile beneficium unusquisque fidelium in se sentit: ergo bonitas Dei omnibus experimento comperta tollere debet contrariam opinionem. Quum Deum



volentem aut sponte sua nos genuisse dicit, significat nulla externa causa fuisse inductum, quemadmodum saepe voluntas et consilium Dei hominum meritis opponi solent. Quid enim magni esset, si negaret, Deum ad id fuisse coactum? Plus ergo quiddam exprimit, quod Deus pro suo beneplacito nos genuerit, atque ita sibi fuerit causa. Unde sequitur, naturale esse Deo benefacere. Caeterum hic locus docet, quemadmodum gratuita fuit nostra electio ante mundum conditum, ita nos mera Dei gratia illuminari in notitiam veritatis, ut vocatio electioni respondeat. Docet scriptura (Ephes. 1, 4. 5.), nos gratis adoptatos fuisse a Deo, antequam nasceremur; Iacobus autem hic plus quiddam exprimit, nos ius adoptionis consequi, quoniam gratis quoque nos vocat Deus. Praeterea hinc discimus, proprium esse Dei officium, spiritualiter nos gignere. Nam quod idem adscribi interdum videtur evangelii ministris, non aliter valet, nisi quia per illos agit Deus; et fit quidem per illos, ut solus nihilominus agat. *Geniturae* nomen significat, nos fieri novos homines, ut priorem naturam exuamus, quum efficaciter vocamur a Deo. Addit, quomodo nos regeneret Deus, nempe per sermonem veritatis, ut sciamus, non alia ianua posse nos ingredi in regnum Dei. *Ut essemus primitiae quaedam.* *Tivú* aut *quaedam*, similitudinis est nota, acsi dixisset, nos quodammodo esse primitias. Porro id ad paucos fidelium restringi non debet, sed pertinet ad omnes communiter. Nam quum homo inter omnes creaturas excellat: Dominus fideles suos ex aliorum grege eligit ac segregat sibi in sanctam oblationem. Haec non vulgaris est nobilitas, in quam filios suos Deus extollit. Quare merito dicuntur eximi tamquam primitiae, dum in illis instauratur Dei imago.

19. Itaque, fratres mei dilecti, sit omnis homo celer ad audiendum, tardus autem ad loquendum, tardus ad iram. 20. Ira enim hominis iustitiam Dei non operatur. 21. Quapropter, deposita omni immunditie et redundantia malitiae, cum mansuetudine suscipite insitum sermonem, qui potest servare animas vestras.

19. *Sit omnis homo.* Si haec sit generalis sententia, longe petita erit illatio; sed quia de sermone illo veritatis sententiam proximae congruentem mox annectit, non dubito, quin hanc exhortationem peculiariter instituto suo accommodet. Ergo proposita Dei bonitate ostendit, qualiter ad recipiendum incomparabile istud beneficium, quo nos afficit, comparatos esse deceat; quae doctrina perquam utilis est. Nequo enim unius momenti opus est spiritualis generatio; quando semper manent quaedam veteris hominis reliquiae, assidue nos refringi necesse est, donec aboleatur caro. Nostra autem vel ferocia, vel arrogantia, vel socordia, magnum est impedimentum Deo, ne suum in vobis opus perficiat. Quare dum Iacobus nos celeres ad audiendum esse vult, promptitudinem commendat, acsi diceret: Quando se ita liberaliter vobis offert Deus, vos quoque illi dociles praebete, ne illi moram afferat vestra tarditas. Quoniam autem, dum nimium sapere nobis videmur, non sustinemus placide loquentem audire Deum, sed nostra festinantia quodammodo abrumpimus eius sermonem: silentium apostolus nobis imperat. Et certe nemo unquam bonus erit Dei discipulus, nisi qui silendo cum audiet. Non imperat tamen Pythagoricae scholae silicium, ne sit fas inquirere, quoties discere cupimus, quod est utile cognitum; sed tantum vult proterviam nostram corripere, ne, sicut fieri solet, intempestive obstrepamus Deo: et quamdiu sacrum os habet apertum, illi animos auresque nostras aperiamus, non autem

occupemus ipsi loqui. *Tardus ad iram.* Iram quoque damnari puto, quatenus audientiam, quam sibi Deus fieri postulat, quasi tumultuando perturbat vel impedit; neque enim Deus nisi sedato animo audiri potest. Ideo addit, quamdiu ira regnum habet, non esse locum Dei iustitiae. Denique, nisi facessat contentionis fervor, nunquam Deo praestabimus illam silentii moderationem, de qua nuper loquutus est.

21. *Quapropter deposita.* Concludit iam, qualiter recipiendus sit sermo vitae. Ac primum quidem rite suscipi negat, nisi inseratur, vel radices agat in nobis. Nam haec loquutio *suscipere insitum sermonem*, in hanc aut similem resolvi debet: Ita suscipite, ut vere inseratur. Alludit enim ad semen, quod saepe in arida loca cadit, nec humido terrae sinu excipitur, vel ad surculos, qui in terram proiecti, aut ligno mortuo superiecti marcescunt. Praecipit igitur, ut viva fiat insitio, qua veluti cum corde nostro coalescat. Simul modum huius receptionis ostendit, nempe in *mansuetudine*. Quo verbo significat modestiam et facilitatem mentis ad discendum compositae, qualem Iesaias (57, 15.) describit, quum dicit: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum? Hinc fit, ut tam pauci in Dei schola proficiant, quia vix centesimus quisque spiritus sui ferociam deponit, ut se Deo comiter subiiciat; sed omnes fere elati et refractarii accedunt. Nos vero, si cupimus esse viva Dei plantatio, subigendis in humilitatem nostris ingeniis demus operam, ut tamquam agni nos a pastore nostro regi sinamus. Sed quia nunquam ita cicurantur homines, ut pacato mitique sint animo, nisi ante pravis suis affectibus repurgati fuerint: ideo iubet immunditiam et malitiam redundantiam deponere. Et quoniam ab agricultura similitudinem mutuatur Iacobus: hic ordo tenendus fuit, ut ab herbis vitiosis extirpandis inciperet. Quum autem omnes alloquatur, hinc colligendum est, ingenita naturae nostrae esse haec mala, et haerere in nobis omnibus. Imo quum apud fideles verba faciat, nunquam in hac vita nos penitus his mundari ostendit, verum sibi repullulare: ideoque assiduam eradicandi curam requirit. Primo quoniam sacra res est Dei sermo: ut ad eum recipiendum aptemur, exuere sordes, quibus inquinati sumus, convenit. Sub nomine *κακίας* tam hypocrisis et contumaciam, quam perversas omnes cupiditates comprehendit. Nec contentus sedem malitiae assignare in hominis anima, adeo copiosam illic malitiam residere docet, ut exundet, vel quasi in cinulum assurgat. Et certe quisquis se bene excusserit, immensum in se reperiet malorum chaos. *Qui potest servare.* Magnificum coelestis doctrinae encomium, quod certam ex ea salutem consequimur. Est autem additum, ut sermonem illum instar thesauri incomparabilis et expetere, et amare, et magnificare discamus. Est ergo acris ad castigandam nostram ignaviam stimulus, sermonem, cui solemus tam negligenter aures praebere, salutis nostrae esse causam, tametsi non in hunc finem servandi vis sermonei adscribitur, quasi aut salus in externo vocis sonitu inclusa foret, aut servandi munus Deo ablatum alio transferretur. Nam de sermone tractat Iacobus, qui fide in corda hominum penetravit, et tantum indicat, Deum salutis auctorem evangelio suo eam peragere.

22. Estote factores sermonis, et non auditores solum, fallentes vos ipsos. 23. Nam si quis auditor est sermonis, et non factor: hic similis est homini consideranti faciem natiuitatis suae in speculo. 24. Consideravit enim se ipsum, et abiit, et protinus oblitus est, qualis sit. 25. Qui vero in-

tuitus fuerit in legem perfectam, quae est libertatis, et permanserit, hic non auditor obliviosus, sed factor operis, beatus in opere suo erit. 26. Si quis videtur religiosus esse inter vos, nec refrenat linguam suam, sed decipit cor suum: huius inanis est religio. 27. Religio pura et impolluta coram Deo et patre haec est: visitare pupillos et viduas in afflictione ipsorum, immaculatum servare se a mundo.

22. *Estote factores.* Factor hic, non quemadmodum ad Romanos cap. 2, 13., eum significat, qui legi Dei satisfacit, omnique ex parte eam implet; sed qui sermonem Dei ex animo amplectitur, vitaeque testatur, serio se credidisse, iuxta hanc Christi sententiam (Luc. 11, 28.): Beati, qui audiunt sermonem Dei, et custodiunt eum. Nam hic a fructibus declarat, quatenus sit illa insitio, cuius meminit. Observandum praeterea est, fidem simul cum aliis operibus a Iacobo comprehendi, imo eam in primis, sicuti praecipuum opus est, quod a nobis Deus exigit. Summa est, dandam esse operam, ut radices agat in nobis verbum Domini, quo postea fructificet.

23. *Similis est homini.* Est quidem coelestis doctrina speculum, in quo se Deus conspiciendum nobis offert; sed ita, ut in eius imaginem transfiguremur, sicut ait Paulus II. Corinth. 3, 18. Hic autem de externo oculorum coniectu agitur, non de viva et efficaci contemplatione, quae in cor ipsum penetrat. Elegans similitudo, qua breviter significat, nihil prodesse, quae auditu modo, non autem interiore cordis affectu percipitur doctrina, quia mox evanescit.

25. *In legem perfectam.* Postquam de inani speculatione loquutus est, nunc ad penetrabilem illum intuitum descendit, qui nos in Dei similitudinem transformat. Quia autem negotium habet cum Iudaeis, nomen *legis* familiariter illis notum pro universa Dei doctrina usurpat. Porro cur *legem perfectam* vocet, a *libertatis*, non assequuti sunt interpretes, quia entithesin hic notari non enim advertebant, quae ex aliis scripturae locis colligitur. Quamdiu externa hominis voce praedicatur lex, non autem digito aut spiritu Dei inscribitur in corda, mortua littera est, ac velut corpus exanime. Mutilam ergo legem censi, donec corde recipiatur, mirum non est. Eadem et servitutis ratio. Nam (quemadmodum ad Galatas cap. 4, 24., docet Paulus) a Christo separate in servitutem generat; et, quemadmodum idem ad Rom. 8, 15., tradit, nihil quam diffidentia et metu deicere nos potest. Spiritus vero regenerationis, qui eam visceribus nostris insculpit, adoptionis gratiam similiter affert. Perinde ergo hoc valet, acsi dixisset Iacobus: Ne amplius servilis sit legis institutio, sed vos potius in libertatem asserat, ne amplius sit paedagogus tantum, sed ad perfectionem adducat: eam sincero cordis affectu a vobis recipi oportet, ut pie sancteque vivatis. Porro quum hoc esse novi testamenti beneficium, ut lex Dei nos reformet, ex Ieremiae (31, 33.) testimonio et compluribus aliis pateat: sequitur, id non posse obtineri, donec ad Christum ventum fuerit. Et certe solus ipse est legis finis ac perfectio. Ideo *libertatem* eddit Iacobus, velut individuum comitem, quia nunquam regenerat nos Christi spiritus, quin divinae adoptionis pariter sit testis atque arthabo, ut metu et trepidatione corda nostra liberet. *Permanserit.* Hoc est, fixus perstiterit in illa Dei cognitione. Et quum addit: *beatus erit in opere suo*, significat, in ipsa actione sitam esse beatitudinem, non in auditione frigida.

26. *Videtur religiosus.* Nunc in iis etiam, qui se legis factores esse prae se ferunt, vitium, quo laborant communiter hypocritae, reprehendit, nempe linguae proterviam ad detrahendum. Antehac de linguae continentis aliquid attigit; sed alio fine. Nam tunc iubebat silentium nos praestare Deo, quo essemus ad discendum melius compositi. Iam aliud tractat: Ne maledicendo linguam exercent fideles. Porro hoc vitium nominatim oportuit taxari, quum de legis observatione sermo esset. Nam qui crassiora vitia exuerunt, huic morbo sunt ut plurimum obnoxii. Qui neque adulter erit, neque fur, neque ebriosus, quin potius externa sanctimoniac specie fulgebit, aliorum famam lacerando se factabit, zeli quidem praetextu, sed obtrectandi libidine. Proinde hic veros Dei cultores discernere voluit ab hypocritis, qui Pharisaeico supercilio ita turgent, ut laudem capient ex aliorum omnium sigillatione. *Si quis videtur*, inquit, hoc est, aliqui speciem habet sanctimoniae; interea autem maledicendo se oblectat, hinc vincitur, non vere Deum colere. Nam quum dicit, religionem eius vanam esse: non modo significat, reliquas virtutes maledicentiae labe corrumpi, sed colligit, non sincerum esse pietatis studium, quod apparet. *Sed cor suum decipit.* Mihi non placet Erasmi versio: Sinit aberrare. Pontem enim petulantiae, cui addicti sunt hypocritae, designat, quo immodico sui amore caeci, longe se meliores esse, quam sunt, sibi persuadeant. Et certe hinc obtrectandi morbus, quia non conspicitur pendens a tergo mantica, ut est in Aesopi apologo. Bene ergo Iacobus, qui effectum corrigere volens, hoc est, maledicendi libidinem, causam attexit, quod scilicet hypocritae plus aequo sibi indulgent. Propensi enim ad condonandum essent, si vicissim agnoscerent, se indigere aliorum venia. Blanditiae ergo, quibus se fallunt vitiis suis parcendo, tam superciliosos faciunt aliorum censores.

27. *Religio pura.* Quum ea, quae maximi in religione sunt momenti, praetereat: non definit in universum, quid sit religio; sed admonet, religionem sine his minime constare. Quemadmodum si quis vino et crapulae deditus se temperantem esse iactet; alter vero contra excipiat, temperantem esse, qui vino et epulis se non ingurgitat: huius consilium non crit, totam temperantiae naturam exprinere; sed partem duntaxat unam assumet, quae praesenti-causae sit accommodata. Illi enim *παρὰ τὸ θεῖον*, de quibus disputat, ut plurimum otiosi sunt ostentatores. Ideo Iacobus aliunde aestimandam esse religionem, quam ex ceremoniarum pompa docet: esse enim seria exercitia, in quibus occupare se debeant Dei cultores. *Visitare* in necessitate, est porrigere manum ad eos allevandos, qui premuntur. Quum autem sint alii quoque complures, quibus Dominus succurrere iubet: syuecdochice de viduis et pupillis meminit. Quare non dubium est, quin sub una ista specie totam caritatem nobis commendet, acsi diceret: Qui vult haberi religiosus, talem se probet sui abnegatione, et misericordia in proximos ac beneficentia. Dicit autem: *apud Deum*, ut significet, aliter quidem videri hominibus, qui externis larvis ducuntur; sed quaerendum esse, quid Deo placeat. *Deum et patrem*, sic resolve. Deum, qui pater est.

## CAP. II.

1. **F**ratres mei, ne in acceptionibus personarum fidem habeatis Domini nostri Iesu Christi ex opinione (vel *gloriae*). 2. Si enim ingressus fuerit in coetum vestrum vir aureos annulos gestans, veste indutus splendida; ingressus autem fuerit et pauper in sordida veste, 3. Et respexeritis in eum, qui vestem fert splendidam, ac ei dixeritis: Tu sede hic honeste; et pauperi dixeritis: Tu sta illic; vel: Sede hic sub scabello pedum meorum; 4. An non diiudicati estis in vobis ipsis, et facti iudices malarum cogitationum?

Videtur primo adpectu reprehensio haec dura et absurda. Est enim hoc unum inter officia humanitatis non negligendum, honore afficere eos, qui in mundo excellent. Deinde si acceptio personarum vitiosa est, eximendi erunt servi ab omni subiectione, quia libertas et servitus inter personas a Paulo deputantur (Ephes. 6, 8. 9. Coloss. 3, 25.). Idem et de magistratibus sentiendum erit. Sed harum quaestionum facilis erit solutio, si non separentur, quae Iacobus coniungit. Neque enim simpliciter improbat, quod honore prosequantur divites; sed quod id faciant cum pauperum contumelia; idque melius patebit ex sequentibus, quum omnia revocabit ad caritatis regulam. Quare meminerimus, eam damnari acceptionem personarum, qua sic extollitur dives, ut iniuria fiat pauperi. Quod etiam verborum contextus clare ostendit. Et sane ambitiosus est honos plenusque vanitatis, qui diviti exhibetur paupere contempto. Nec dubium est, quin regnet ambitio et vanitas, ubi solae huius mundi larvae sunt in pretio. Tenendum est illud axioma (Ps. 15, 4.), censi inter regni Dei haeredes, qui reprobos contemnit, honorat autem timentes Dominum. Hic ergo contrarium vitium damnatur, quum scilicet solo divitiarum respectu, etiam malos honore prosequitur quispiam cum honorum contumelia, ut dictum est. Quare si seorsum legas: Peccat, qui diviti assurgit: absurdi erit sententia. Si autem coniunctim: Peccat, qui solos divites honore dignatur, quum pauperes despiciat, imo probrose tractet: pia et vera doctrina erit.

1. *Ne fidem in acceptionibus.* Significat, personarum acceptiones sic discrepare a fide Christi, ut simul iungi nequeant; idque merito. Fide enim coalescimus in unum corpus, in quo Christus primas tenet. Ergo quum supereminet mundi pompae, ut, quod Christi est, obruant, fidem parum vigere apparet. Quod posui, *ex opinione*, Erasmus in eo sequutus sum, quamquam reprehendi non potest vetus interpret, qui gloriam transtulit. *Ἰδέα* enim Graecis utrumque significat, et apte ad Christum referri potest, idque pro loci circumstantia. Tantus enim est Christi splendor, ut omnes mundi gloriae facile exstinguat, si quidem oculos nostros irradiet. Unde sequitur, Christum a nobis parvi fieri, quum nos tenet mundanae gloriae admiratio. Verum altera quoque expositio optime convenit. Nam dum opum vel honorum opinio nostros oculos perstringit, veritas supprimitur, quae sola valere debebat. *Sedere honeste* dixit pro sessione honorifica.

4. *An non diiudicati estis.* Potest tam affirmative quam interrogative legi; sed eodem prope sensu. Culpam enim ex eo amplificat, quod sibi placeant, vel indulgeant in tanta pravitate. Si interrogative legas, hic erit sensus: An non propria conscientia vos tenet convictos, ut alio iudice non sit opus? Si affirmationem ma-

lis, perinde valebit, acsi dixisset: Hoc quoque mali accidit, quod non sentitis vos peccare, nec vestras cogitationes pravas esse, ut sunt, agnoscitis.

5. Audite, fratres mei dilecti: nonne Deus elegit pauperes mundi huius, divites in fide, et haeredes regni, quod promisit iis, qui diligunt eum? 6. Vos autem contemptui habuistis pauperem. Nonne divites tyrannidem in vos exercent, et iidem trahunt vos ad tribunalia, 7. Et iidem contumelia afficiunt bonum nomen, quod invocatum est super vos?

5. *Audite, fratres.* Nunc duplici argumento probat, facere eos praepostere, quum in divitum gratiam pauperes contemnunt. Prius est, indignum est deficere, quos Deus extollit, et quos honore dignatur, probrose tractare; atqui Deus pauperes honorat: ergo pervertit Dei ordinem, quisquis eos reiicit. Alterum sumptum est ab experientia communi. Nam quum ut plurimum molesti sint bonis et innoxii divites, valde absurdum est, eorum iniuriis tale praemium rependere, ut nobis sint magis commendati quam pauperes, qui nos invant magis, quam laedunt. Quousque vero utrumque procedat, distincte videbimus. *Elegit pauperes.* Non solos quidem; sed ab illis exordium facere voluit, ut divitum superbiam retunderet. Hoc est, quod dicit Paulus (I. Cor. 1, 26.): Non multi nobiles, non multi potentes e saeculo; sed, quae infirma erant, Deus elegit, ut fortia pudefaceret. In summa, quum Deus gratiam suam in divites communiter et pauperes effuderit: hos tamen illis voluit praeferre, ut discerent magni non sibi placere; ignobiles vero et obscuri totum, quod essent, tribuerent misericordiae Dei; utrique ad modestiam et humilitatem erudirentur. Vocat autem *divites in fide*, non qui fidei magnitudine abundant, sed quos Deus variis spiritus sui donis locupletavit, quae fide percipimus. Nam certe, quum Dominus se liberaliter omnibus offert, unusquisque pro suae fidei mensura compos fit donorum eius. Quare si vacui sumus aut inopes, id fidei nostrae defectum arguit. Nam si modo fidei sinum extendamus, semper paratus est Deus implere. *Promissum regnum iis dicit, qui Deum diligunt*, non quod a dilectione pendeat promissio; sed ut admoncat, vocari nos a Deo in spem vitae aeternae hac conditione et in hunc finem, ut vocati ipsum diligamus. Ergo finis, non initium hic notatur.

6. *Nonne divites.* Videtur instigare ad vindictam, dum in medium adducit iniustam dominationem divitum, ut, qui ab illis iniuste tractantur, par pari referant; atqui ubique iubemur, inimicis, qui nobis infesti sunt, benefacere. Verum aliud est Iacobi consilium. Nam tantum ostendere vult, ratione carere et iudicio, qui suos carnifices ambitiose honorant; ac interea iniurii sunt hominibus sibi amicis, vel saltem a quibus nunquam laesi sunt. Nam hinc melius apparet vanitas, quod nullis beneficiis provocati ideo tantum mirantur divites, quia divites sunt; imo quos suo damno iniustos et crudeles sentiunt, iis serviliter blandiuntur. Sunt quidem ex divitibus nonnulli aequi et modesti, et ab omni iniustitia abhorrentes; sed pauci tales reperiuntur. Quod ergo ut plurimum accidere solet, et quasi quotidiano usu compertum est, refert Iacobus. Quia enim homines fere vires suas experiuntur nocendo: inde fit, ut, quo plus quisque potest, eo sit deterior, et in proximos iniquior. Quo intentius sibi divites cavere debent, na quid ex hac contagione, quae passim grassatur in eorum ordine, contrahant.

7. *Bonum nomen.* Non dubito, quin Dei at Christi nomen intelligat. *Invocari* autem dicit super fideles, non in precibus, ut aliquando scriptura loqui solet, sed ratione professionis, quemadmodum patris nomen super sobolem invocari dicitur, Genes. 48, 16., et mariti nomen super uxorem, Ies. 4, 1. Idem ergo est, acsi dixisset: Bonum nomen, quo gloriamini, vel quo censi vultis, honoris causa. Quod si illi Dei gloriam superbe infamant: quam indigni sunt, quibus honorem impendant Christiani?

8. Si legem quidem regiam perficitis, iuxta scripturam (*Levit. 19, 18. Matth. 22, 39. Marc. 12, 31. Rom. 13, 9. Galat. 5, 14.*): Diliges proximum tuum sicut te ipsum: benefacitis. 9. (*Levit. 19, 15. Deut. 1, 17. et 16, 19.*): Sin personam respicitis, peccatum committitis, et redarguimini a lege, veluti transgressores. 10. Quisquis enim totam legem servaverit, offenderit autem in uno, factus est omnium reus. 11. Nam qui dixit: Ne moecheris, dixit etiam: Ne occidas; quod si non fueris moechatus, occideris tamen, factus es transgressor legis.

Sequitur nunc plenior declaratio. Causam enim proximae reprehensionis aperte designat, quia non ex caritate iu divites officiosi essent, sed potius inani captandae gratiae studio. Est autem prolepsis, in qua adversae partis excusationem occupat. Poterant enim excipere, non esse culpandum, qui se humiliter etiam indignis submittit. Concedit quidem Iacobus, id verum esse; sed ab illis falso preetexti docet, quia tale obsequium non proximis, sed personis exhibeant. Priore, inquam, membro, recta et laude digna esse, agnoscit, quaecunque caritatis officia in proximos conferimus. Altero negat, ambitiosam personarum acceptionem in eo genere debere censi, quia a legis regula multum absit. Huius autem responsionis cardo in nominibus *proximi et personae* vertitur, acsi diceret: Si obtenditis facto vestro caritatis speciem, facile id diluetur. Deus enim proximos iubet diligere, non eligere personas. Porro haec vox *proximi*, totum hominum genus comprehendit. Qui igitur pauculos suo arbitrio, aliis praeteritis, colendos sibi proponit, non Dei legem servet, sed pravo animi sui studio obsequitur. Nominetim Deus et alienos, et inimicos, et quicumque alioqui essent contemptibiles, nobis commendat. Huic doctrinae prorsus contraria est personarum acceptio. Quare merito Iacobus cum caritate pugnare *προσωποληψίαν* affirmat.

8. *Legem regiam perficitis.* Legem pro regula in principio sententiae simpliciter accipio; *perficere* autem pro sincera animi integritate et rotunde (ut aiunt) servare. Opponit autem partiali quorundam observantiae. *Regia lex* (meo iudicio) dicitur, ut via regia, plena scilicet, recta et aequabilis, quae sinuosis diverticulis vel ambagibus tacite opponitur. Secundo loco, quum eos dicit *redargui a lege*, qui personas accipiunt, lex in propria significatione capitur. Nam quum Dei mandato iubeamur universos mortales amplecti: quisquis, paucis exceptis, alios omnes reiicit, et interim melioribus praefert maxime indignos, quum Dei vinculum abrumpat, non minus quam ordinem invertat: merito vocandus est legis transgressor.

10. *Quisquis enim totam legem.* Hoc tantum sibi vult, Deum nolle cum exceptione coli, naque ita partiri nobiscum, ut nobis liceat, si quid minus adlubescit, ex eius lege resecare. Dura primo aspectu haec sententia videtur quibusdam, quasi Stoicorum para-

doxo, peccata omnia aequalia facienti, subscriberet, ac peraeque puniendum esse assereret, qui una tantum in re deliquit, acsi tota vita nequam et sceleratus fuisset. Sed nihil tale apostolo in mentem venisse, ex contextu liquet. Semper enim, cur quidque dicatur, notandum est. Proximos negat diligi, quum pars tantum aliqua ambitiose eligitur, aliis neglectis. Hoc probat, quia non sit erga Deum obedientia, ubi non est aequabile obsequendi studium, quod Dei mandato respondeat. Ergo sicuti simplex ac integra est Dei regula: ita nos integritatem afferre convenit, ne quis nostrum, quae coniungit ille, perperam separet. Adsit ergo aequabilitas, si velimus rite obedire Deo. Exempli gratia, si quis iudex decem furta puniat, unum relinquit impunitum: hinc prodit obliquam animi sui pravitatem, quod hominibus magis quam sceleribus infensus fuerit. Nam quod in altero damnat, in altero absolvit. Tenemus nunc Iacobi consilium, nempe, si ex lege Dei rescindimus, quod nobis minus erit commodum: etiamsi in aliis partibus nos praebemus obsequentes, nos fieri omnium reos, quia totam legem violamus in uno capite. Quamquam autem hoc dictum ad praesentis causae circumstantiam accommodat: sumptum est tamen ex generali principio, quod Deus regulam vivendi nobis praescrisit, quam a nobis lacerrari fas non est. Neque enim de aliqua legis parte hoc dicitur: Haec est via: ambulate in ea; nec mercedem lex nisi universali obedientiae promittit. Stulte itaque scholastici, qui partialem (ut vocant) iustitiam pro meritoria reputant. Atqui tam hio locus quam alii complures clare demonstrant, nullam esse iustitiam nisi in perfecta legis observatione.

11. *Nam qui dixit.* Probatio superioris sententiae: quia considerandus sit potius legislator, quam singula seorsum praecepta. Iustitia Dei quasi individuum corpus lege continetur. Quisquis ergo caput unum legis transgreditur, Dei iustitiam, quantum in se est, labefacit. Deinde ut in una parte, ita in singulis obedientiam nostram experiri vult Deus. Quare transgressor est legis, quisquis in ullo mandato offendit, secundum illud (Deut. 27, 26.): Maledictus, qui non impleverit omnia. Videmus porro, ut transgressor legis, et omnium reus, idem Iacobo significant.

12. Sic loquimini, et sic facite, ut per legem libertatis iudicandi. 13. Iudicium enim sine misericordia ei, qui non praestiterit misericordiam, et gloriatur misericordia adversus iudicium.

12. *Sic loquimini.* Quia nimium sibi blandiebantur: revocat eos ad legitimum tribunal. Nam ideo se absolvunt homines sua opinione, quia se divinae legis iudicio subtrahunt. Admonet igitur, illuc facta omnia et dicta exigenda esse, quia Deus ex lege sua iudicaturus sit mundum. Quia tamen immodicum terrorem incutere poterat talis denuntiatio: corrigit vel mitigat duritiam, quam addit: *legem libertatis.* Audimus enim, quid dicat Paulus (Gal. 3, 10.), quicumque scilicet sub lege sunt, maledictioni esse obnoxios. Quare iudicium legis per se reatus erit mortis aeternae. Verum nomine *libertatis* a legis rigore nos liberari significat. Hic sensus non male quadrat, quamquam, si quis propius expendat, quod mox sequitur, videtur Iacobus aliud quiddam velle, acsi dixisset: Nisi legis rigorem subire vultis, ne sitis in proximos nimis rigidi. Lex enim libertatis tantumdem valet atque Dei clementia, quae nos a legis maledictione liberat. Atque ita uno contextu haec legenda erunt cum sequentibus, ubi de iuvandis pauperibus disseret.



13. *Judicium enim.* Applicatio est proximae sententiae ad praesens institutum, si modo secundam, quam attuli, expositionem sequi libet. Docet enim, quoniam sola Dei misericordia stamus, eam debere nos praestare eis, quos Dominus ipse nobis commendat. Haec vero singularis est humanitatis et beneficentiae commendatio, quod Deum nobis fore misericordem pollicetur, si fratribus tales fuerimus. Non quod Dei misericordiam promereatur haec nostra qualiscunque, qua prosequimur homines; sed quos Deus adoptavit, ut illis sit indulgens ac facilis pater, eos vult imaginem suam in terra gestare ac referre, iuxta illud Christi (Luc. 6, 36.): Estote misericordes, sicut pater vester coelestis etc. Notandum ex adverso, quod nihil durius aut magis horrendum Dei iudicio potest denuntiare. Unde sequitur, plus quam miseros esse ac perditos, quicunque ad veniae asylum non confugiunt. *Et gloriatur.* Ac si diceret: Sola est Dei misericordia, quae nos a iudicii formidine liberat. *Gloriari* enim accipit pro victricem aut superiore esse. Iudicium enim damnationis toti mundo incumbit, nisi misericordia subveniat. Dura et coacta est expositio eorum, qui personam sub rei nomine designari volunt. Neque enim proprie gloriatur homo adversus Dei iudicium, sed ipsa Dei misericordia quodammodo triumphum agit, et sola regnum obtinet, quum cessat iudicii severitas.

14. Quid prodest, fratres mei, si fidem dicat aliquis se habere, opera autem non habeat? Num quid potest fides salvum facere ipsum? 15. Quod si frater aut soror nudi fuerint, et egentes quotidiano victu; 16. Dicat autem aliquis vestrum illis: Abite cum pace, calescite et saturamini; non tamen dederitis illis, quae sunt necessaria corpori: quae utilitas? 17. Sic et fides, si opera non habuerit, mortua est per se.

14. *Quid prodest.* Pergit in commendanda misericordia. Quoniam autem Deum fore nobis severum et simul formidabilem iudicem minatus fuerat, nisi humani et misericordes simus erga proximos; contra vero excipiebant hypocritae, sufficere nobis fidem, in qua sita est hominum salus; nunc in illam inanem iactantiam invenitur. Summa igitur est, fidem sine caritate nihil conducere, adeoque penitus esse mortuam. Sed hic oritur quaestio, an separari a caritate possit fides. Et sane perversa huius loci expositio tritam illam apud sophistas distinctionem peperit fidei informis et formatae. Atqui nihil tale Iacobus cogitavit; nam ipsum de falsa professione loqui, ex primis verbis constat. Neque enim sic incipit: Si fidem quis habeat; sed: Si quis se habere dicat. Quo certe innuit, iactare hypocritas inane fidei nomen, quod re ipsa minime in eos competit. Ergo quod ipse quoque *fidem* appellat, concessio est, ut rhetores vocant. Nam ubi in rem duntaxat insistimus, nihil nocet, imo expedit interdum causae, adversario verbum concedere, quod postulat, quia statim re cognita verbum quoque facile illi excutitur. Iacobus ergo, quia satis habebat, falsum illum praetextum, quo se tegebant hypocritae, refellere, de verbo controversiam movere noluit. Meminerimus tamen eum non ex proprio animi sensu loqui, quoties hic fidem nominat; sed potius adversus eos disputare, qui fidem, qua prorsus carent, falso praetendunt. *Num quid potest fides.* Hoc tantundem valet, ac si dixisset, nos frigida et nuda Dei notitia salutem minime consequi; quod verissimum esse omnes fatentur. Ideo enim nobis salus ex fide, quia nos Deo coniungit. Hoc autem non aliter fit, quam dum inserimur in corpus

Christi, ut eius spiritu viventes ab eo quoque gubernemur. Nihil tale est in hoc mortuo fidei simulacro: quare non mirum est, si salutis effectum Iacobus illi adimit.

15. *Quod si frater.* Exemplum e re praesenti sumit. Hortatur enim, ut dictum est, ad caritatis officia. Si quis contra gloriatur, fide se absque operibus contentum esse: umbratilem hanc fidem orationi comparat, quae hominem famelicum saturari iubet, nec tamen cibum, quo destituitur, suppeditat. Quemadmodum ergo pauperem ludibrio habet, qui verbis illum amandat, nec quicquam affert opis: ita Deo illudunt, qui vitam sibi fingunt operibus et quovis pietatis officio vacuam.

17. *Mortua est per se.* Fidem per se mortuam dicit, quae bonis operibus vacua est. Unde colligimus, ne fidem quidem esse, quia, ubi mortua est, propriae nomen non retinet. Voculam hanc urgent sophistae, quod fides ergo per se aliqua reperitur; sed nullo negotio refellitur tam frivola cavillatio, quum satis liqueat, apostolum ab impossibili ratiocinari, sicuti Paulus (Galat. 1, 8.) angelum vocat anathema, qui evangelium subvertere tentabat.

18. *Quin dicit quispiam:* Tu fidem habes, et ego opera habeo: ostende mihi fidem tuam sine operibus (alias *ex operibus*) tuis, et ego tibi ex operibus meis ostendam fidem meam. 19. Tu credis, quod Deus unus est. Bene facis; et daemones credunt, ac contremiscunt.

18. *Quin dices etc.* Quod Erasmus duos hic colloquentes inducit, quorum alter fidem operibus carentem iactet, alter opera absque fide, eo tandem ambos medio apostoli responso refelli putat, mihi videtur esse nimis coactum. Absurdum esse putat, hoc dici in persona Iacobi: *tu fidem habes*, qui nullam sine operibus fidem agnoscit. Sed multum in eo fallitur, quod ipse *εἰσφέρει* in his verbis non agnoscit. Proinde ἀλλά accipio pro *quin potius*, et τίς pro *quolibet*, ut refellatur stulta eorum gloriatio, qui fidem se habere imaginantur, quum fideles se vita prodant. Nam Iacobus dicit, promptum fore piei omnibus sancte viventibus, excutere hypocritis talem iactantiam, qua inflati sunt. *Ostende mihi.* Tametsi magis recepta apud Graecos lectio est: *ex operibus*: melius tamen vetus Latina convenit, quae in nonnullis Graecis exemplaribus legitur. Itaque eam praeferre non dubitavi. Ergo quod fidem sine operibus ostendere iubet, ab impossibili argumentatur, ut nullam esse probet. Ita loquutio est *εἰσφέρειν*. Quod si quis tamen diversam lectionem sequi malit, eodem recidet: *Ostende mihi ex operibus fidem*, quia, quum res otiosa non sit, operibus comprobari necesse est. Sensus ergo est: Nisi fructus proferas tuae fidei, nego te ullam habere. Verum quaeri potest, an externa vitae probitas, certa sit fidei demonstratio. Dicit enim Iacobus: *ostendam tibi ex operibus*. Respondeo, infideles quoque interdum excellere speciosis virtutibus, vel honestam vitam procul crimine degere: ideoque opera in speciem praeclara a fide posse separari. Neque vero Iacobus contendit, quisquis probus appareat, fidem protinus habere. Hoc tantum vult, fidem sine honorum operum testimonio frustra praedicari, quia ex viva radice bonae arboris semper prodeant fructus.

19. *Credis, quod Deus est.* Ex hoc uno verbo abunde constat, totam hanc disputationem de fide non haberi, sed de vulgari Dei notitia, quae hominem Deo nihilo plus coniungit, quam solis aspectus evehit in coelum. Fide autem nos Deo appropinquare certum est. Praeterea ridiculum erit, si quis diabolos habere fidem dicat.

Atqui eos hac in parte Iacobus hypocritis praefert *Contremiscit* diabolus, inquit, ad Dei mentionem, quia, iudicem suum quum agnoscat, timore eius afficitur. Ergo qui Deum agnitum contemnit, aliquanto deterior est. *Benefacis* hic positum est extenuandi causa, acsi dixisset: Hoc scilicet magnum est, infra diabolos subsidere.

20. Vis autem scire, o homo inanis, quod fides absque operibus mortua sit? 21. Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, quum obtulit filium suum Isaac super altare? 22. Vides, quod fides cooperata fuerit eius operibus, et ex operibus fides perfecta fuerit? 23. Atque impleta fuerit scriptura, quae dicit (*Genes. 15, 6.*): Creditit Abraham Deo, et imputatum illi fuit in iustitiam, et amicus Dei vocatus est. 24. Videtis igitur, quod ex operibus iustificatur homo, et non ex fide solum. 25. Similiter et Rahab meretrix nonne ex operibus iustificata est, quum excepit nuntios, et alia via eiecit? 26. Quemadmodum enim corpus sine anima mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.

20. *Vis autem scire.* Tenendus est hic quaestionis status. Neque enim hic disceptatio est de iustificationis causa; sed tantum quid valeat, et quo loco habenda sit fidei professio sine operibus. Perperam igitur faciunt, qui hoc testimonio probare contendunt, operibus iustificari hominem, quia nihil tale voluit Iacobus. Nam probationes, quas subiicit, ad hanc sententiam referendae sunt, quod nulla sit, vel saltem mortua, absque operibus fides. Nemo enim nunquam intelliget, quod dicatur, nec prudenter de verbis iudicabit, nisi qui perspectum habebit scriptoris consilium.

21. *Nonne Abraham.* Arripiunt sophistae vocem iustificandi; deinde quasi victores clamitant, partem iustitiae in operibus esse positam. Atqui sana interpretatio ex circumstantia praesentis loci petenda erat. Diximus autem, Iacobum hic non tractare, unde aut quomodo iustitiam homines consequantur; et hoc cuius planum est; sed hoc tantum intendere, bona opera cum fide perpetuo esse coniuncta: ideoque quum pronuntiat *Abraham fide iustificatum*, de approbatione iustitiae loquitur. Ergo quum sophistae Iacobum Paulo opponunt, hallucinantur in ambigua significatione nominis, quia Paulus, quum fide iustificari nos tradit, nihil aliud significat quam nos obtinere, ut iusti coram Deo censeamur. Iacobus autem longe alio spectat, nempe ut, qui fidelem se profitetur, fidei suae veritatem operibus demonstret. Certe Iacobus hic docere non voluit, ubi quiescere debeat salutis fiducia; in quo uno insistit Paulus. Ergo ne in paralogismum incidamus, qui sophistas fefellit, notanda est haec amphibologia, iustificandi verbum Paulo esse gratuitam iustitiae imputationem apud Dei tribunal; Iacobo autem esse demonstrationem iustitiae ab effectis, idque apud homines, quemadmodum ex superioribus verbis colligere licet: *Ostende mihi fidem tuam etc.* Hoc sensu fatemur, sine controversia iustificari hominem operibus, quemadmodum si quis hominem magni et pretiosi fundi emptione ditatum esse dicat, quia eius divitiae, quae prins occultae in arca clausa latebant, innotuerint. Quum *fidem* dicit *cooperatam fuisse operibus*, et ex illis perfectam: iterum ostendit, non esse hic quaestionem de salutis nostrae causa, sed utrum opera necessario fidem comitentur. Nam hoc sensu dicitur cooperata fuisse operibus, quia otiosa non

fuit. Dicitur ex operibus fuisse perfecta, non quod inde suam perfectionem accipiat, sed quod vera esse inde comprobetur. Nam quod ex his verbis sophistae putidam suam distinctionem fidei formatae et informis eliciunt, longa refutatione non indiget. Formata enim adeoque expolita erat Abrahae fides ante filii immolationem. Opus autem illud non fuit quasi extrema manus, quoniam multa deinde sequuta sunt, quibus fidei suae incrementa monstravit Abraham. Quare neque fuit illa fidei eius perfectio, neque tunc primum formam induit. Nihil itaque aliud intelligit Iacobus, quam eius integritatem inde constituisse, quod praeclarum illum obedientiae fructum edidit.

23. *Impleta fuit scriptura.* Qui opera Abrahae in iustitiam fuisse imputata Iacobi testimonio probare volunt, scripturam ab eo male torqueri fateantur necesse est. Nam quocumque se vertant, nunquam efficient, ut prior sit effectus sua causa. Citatur locus Moysis ex Geneseos cap. 15, 6. Imputatio iustitiae, cuius Moses illic meminit, plus triginta annis praecessit opus illud, quo Abraham iustificatum esse volunt. Certe quum annis quindecim ante natum Isaac, fides imputata esset Abrahae in iustitiam, non potuit hoc fieri per illius immolationem. Nodo insolubili constrictos teneo, quicumque iustitiam Abrahae coram Deo imputatam fingunt, quia immolavit filium Isaac, qui nondum natus erat, quum spiritus sanctus pronuntiat, iustum fuisse Abraham. Itaque necessario restat, ut aliquid posterius notari dicamus. Quomodo igitur Iacobus id fuisse impletum dicit? Nempe ostendere vult, qualis illa fuerit fides, quae iustificavit Abraham, non otiosa scilicet aut evanida, sed quae illum Deo reddidit obsequentem, sicuti etiam ad Hebraeos cap. 11, 8. habetur. Conclusio, quae mox additur, quia inde pendet, non alium habet sensum. Non iustificatur homo sola fide, hoc est, nuda et inani cognitione Dei. Iustificatur operibus, hoc est, ex fructibus cognoscitur et approbatur eius iustitia.

25. *Similiter et Rahab.* Videtur absurde facere, qui tam dispares simul copulat. Cur non ex magno potius insignium patrum numero aliquos delegit, quos Abrahae adiungeret? Cur illis omnibus praetulit meretricem? Consulto duas personas tam diversas inter se commisit, quo evidentius monstraret, nullum unquam, cuiuscumque esset vel conditionis, vel gentis, vel ordinis, fuisse absque bonis operibus inter iustos ac fideles habitum. Patriarcham nominavit longe omnium excellentissimum; nunc sub meretricis persona comprehendit omnes, qui, quum alieni essent ab ecclesia, inseruntur. Quisquis ergo iustus censeretur, etiam ut inter infimos locum aliquem habeat, bonis operibus se talem ostendat. Quod Iacobus (suo more) Rahab operibus fuisse iustificatam praedicat; inde colligunt sophistae, nos operum meritis iustitiam consequi. Nos autem negamus, hic de modo consequendae iustitiae esse certamen. Fatemur quidem, requiri ad iustitiam bona opera; tantum illis vim conferendae iustitiae detrahimus, quia stare coram Dei tribunali nequeunt.

## CAP. III.

1. Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes, quod maius iudicium sumpturi simus. 2. In multis enim labimur omnes. Si quis in sermone non labitur, hic perfectus est vir, ut qui possit freno moderari totum etiam corpus. 3. Ecce equis frena in ora iniicimus, ut obediant nobis, et totum illorum corpus circumagimus. 4. Ecce etiam naves, quum tantae sint, et a saevis ventis pulsantur, circumaguntur a minimo gubernaculo, quocumque affectus dirigentis voluerit. 5. Ita et lingua pusillum membrum est, et magna iactat.

1. *Plures magistri.* Communis et fere recepta huius loci interpretatio est, quod deterreat a munere docendi appetendo, idque ea ratione, quia periculosum sit, et gravi Dei iudicio obnoxium, si quis in eo delinquat. Putant autem dixisse, *ne multi vel plures sitis*, quia aliquos esse oportet. Ego vero *magistros* intelligo, non qui publico munere funguntur in ecclesia; sed qui sibi ius censorum in alios usurpant. Tales enim reprehensores, quasi magistri morum haberi volunt. Atque haec loquutio tam Graecis quam Latinis est usitata, *magistros* vocare, qui superciliose in alios animadvertunt. Quod autem multos fieri vetat, ideo est, quia se passim multi ingerunt. Est enim hic quasi ingenitus humano ingenio morbus, ex aliorum reprehensione famam captare. Duplex autem in hac parte vitium regnat, quod, quum pauci dexteritate polleant, omnes promiscue in magistrerium irrumpunt. Deinde pauci recto studio ducuntur; potius enim hypocrisis et ambitio eos, quam cura fraternae salutis incitat. Notandum est enim, Iacobum hic non dehortari a fraternis monitionibus, quas spiritus toties et tantopere nobis commendat; sed immodicam illam cupiditatem damnare, quae ex ambitione nascitur ac superbia, dum se quisque adversus proximos effert, dum obloquitur, carpit, mordet, et maligne inquirat, quod in sinistram partem rapiat. Fieri enim solet, ut importuni eiusmodi censores in sectandis aliorum vitiis se insolenter iactent. Ab hac intemperie et arrogancia Iacobus nos revocat. Addit rationem: quia gravius iudicium subituri sint, qui in alios ita sunt severi. Duram enim sibi legem imponit, qui omnium dicta et facta ad summum rigorem exigit, nec veniam meretur, qui nemini parcere sustinet. Sententia diligenter notanda, Dei severitatem in se provocare, qui in fratres nimium sunt rigidi.

2. *In multis enim labimur.* Potest hoc accipi per concessionem dictum, acsi ita dixisset: Esto, tu in fratribus invenis, quod culpes; nemo enim immunis est a vitiis, imo singuli pluribus vitiis laborant; sed putasse, te perfectum esse cum maledica et virulenta lingua? Mihi tamen potius videtur Iacobus hoc argumento nos hortari ad mansuetudinem: quia simus ipsi quoque multis infirmitatibus circumdati. Inique enim facit, qui veniam, qua opus habet, aliis negat. Sic etiam Paulus, quum lapsos corrigi iubet clementer et in spiritu lenitatis, statim addit (Galat. 6, 1.): Considerans te ipsum, ne et tu tenteris. Nihil enim est, quod magis ad temperandum nimium rigorem valeat, quam infirmitatis nostrae agnitio. *Si quis in sermone.* Postquam neminem esse dixit, qui non variis modis peccet: iam ostendit morbum obloquendi prae aliis peccatis odiosum esse. Nam quod dicit *perfectum esse*, qui lingua non labitur: significat conti-

mentiam linguae virtutem esse aximiam, unamque ex praecipuis. Quara nimis perverse faciunt, qui, minima quaeque vitia curiose excutientes, in tam crasso sibi indulgent. Proinde eleganter hic perstringit censorum hypocrisin, quia in suo examine, quod praecipuum arat, maximique momenti, omittunt, maledicentiam scilicet. Nam qui alios castigant, zelum prae se ferunt perfectae sanctitatis. Atqui e lingua incipere dabebant, si vellent perfecti esse. Quum autem nullam frenandae linguae rationem habeant, quin potius alios mordendo et lacerando venditent fictam sanctimoniam: hinc patet, maxime omnium essa reprehensibiles, quia primam virtutem negligant. Haec connexio mentem apostoli nobis planam reddit.

3. *Ecce equis.* Duobus istis similibus probat magnum verae perfectionis momentum esse in lingua, eamque (ut nuper dixit) in tota vita regnum obtinere. Primum linguam freno comparat; deinde navis gubernaculo. Si equus tam ferox animal ad sessoris arbitrium circumagitur, quia frenatus est, non minus in homine ragendo poterit lingua. Ita et da navis gubernaculo habendum est, quod totam eius molem una cum ventorum impatu superat. Lingua igitur, tametsi pusillum sit membrum, plurimum tamen in vita hominis moderanda pollet. *Μεγαλαυχίην* Graecis iactare se ac venditara significat; sed Iacobus hoc loco non tam ostentationem taxare voluit quam dicere, linguam esse magnarum rerum effectricem. Postremum enim hoc membrum priores similitudines accommodat praesenti instituto. Freno autem at gubernaculo non conveniret inanis iactantia. Significat ergo linguam magna vi pollere. *Affectum dirigentis* verti, ubi Erasmus impetum transtulit, quia *ὄρη* appetitum significat. Fa-teor quidem, hac voce notari apud Graecos cupiditates, quae rationi non obtemperant; sed hic Iacobus simpliciter de arbitrio nau-clarari agit.

Ecce exiguus ignis quantam silvam incendit: 6. Et lingua ignis est, et mundus iniquitatis. Sic, inquam, lingua constituta est in membris nostris, inquinans totum corpus, et inflammans rotam nativitatis, et inflammatur a gehenna.

Nunc exponit incommoda, quae ex linguae intemperantia pro-veniunt, ut sciamus, linguam multum in utramque partem valere. Ideo si modesta sit ac bene composita, essa totius vitae frenum; si vero petulans et improba, quasi uno incendio omnia corripere. *Exiguum ignem* ponit, ut significet, non obstare linguae suam parvitatem, quominus vis eius longa lateque pateat ad nocendum. Quum addit, *mundum esse iniquitatis*, perinde est, acsi vocarat mare vel abyssum. Et eleganter linguae parvitatem cum immensa mundi magnitudine coniungit, hoc sensu: Exilis carunculae portio totum iniquitatis mundum in se continet.

6. *Sic, inquam, lingua.* Exponit, quid sibi voluerit per *mundi* nomen: quia scilicet in omnes vitae partes diffunditur illius contagio. Vel potius ostendit, quid per incendii metaphoram intellexerit, nempe quod inquinat totum hominem. Mox tamen redit ad illud incendium, quum dicit: *Accendi a lingua rotam nativitatis nostrae.* Ac humanae quidem vitae cursum *rotae* comparat. *Γένειον*, quemadmodum prius, pro natura accipit. Sensus autem est, quum alia vitia vel aetate vel temporis successu corrigantur, vel saltem non occupant totum hominem, vitium linguae spargi ac grassari per omnes vitae partes. Nisi forte *inflammationem* pro violento impulsu accipere quis malit, quia fervidum vocamus, quod rapitur cum violentia. Et sic da rotis loquutus est Horatius; fervidas enim in cartamine curruli

appellat ob rapidam caleritatem. Ita sensus esset, linguam similem esse equis indomitis, quia hominem, sicuti illi currum, praecipitem sua potervia rapiat. Quum a *gehenna* dicit *inflammari*, perinde est, acsi diceret, linguae intemperantiam esse flammam ignis inferni. Quemadmodum enim profani poetae fingunt sceleratos afflari furiarum facibus: ita verum est, Satanam tentationum flabellis maiorum omnium ignem in mundo accendere; sed Iacobus significat ignem, a Satana immissum, a lingua facillime concipi, ut protinus ardeat. Breviter idoneam essa faciendo, fovendo et augendo gehennae igni materiam.

7. Omnis enim natura ferarum et volucrum et serpentum et marinorum, a natura humana domatur, et domita est; 8. Linguam vero nullus hominum domare potest, incoercibile malum, plena veneno mortifero. 9. Per ipsam benedicimus Deum et patrem, et per ipsam exsecramur homines ad similitudinem eius factos. 10. Ex eodem ore procedit benedictio et maledictio. Non convenit, fratres mei, haec ita fieri. 11. An fons ex eodem foramine eiicit dulce et amarum? 12. Non potest, fratres mei, ficus oleas proferre, aut vitis ficus: sic nullus fons salsam et dulcem gignere aquam.

7. *Omnis enim.* Confirmatio est proximi membri. Nam in lingua Satanam mira quadam efficacia regnare ex eo probat, quod nullis modis in ordinem cogi potest, idque adductis comparisonibus amplificat. Nullum enim tam saavum aut violentum animal esse dicit, quod non dometur hominum industria. Pisces, qui alium quodammodo orbem incolunt; aves, quae tam mobiles sunt ac vagae; adeoque serpentes generis humani inimicos, interdum cicurari. Ergo quum lingua cohiberi nequeat, arcanum quendam gehennae ignem illic subessa ac latere oportet. Quod de feris belluis, serpentibus, aliisque tradit, non est de omnibus intelligendum; satis est, quod ex ferocissimis bestiis quasdam hominum ars subegit in obsequium, similiter quod serpentes interdum cicurantur. Ideo utroque tempore usus est, praesenti et praeterito. Praesens quidam potentiam significat et facultatem; praeteritum vero usum vel experientiam. Merito hinc concludit, plenam esse linguam mortifero veneno. Etsi autem haec omnia primo loco ad circumstantiam praesentis loci referre convenit, quod nimis praepostere in alios magisterium sibi usurpent, qui laborant deterrimo vitio: tenenda tamen est simul doctrina universalis, si vitam recta componere volumus, corrigendae linguae summam operam essa dandam, quia nulla pars hominis est nocentior.

9. *Per ipsam benedicimus.* Hoc mortiferi veneni luculentum est specimen, quod prodigiosa levitate se ita transfiguratur. Nam quum simulet Deo se benedicere, protinus illum in imagine sua exsecratur, nempe dum homines maledicit. Nam si benedicendus est Deus in universis operibus suis, id praesertim valere in hominibus debet, in quibus peculiariter reluctat imago eius et gloria. Hypocrisis igitur non ferenda est, quum saudem linguam vertit homo in Dei laudem et execrationem hominum. Proinde nulla potest esse Dei invocatio, et laudes eius cessare necesse est, ubi regnat maledictio. Haec enim impia est nominis Dei profanatio, quum lingua in fratres virulenta ipsum sub laudis specie usurpat. Quare ut rite illum laudemus,

corrigen- dum est in primis maledicentiae adversus proximos vitium. Interim tenenda quoque est particularis doctrina, virulentiam suam detegere austeros istos censores, qui, postquam suaviter Deum laudaverunt, subito evomunt adversus fratres, quicquid fingi potest maledictionum. Si quis obiciat, deletam Adae peccato fuisse Dei imaginem in humana natura: fatendum quidem est, fuisse misere deformatam, sed ita, ut lineamenta adhuc quaedam appareant. Iustitia et rectitudo, bonique appetendi libertas sublata est; sed manent praeclarae multae dotes, quibus bestias praecellimus. Ergo qui Deum vere colit atque honorat, in hominem contumeliosus esse verebitur.

11. *An fons.* Similitudines istas adducit, ut ostendat, linguam maledicam portentum quoddam esse, alienum a tota natura, et quod ordinem a Deo ubique positum evertit. Nam quae contraria sunt, Deus sic distinxit, ut res inanimatae nos a confusa permistione, quae est in lingua duplici, abstertere debeant.

13. Quis sapiens et intelligens inter vos? Ostendat ex honesta conversatione opera sua in mansuetudine sapientiae. 14. Si vero aemulationem amaram habetis, et contentionem in corde vestro, ne gloriemini, et mentiamini adversus veritatem. 15. Non est haec sapientia de sursum veniens, sed terrestris, animalis, daemoniaca. 16. Ubi enim aemulatio et contentio, ibi perturbatio, et omne pravum opus. 17. Quae autem e sursum est sapientia, primum pura est, deinde pacata, aequa, comis, plena misericordiae et bonorum operum, sine disquisitione, sine simulatione. 18. Fructus autem iustitiae in pace seminatur facientibus pacem.

13. *Quis sapiens.* Quoniam maledicendi libido ex superbia fere nascitur; superbiam autem ut plurimum generat falsa persuasio sapientiae: ideo de sapientia hio loquitur. Solenne est hypocritis efferre se ac iactare, omnes criminando. Qualiter multi olim ex philosophis gloriam ex amarulenta ordinum omnium insectatione captabant. Talem factum, quo turgent et excaecati sunt maledici homines, retundit Iacobus, quum sapientiae opinionem, qui sibi placent, quicquam divinum habere negat; sed potius esse ex diabolo contendit. Sensus est igitur: Superciliosi isti censores, qui sibi large indulgent, praeterea nemini parcunt, videntur sibi prae aliis sapere; sed multum falluntur. Nam aliter prorsus suos instituit Dominus, nempe ut mansueti sint et humani erga alios. Soli igitur vere coram Deo sapiunt, qui hanc mansuetudinem coniungunt cum honesta conversatione; nam qui truces sunt ac inexorabiles, etiamsi alias multis virtutibus polleant, non tenent iustam sapiendi rationem.

14. *Si aemulationem amaram.* Notat fructus, qui ex nimia austeritate nascuntur, quae mansuetudini est contraria. Necesse est enim, ut immodicus rigor pravas aemulationes gignat, quae in contentionem mox erumpunt. Impropria quidem loquitur, dum in corde contentiones locat; sed hoc ad sensum nihil aut parum refert. Nam fontem istorum malorum indicare voluit, pravum cordis affectum. *Aemulationem dixit amaram,* quia non regnat, nisi dum animi veneno malignitatis infecti sunt, ut omnia in amarulentiam convertant. Ergo ut vere gloriemur, nos esse Dei filios, iubet nos placide et modeste agere cum fratribus; alioqui mentiri nos pronuntiat, dum Chri-



stianum nomen iactamus. Caeterum non abs re aemulationi sociam addidit *contentionem*, quia ex malignitate et invidia certamina et rixae semper ebulliunt.

15. *Non est haec sapientia.* Quia difficulter cedunt hypocritae: fastum eorum acriter retundit, negans veram esse sapientiam, qua turgent, dum in excutiendis aliorum vitiis nimis sunt morosi. Nomen tamen *sapientiae* illis concedens, epithetis demonstrat, qualis sit, nempe terrestris, animalis, daemoniaca, quum veram oporteat esse coelestem, spiritualem, divinam; quae tria illis prioribus directe sunt opposita. Sumit enim pro confesso Iacobus, non aliter nos sapere, quam si coelitus a Deo per spiritum simus illuminati. Ergo quaquaversum se extendat mens hominis, tota eius perspicacia erit vanitas, neque id modo, sed tandem Satanae praestigii implicita, pessime delirabit. Anima hic spiritui opponitur, sicuti I. Corinth. cap. 2, 14., quum dicit Paulus, animale hominem non capere, quae sunt Dei. Nec magis deiici poterat hominis superbia, quam dum ita damnatur, quicquid sapientiae habet ex sua ipsius anima sine Dei spiritu, imo dum ab eius anima fit transitus ad daemonem. Perinde enim hoc valet, acsi diceretur, homines, dum sequuntur proprium sensum, mox delabi ad Satanae imposturas.

16. *Ubi enim aemulatio.* Argumentum est a repugnantibus; nam aemulatio, qua incitantur hypocritae, contrarios sapientiae effectus parit. Sapientia enim requirit statum mentis bene compositum; aemulatio autem eum perturbat, ut secum ipsa quodammodo tumultuetur, et sine modo in alios effervescat. Alii *axatavrotav* vertunt inconstantiam, et interdum hoc significat. Sed quum sit etiam seditio et tumultus, nomen perturbationis aptius praesenti loco visum est. Gravius enim quiddam exprimere Iacobus voluit, quam levitatem, nempe quod malignus et obtrectator, quasi extra se ipsum esset, confuse et perperam agit omnia. Ideo addit: *Omne opus primum.*

17. *Quae autem e sursum est.* Nunc effectus coelestis sapientiae prioribus contrarios enumerat. Primo dicit esse *puram*; quo epitheto excluditur hypocrisis et ambitio. Secundo vocat *pacatam*, ut significet, alienam esse a contentione. Tertio vocat *aequam* vel humanam, ut sciamus, procul distare ab immodica austeritate, quae nihil in fratribus tolerat. Vocat *comem* ac tractabilem, quo significat abhorre a superbia et malignitate. Postremo *plenam* esse misericordiam docet, quum hypocritae inhumani sint et inexorabiles. Per *fructus bonos* generaliter omnia officia designat, quae benevoli homines fratribus impendunt, acsi uno verbo dixisset: plenam beneficentiae. Hinc sequitur, mentiri eos, qui tetrica austeritate gloriantur. Tametsi autem, quum *puram* vel sinceram dixerat, satis damnaverit hypocrisis: clarius tamen iterum in fine repetit. Unde admonemur, non alia de causa esse nos ultra modum morosos, nisi quia nimium nobis parcimus, et connivemus ad propria vitia. Sed hoc absurdum videri posset, quod vult esse *sine diiudicatione*. Neque enim spiritus Dei, boni et mali tollit discrimen; neque ita nos reddit socordes, ut iudicio destituti, vitium pro virtute laudemus. Respondeo, Iacobum hio *diiudicationis* verbo nimis anxiam ac scrupulosam inquisitionem notare, qualem fere in hypocritis cernere licet, qui, dum nimis exacte inquirunt in fratrum dicta et facta, nihil non in sinistram partem rapiunt.

19. *Fructus autem iustitiae.* Duplex esse sensus potest, vel quod pacificis seminatur fructus, quem postea colligant, vel quod ipsi etiamsi multa in proximis modeste tolerant, non tamen desinunt iustitiam serere. Est autem anticipatio. Nam qui obtrectandi libidine

ad maledicendum feruntur, habent semper hunc praetextum. Quid? ergone malum nostra facilitate fovebimus? Dicit itaque Iacobus, qui vere ex Deo sapiunt, ita esse aequos, modestos, placidos, misericordes, ut non tamen dissimulent vitia, neque illis faveant; sed potius corrigere studeant, modo in pace, hoc est, tali moderatione adhibita, ut unitas salva maneat. Atque hoc modo testatur, minime huc spectare, quae haecenus dixit, ut e medio tollantur placidae reprehensiones; sed ne carnifices sint, qui vitiorum medici haberi volunt. Proinde *facientibus pacem* est septimus casus, ut vocant grammatici, ac sic revolvitur oratio: Qui pacis studiosi sunt, curam nihilominus habent serendae iustitiae, neque in promovenda et urgenda bonis operibus ignavi sunt aut inutiles; sed zelum suum temperant pacis condimento, quum hypocritae caeco et rabioso impetu omnia perturbent.

## CAP. IV.

1. Unde bella et pugnae inter vos? Nonne hinc, ex voluptatibus vestris, quae militant in membris vestris? 2. Concupiscitis, et non habetis; invidetis, et aemulamini, et non potestis obtinere; pugnat et belligeramini. Non habetis, propterea quod non petitis. 3. Petit, et non accipitis, quia male petit, ut in voluptates vestras insumatis.

1. *Unde bella etc.* Quia de pace tractaverat, et monuerat, sic exterminanda esse vitia, ut pax foveatur: hac occasione descendit ad contentiones, quibus se mutuo vexabant, ac ostendit, eas ex inordinatis potius cupiditatibus emergere, quam ex studio recti. Nam si modum sibi quisque imponeret, non incitarent alii alios. Ergo ex eo, quod impune grassantur libidines, effervent conflictus. Unde apparet, maiorem inter nos pacem futuram, si ab iniuria singuli abstinerent. Sed vitia, quae in nobis regnant, sunt quasi armati satellites ad pugnas concitandas. *Membra* vocat omnes nostri partes. *Voluptates* accipit pro illicitis et libidinis desideriis, quae nisi cum aliorum iniuria satiarum nequeunt.

2. *Concupiscitis, et non habetis.* Videtur significare, inexplebilem esse hominis animum, ubi improbis cupiditatibus indulget. Ac sane ita est; nam qui suos appetitus licenter grassari sinit, nullum unquam habebit concupiscendi modum. Quinetiam si mundus illi daretur, oneret novos sibi creari mundos. Ita fit, ut sibi homines tormenta accersant, quae superent omnium carnificum saevitiam. Nam illud vere ab Horatio dictum est: Invidia Siculi non invenere tyranni Maius tormentum. Ubi quidam codices habent *quovēre*, non dubito, quin legendum sit *quodovēre*, quemadmodum transtuli. Occidendi enim verbum nullo modo aptari potest ad contextum. *Pugnat*. Non intelligit bella et pugnas, quibus inter se exsertis gladiis confligunt homines, sed quamlibet certaminum contentionem, dum quisque aliis oppressis emergere studet. Quod nihil eiusmodi certaminibus proficiunt, in eo pravitate suae poenas dare affirmat. Merito enim frustratur eos Deus, quem non agnoscant honorum auctorem. Nam dum ita illicitis modis contendunt, potius Satanae auspiciis ditari appetunt, quam Dei beneficio. Hic fraude, ille violentia, alius calumniis, omnes malis et sceleratis artibus ad felicitatem nituntur. Felices ergo esse appetunt; sed non ex Deo. Quare non mi-

rum, si retroagantur in suis studiis, quando non nisi a sola Dei benedictione expectandi sunt prosperi successus.

3. *Petitis, et non accipitis.* Ultra progreditur, etiamsi petant, repulsa tamen esse dignos, quia Deum cuperent suarum libidinum ministrum facere. Neque enim votis suis, quale praecipit ille, temperamentum statunt; sed effreni licentia se proficiunt ad ea postulanda, quorum maxime puderet hominem ullum conscium habere. Ridet alicubi Plinius hanc impudentiam, et merito: quod homines Dei auribus tam improbe abutantur. Quo minus toleranda est in Christianis, quibus a coelesti magistro tradita est orandi regula. Et certe nullam apud nos Dei reverentiam, nullum timorem, nullam denique existimationem esse constat, quum ab eo petere audeamus, quae nobis vel conscientia nostra negaret. In summa, hoc vult Iacobus, frenandas esse nostras cupiditates. Hic porro est frenandi modus, si Deo subiectae sint. Deinde quae moderate cupimus, a Deo ipso petenda esse docet: Quod si fiet, a pravis contentionibus, a fraude, a violentia omnique iniuria inter nos abstinebimus.

4. Adulteri et adulterae, an nescitis, quod amicitia mundi, inimicitia Dei est? Qui ergo voluerit amicus esse mundi, inimicus Dei constituitur. 5. An putatis, quod frustra dicat scriptura? An ad invidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis? 6. Quin maiorem dat gratiam.

4. *Adulteri.* Hanc sententiam coniungo cum superioribus. *Adulteros* enim (meo iudicio) metaphoricè appellat, qui huius mundi vanitatibus corrupti a Deo se alienant, acsi degeneres vocaret, aut alio nomine. Scimus, quam frequens sit in scriptura sacri coniugii mentio, quod nobiscum Deus contraxit. Nos itaque vult similes esse castae virgini, quemadmodum Paulus dicit (II. Corinth. 11, 2.). Hanc castitatem violant ac corrumpunt impuri omnes mundi affectus. Quare non sine causa Iacobus adulterio comparat amorem mundi. Qui sine translatione eius verba accipiunt, non satis observant contextum. Pergit enim adhuc invehi in hominum libidines, quae eos mundo implicatis a Deo abduunt, quemadmodum sequitur. *Amicitia mundi.* Amicitiam mundi nominat, quum se homines mundi corruptelis addicunt et mancipant. Tale enim tantumque est mundi cum Deo dissidium, ut, quantum quisque in mundum inclinat, tantundem a Deo alienetur. Ideo toties scriptura renuntiare iubet mundo, si velimus Deo servire.

5. *An putatis.* Videtur proxime sequentem sententiam tamquam ex scriptura adducere. Multum itaque se torquent interpretes; quia nusquam invenitur in scriptura tale, aut saltem affine testimonium. Verum nihil obstat, quominus ad id referatur, quod iam dictum est, mundi scilicet amicitiam adversari Deo. Porro iam dictum est doctrinam esse, quae passim occurrit in scripturis. Quod autem pronomen omisit, quod orationem magis perspicuam reddere poterat, nihil mirum; est enim ubique valde concisus, ut apparet. *An spiritus.* Quidam de hominis anima istud dici putant. Ideo affirmative legunt in hunc sensum, quod hominis spiritus, ut malignus est, ita infectus sit invidia, quosque affectus semper invidiae permisceat. Rectius tamen sentiunt, qui referunt ad Dei spiritum. Ille enim est, qui nobis datus est, ut habitat in nobis. Ego et de spiritu Dei accipio, et interrogative lego hanc sententiam. Probare enim vult, ex quo invident, non regi eos Dei spiritu, quoniam ipse aliter fideles instituat, idque confirmat proximo membro, quum addit, *maiorem potius dare gratiam.* Est enim argumentum a contrariis. Invidia malignitatis signum est; spiritus

autem Dei, donorum affluentia sa liberalem esse, ostendit. Ergo nihil magis repugnat eius naturae, quam invidia. In summa, negat Iacobus regnare Dei spiritum, ubi vigent pravae cupiditates, quae nos ad mutuam contentionem irritent, quia proprium spiritus est, magis ac magis homines novis subinde donis locupletare. Aliis interpretationibus refutandis non immoror. Exponunt quidam, spiritum adversus invidiam concupiscere. Id nimis durum est et coactum. Exponunt *dare maiorem gratiam*, qua domentur concupiscentiae, et cogantur in ordinem. Verum sensus, quem adduxi, magis genuinus est, quod scilicet sub beneficentia nos a maligna aemulatione revocet. Continuativa particula *δέ* adversativam valet *ἀλλά*, vel *ἀλλὰ*. Itaque verti: quin.

7. Subiecti igitur estote Deo. Resistite diabolo, et fugiet a vobis. 8. Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. Mundate manus, peccatores, purificate corda duplici animo. 9. Affligimini, lugete et plorate, risus vester in luctum vertatur, et gaudium in moerorem. 10. Humiliamini coram Deo, et eriget vos.

7. *Subiecti igitur.* Subiectio ista, quam commendat, humilitatis est. Neque enim generaliter hortatur, ut pareamus Deo, sed requirit submissionem, quia spiritus Domini super humiles et quietos requiescit (Is. 57, 15.). Ideo utitur illativa particula. Nam quia Dei spiritum in gratiis augendis liberalem praedicaverat, ex eo colligit, debere igitur nos aemulatione posita subitici Deo. Multi codices interpositam hanc sententiam habent: Quapropter dicit: Dens superbis resistit, humilibus vero dat gratiam. Sed quum id aliis non legatur: suspicatur Erasmus, a studioso quopiam annotatam in margine, postea in contextum obrepisse. Hoc fieri potest, quamquam non male quadraret orationis contextui. Nam quod absurdum esse quidam putant, citari tamquam ex scriptura, quod non nisi apud Petrum exstat, facile diluitur. Quin potius conficio, ex communi scripturae doctrina hanc quasi proverbialem sententiam tunc fuisse tritam inter Iudaeos. Et sane nihil contiuet, nisi quod Psalmo 18, 28. habetur: Populum humilem servabis, Domine, et oculos superbiorum deicies; et aliis compluribus locis. *Resistite diabolo.* Ostendit, quorsum conferre deceat nostram contentionem: quemadmodum Paulus (Ephes. 6, 12.) certamen nobis cum carne et sanguine esse negat, sed nos ad spirituales pugnam acuit. Ergo ubi modestiam erga homines, erga Deum submissionem docuit, Satanam proponit hostem, in quem insurgere deceat. Promissio tamen, quam addit, de fuga Satanae videtur quotidiana experientia refutari. Certum enim est, quo quisque fortius repugnat, eo acrius urgeri. Ludit enim quodammodo Satan, ubi non repellitur serio conflictu; sed adversus renitentes, quicquid habet roboris, explicat. Deinde pugnando nunquam fatigatur; sed uno proelio victus aliud subinde renovat. Respondeo, *fugam* loco profligationis accipi. Et sane, quamvis continuos insultus repetat, semper tamen exclusus discedit.

8. *Appropinquate Deo.* Iterum admouet, non defuturum nobis Dei auxilium, modo locum illi demus. Nam quum *appropinquare* Deo iubet, ut illum propinquum sentiamus, significat, nos eius gratia destitui, quia nos subducimus. Deo autem a partibus nostris stante, non est, cur succumbere metnamus. Caeterum si quis ex hoc loco inferat, priores in nobis partes sitas esse, Dei gratiam postea subsequi: nihil tale voluit apostolus. Neque enim, si hoc

facere debemus, protinus sequitur etiam nos posso. Et spiritus Dei, quum nos ad officium hortatur, sibi aut suae virtuti nihil derogat, quin hoc ipsum, quod iubet, impleat idem quoque in nobis. In summa, nihil aliud voluit Iacobus hoo loco, quam nobis Deum nunquam deesse, nisi quia nos ab ipso alienamus, quemadmodum si quis famelicos ad mensam, et ad fontem sitientes abduceret. Hoc interest, quod gressus nostros a Domino et regi et sustineri oportet, quia nos pedes deficiunt. Porro quod cavillantur, secundariam et quasi pedisequam esse Dei gratiam nostrae praeparationi, quia Deum appropinquare posteriore loco Iacobus dicat, frivolum est. Scimus enim, non esse novum, ut prioras suas gratias novis augeat, hocque modo locupletet magis ac magis, quibus iam multum dederat. *Mundate manus.* Compellat hic omnes a Deo alienatos. Neque vero duo hominum genera designat; sed eosdem vocat *peccatores, et duplices animo.* Neque quosvis peccatores intelligit, sed sceleratos et vitae corruptioris, quemadmodum Iohsnn. cap. 9, 8., Deus peccatores non exaudit. Quo sensu mulier peccatrix a Luca dicitur (Luc. 7, 37.); ab eodem et reliquis evangelistis: Hic cum peccatoribus edit ac bibit (Marc. 2, 16.). Quare non omnes promiscua ad poenitentiae speciem, cuius hio fit mentio, invitat; sed qui corde auro pravo et corrupto, vita autem turpi et flagitiosa, vel certe scelerata, ab his exigit cordis puritatem et munditiam operum. Unde colligimus, quae vera sit poenitentiae ratio ac natura: ubi scilicet non tantum corrigitur vita exterior, sed initium fit ab animi repurgatione, acuti e converso necesse est, ut interioris resipiscentiae fructus in operum integritate appareant.

9. *Affligimini, lugete.* Moerorem Christus (Luc. 6, 25.) denuntiat iis, qui rident, pro maledictione. Et Iacobus paulo post in eandem sententiam divitibus luctum minabitur. Verum hic agit de salutare tristitia, quae nos ad poenitentiam adducit. Eos alloquitur, qui mente iuebriati, Dei iudicium non sentiunt: ita fit, ut sibi in vitiis placeant. Mortifarum hunc torporem ut illis excutiat, admonet, ut lugere discant, conscientiae scilicet dolore tacti, ac sibi adulari et plaudere in propinquo exitio desinant. *Risus* ergo pro deliciis capitur, quas sibi faciunt impii, dum infatuati scelerum dulcedine Dei iudicium obliviscuntur.

10. *Humiliamini.* Conclusio est superiorum, tunc expositam nobis fore Dei gratiam ad nos erigendos, ubi altos illos spiritus deposuissa nos viderit. Ideo aemulamur et invidimus, quia cupimus eminere. Haec praepostera est ratio. Dei enim proprium est erigere abiectos, ac praesertim qui sponte se deficiunt. Quisquis ergo firmam altitudinem appetit, propriae infirmitatis sensu deiectus, nihil de se nisi humile cogitet. Bene alicubi Augustinus: Sicuti arborem, ut sursum crescat, profundas subter radices agere oportet, ita, quisquis in humilitatis radice fixum animum non habet, in ruinam suam extollitur.

11. Ne detrahatis invicem, fratres. Qui detrahit fratri, aut iudicat fratrem suum, detrahit legi, et iudicat legem. Si autem iudicas legem, non es factor legis, sed iudex. 12. Unus est legislator, qui potest servare et perdere; tu quis es, qui iudicas alterum.

11. *Ne detrahatis.* Videmus, quantum operae insumat Iacobus in corrigenda obloquendi libidine. Semper enim superba est hypocrisis, atque a natura sumus hypocritae, non sine aliorum contumelia cupide nos effegentes. Alter etiam humano ingenio ingenuus est mor-

bus, ut velit quisque suo arbitrio alios omnes vivere. Hanc temeritatem proprie castigat Iacobus hoc loco, quod vivendi legem fratribus nostris audeamus imponere. *Detractionem* ergo accipit pro calumniis omnibus, sinistrisque sermonibus, qui ex maligno et perverso iudicio manant. Late patet obloquendi malum. Sed hic in una illa specie, quam dixi, proprie insistit, nempe dum superciliose statuimus de aliorum factis ac dictis, acsi nostra morositas illis pro lege esset, dum secure damnamus, quicquid nobis non arridet. Talein confidentiam hio perstringi, ex ratione mox addita patet. *Qui detrahit fratri*. Significat, tantundem derogari legi, quantum sibi quisque in fratres usurpat. Detractio igitur adversus legem reverentiae opponitur, quam illi deferri a nobis decebat. Idem fere argumentum tractat Paulus ad Romanos capite 14., tametsi alia occasione induotus. Nam quum superstitio in ciborum delectu quosdam teneret, quod sibi non putabant esse licitum, in aliis quoque damnabant. Illic ergo admonet, unum esse Dominum, cuius arbitrio status ac cadimus omnes, et ad cuius tribunal sumus omnes sistendi. Unde concludit, eum, qui fratres iudicat ex suo sensu, quod Dei proprium est, sibi arrogare. Iacobus autem reprehendit eos, qui damnandis fratribus famam sanctitatis captant: ideoque suam morositatem statuunt divinae legis loco. Eadem tamen ratione pugnat, qua Paulus, nempe temere nos facere, si nobis imperium in fratrum vitam arripimus, quum lex Dei nos omnes sine exceptione in eundem cogat ordinem. Docemur ergo, non esse nisi ex lege Dei iudicandum. *Non es factor legis, sed iudex*. Sic resolvi debet oratio: Quum censoriam tibi potestatem vindices supra legem Dei, iam eximis te a legis subiectione. Ergo qui fratrem temere iudicat, excutit Dei iugum, quia communi viveudi regulae se non submittit. Est igitur argumentum a contrariis, quia legis observatio multum ab hac arrogantia dissidet, quum homines stultae suae opinioni legis viam ac auctoritatem tribuunt. Unde sequitur, tunc nos legem observare, quum toti a sola eius doctrina pendemus, nec aliunde discernimus inter bonum et malum, sicuti etiam omnia hominum facta et dicta exigi debent. Si quis obiciat, sanctos tamen fore mundi iudices (I. Corinth. 6, 2): facilis est responsio, non competere in eos eiusmodi honorem proprio iure; sed quatenus sunt Christi membra. Quod autem nunc indicant secundum legem, in eo non sunt existimandi iudices, quia Deo tantum suo et omnium iudici obedienter subscribunt. Quantum ad Deum spectat, legis factor censeri non debet, quoniam eius iustitia lege est superior. Fluit enim lex ex aeterna immensaque Dei iustitia, tamquam ex fonte rivulus.

12. *Unus legislator*. Quum servandi perdendique potestatem eum legislatoris officio coniungit, significat, totam Dei maiestatem ad se rapere eos, qui sibi ius ferendae legis vindicant. Atqui tales sunt, qui suum nutum aliis ingerunt pro lege. Meminerimus autem, non de externa politia hic agi, in qua locum habent magistratum edicta aut leges, sed de spiritali animae regimine, in quo solum Dei verbum dominari convenit. Unus ergo Deus est, qui suis legibus conscientias iure subiectas habet, quemadmodum solus animae salutem vel interitum habet in manu sua. Hinc constat, quid de humanis praeceptis sentiendum sit, quae conscientias laqueum necessitatis iniciunt. Modestiam in nobis quidam desiderant, quum papam vocamus Antichristum, qui tyrannidem in animas exercet, se legislatorem faciens Deo aequalem. Atqui ex hoc loco longe plus colligimus, Antichristi scilicet membra esse, qui tales laqueos sponte induunt, et Christo eatenus renuntiare, dum illi non hominem tantum mortalem, sed qui se adversus eum extollit, associant. Est, inquam praevaricatrix obedientia, at quae diabolo exhibetur, dum alium ad

mittimus ad regandas animas legislatorem, quam Deum. *Tu quis es.* Putant quidam admoneri hic suorum vitiorum reprehensores, ut inchoent a se ipsis examen, ac dum reputant, se nihilo esse alii puriores, tam severi esse desinant. Ego simpliciter suam hominibus conditionem obiici puto, ut cogitent, quantum absint ab eo gradu, in quem se evehunt, quemadmodum etiam Paulus loquitur (Rom. 14, 4.): *Tu quis es, qui alienum servum iudicas?*

13. Age nunc, qui dicitis: Hodie et cras eamus in civitatem, et transigamus illic annum unum, et mercemur, et lucremur, 14. Qui nescitis, quid cras futurum sit. Quae enim est vita vestra? Vapor est scilicet ad exiguum tempus apparens, deinde evanescens; 15. Quum dicere debetis: Si Dominus voluerit, et vixerimus, faciemus hoc vel illud. 16. Nunc autem gloriamini in superbii vestris; omnis gloriatio talis mala est. 17. Qui ergo novit facere bonum, nec facit, peccati reus est.

13. *Age nunc etc.* Aliud superbiae genus hic damnat, nempe quod plerique, quum pendere ex Dei providentia deberent, confidenter statuunt, quid facturi sint, suaque consilia in longum tempus disponunt, acsi multam annorum seriem in manu haberent, quum ne de uno quidem momento certi sint. Stolidam eiusmodi iactantiam Salomo quoque lepide ridet, quum dicit (Proverb. 16, 1.), homines constituere animo vias suas; interea Dominum gubernare linguam. Est autem valde insanum, quod ne lingua quidem effari possumus, exsequendum nobis sumere. Non invehitur Iacobus in loquendi formam, sed in socordiam animi potius, quod homines propriae infirmitatis obliti sic insolescunt. Nam fieri interdum potest, ut pii, qui de se modeste sentiunt, et gressus suos Dei nutu regi agnoscant, se tamen hoo vel illud facturos dicant sine exceptione. Est quidem rectum et utile, quum in futurum tempus aliquid promittimus, assuescere ad has formulas: Si Domino visum fuerit; aut: Si Dominus permittet. Verum non iniicienda est religio, quasi omittere sit nefas. Nam passim in scripturis legimus, sanctos Dei servos absque conditione loquutos esse de rebus futuris; quum tamen fixum in memoria haberent, nihil se posse nisi Dei permisso. Ergo quod ad hanc loquendi consuetudinem spectat: Si Dominus volet aut dabit sedulo ab omnibus piis colenda est. Sed Iacobus eorum stuporem excitat, qui, posthabito divinae providentiae respectu, totum anni cursum sibi subiciunt, quum momentum in potestate non habeant; lucrum, quod procul abest, sibi promittunt, quum minime teneant, quod ante pedes est.

14. *Quae est enim vita vestra?* Aliis multis rationibus frenare poterat stultam hanc deliberandi licentiam. Nam videmus, ut Dominus quotidi superbos istos frustretur, qui magnifice quidvis se facturos promittunt. Hoc tamen uno argumento contentus fuit: Quis tibi in crastinum vitam pollicitus est? Faciesne mortuus, quod tam secure statuis? Nam cui vitae brevitatis in mentem venit, eius facile comprimetur audacia, ne suas deliberationes nimis in longum protendat. Imo non alia ratione tantopere sibi indulgent profani homines, nisi quia se homines esse obliviscuntur. Similitudine vaporis eleganter indicat, plus quam evanida esse consilia, quae in sola vitae umbra subsistunt.

15. *Si Dominus voluerit.* Duplex ponitur conditio: Si tandem erimus superstites; deinde: Si Dominus concedet, quoniam multa

Intervenire possunt, quae evertunt, quicquid apud nos statutum erat. Caeci enim nobis sunt futuri temporis eventus. *Voluntatem* intelligit non quae in lege exprimitur, sed consilium, quo moderatur omnia.

16. *Nunc autem gloriamini.* Ex his verbis colligere licet, Iacobum plus quiddam reprehendere, quam lubricum sermonem. *Gloriamini*, inquit, in vestris iactantiis, nempe quod, quum ebrogarent Deo suum imperium, sibi nihilominus placebant. Non quod se peccatum Deo praeferant, qui vel maxime inflati sunt sui fiducia; sed quia inebriati sensus sui vanitate nihil minus quam Deum respiciunt. Et quia eiusmodi monitiones a profanis hominibus contemptim solent excipi, imo statim auditor responsum illud, sibi notius esse, quicquid affertur, quam ut moneri opus habeant: cognitionem, qua gloriari poterant, in eos retorquet, eo gravius peccare eos pronuntians, quod ignorantia non peccant, sed contemptu.

## CAP. V.

1. *Agedum nunc*, divites, plorate, ululantes super miseriis vestris, quae advenient vobis. 2. Divitiae vestrae putrefactae sunt, vestimenta vestra a tineis exesa sunt, 3. Aurum et argentum vestrum aerugine corruptum est, et aerugo eorum in testimonium vobis erit, et exedet carnes vestras sicut ignis, thesaurum conguessistis in extremis diebus. 4. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quae fraude aversa est a vobis, clamant, et clamores eorum, qui messuerunt, in aures Domini Zebaoth introierunt. 5. In deliciis vixistis super terram, lascivistis, enutristis corda vestra, sicut in die mactationis, 6. Condemnastis et occidistis iustum, et non resistit vobis.

1. *Agedum nunc.* Falluntur (meo iudicio), qui Iacobum hic exhortari ad poenitentiam divites putant. Mihi simplex magis denuntiatio iudicii Dei videtur, qua eos terrare voluit absque spe veniae; nam quaecumque dicit, non nisi ad desperationem spectant. Quare non ipsos alloquitur, ut ad resipiscentiam invitet; sed fideles potius respicit, ut audientes infelicem exitum divitum, non invident eorum fortunae; deinde ut iniuriarum, quas perferunt, Deum scientes fora ultorem, aequo et placido animo eas tolerant. Divites autem non quosvis compellat, sed qui deliciis immersi, et inflati superbia, nihil nisi mundum cogitent, qui, tamquam inexhausti gurgites, devorant omnia, qui tyrannice alios vexant, quemadmodum ex contextu patebit. *Plorate ululantes.* Est quidem et suus poenitentiae luctus; sed qui mistus consolatione, non ad ululatum usque procedit. Significat ergo Iacobus, tam horrendam ac direm fore maledictionis divinae gravitatem in divites, ut erumpere in ululatum cogentur, acsi uno verbo diceret: *Vae vobis.* Sed et prophetica est loquendi forma, dum impii, propositis in medium poenis, quae eos manent, quasi in rem praesentem iam trahuntur. Quum ergo nunc sibi blandiantur, ac fortunam, in qua se beatos putant, sibi polliceantur aeternam fora, pronuntiet instare illis gravissimas aerumnas.

2. *Divitiae vestrae.* Potest esse duplex sensus, vel ut stultam eorum fiduciam videat, quia divitiae, in quibus felicitatem suam reponunt, sint plus quam ceduae, imo quod uno Dei flatu in nihilum



redigendae sint, vel ut inexplebilem eorum avaritiam reprehendat, quia in hoc tantum opes congerant, ut pereant sine aliquo usu. Hic posterior sensus melius congruit. Est quidem illud verum, insanos esse divites, qui in rebus tam evanidis, ut sunt vestes, aurum, et argentum, et similia, gloriantur, quandoquidem hoc nihil aliud est quam suam gloriam aerugini ac tineis sublicere. Deinde notum est illud, male parata male statim dilabi, quia Dei maledictio omnia absumit. Neque enim aequum est, improbos vel eorum haeredes opibus frui, quas violentes quasi e manu Dei rapuerunt. Sed quia Iacobus hic vitia enumerat, quibus divites calamitatem, de qua neminit, sibi accersunt: contextus hoc postulat (meo iudicio), ut dicamus hic immensam divitum rapacitatem perstringi, dum supprimunt, quicquid undecumque possunt ad se trahere, ut inutiliter in arca computrescat. Ita enim fit, ut, quae Deus creaverat in hominum usus, ipsi perdant, quasi humanae naturae hostes. Notandum autem est, quae hic recenset vitia, non competere in singulos. Nam alii divitum laute sibi indulgent; alii in pompas et ostentationem multa dilapidant; alii genium fraudantes, misere in suis sordibus viciant. Sciamus ergo, alia aliis vitia hic exprobrari; generaliter tamen damnantur omnes, qui vel iniuste sibi divitias accumulunt, vel illis perperam abutuntur. Caeterum quod nunc Iacobus dicit, non solum extremae tenacitatis divitibus convenit (qualis est Plautinus Enclio), sed quibusdam etiam alioqui splendidis et lautis, qui malunt apud se corrumpi opum acervos, quam in necessarios usus erogare. Tanta est enim quorundam malignitas, ut communem aliis solem et aerem esse negre ferant.

3. *In testimonium vobis erit.* Hoc expositionem, quam prius attuli, confirmat. Neque enim Deus aurum destinavit aerugini, neque vestes tineis, quin potius haec voluit esse humanae vitae subsidia. Quare ipsa sine usu consumptio testis ipsorum inhumanitatis erit. Auri et argenti putredo quasi materia erit inflammandae irae Domini, ut instar ignis eos consumat. *Theaurum conguessistis.* Potest haec quoque particula bifariam exponi, vel quod divites, quasi semper victuri essent, nunquam satiantur, sed congerere satagunt, quod usque ad finem mundi satis sit, vel quod iram ac maledictionem Dei coaccervant in extremum diem. Hoc secundum magis amplector.

4. *Ecce merces.* Iam in crudelitatem invehitur, quae individua est avaritiae comes. Speciem vero unam attingit, quae merito prae aliis odiosa esse debet. Nam si vir humanus et aequus curam habet iamenti sui (ut inquit Salomon, Proverb. 12, 10.); haec prodigiosa saevitia est, quum homo erga hominem, cuius sudores in suum commodum exsugit, nulla misericordia tangitur. Ideo Dominus severe in lege vetat, ne apud nos dormiat merces operarii (Deut. 24, 14). Adde, quod Iacobus non quosvis operarios nominat, sed amplificandi causa agricolas et messorum. Quid enim est indignius quam eos, qui panem ex suo labore nobis suppeditant, inedia et fame conficere? Et tamen vulgare est hoc portentum. Sunt enim permulti ingenio tyrannico, qui sibi solis humanum genus putant vivere. Dicit autem, *mercedem clamare*, quia, quicquid alienum, fraude vel per iniuriam apud se retinent homines, vindictam quasi alto clamore exposcit. Notandum est, quod subiicit, *clamantes* inopum pervenire ad aures Dei, ut sciamus, non impunitas fore iniurias. Quare aequo animo sustineant, qui ab iniquis premuntur, quia Deum habituri sint vindicem. Abstineant, quibus est potestas nocendi, ab iniuria, ne Deum in se provocent, qui pauperum tutor est ac patronus. Qua ratione etiam Dominum *Zebaoth* vocat, potentiam ac vires eius notans, quo magis formidabile reddat eius iudicium.

5. *In deliciis.* Descendit nuno ad aliud vitium, nempe luxuriam et delicias. Nam qui ultra mediocritatem abundant, raro sibi temperant, quin sua abundantia ad immodicas lautitias abutantur. Sunt quidem (ut dixi) nonnulli divites, qui in sua copia esuriunt. Neque enim sine causa Tantalum finxerunt poetae in mensa bene referta famelicum. Semper tales fuerunt in mundo Tantalii; sed Iacobus (ut dictum est) non de singulis loquitur. Satis est, quod vitium hoc videmus communiter regnare inter divites, quod sint in gulae suae delicias nimium sumptuosi ac superflui. Tametsi autem illis Dominus permittit liberaliter de suo vivere: semper tamen cavenda est profusio, et colenda frugalitas. Neque enim frustra tam aspere exagitat Dominus per prophetas eos, qui dormiunt in lectis eburneis, qui pretioso unguento sunt delibuti, qui suaviter potando se oblectant ad cantum citharae, qui sunt veluti vaccae pingues in uberibus pascuis. Haec enim omnia eo dicuntur, ut sciamus, modum in deliciis tenendum esse; ac displicere Deo intemperantiam. *Enutrire corda*, significat, sibi indulgere non modo ad naturae satietatem, sed quantum fert cupiditas. Addit similitudinem: *Sicut in die macerationis*, quia solebant in sacrificiis solennibus liberalius vesci quam pro quotidiano mora. Dicit ergo, divites tota vita continuare festum, quia in contumacibus voluptatibus sint demersi.

6. *Condemnastis.* Sequitur alia inhumanitatis species, quod divites sua potentia opprimunt atque evertunt infirmos. Metaphorice dicit, iustos ab illis occidi et damnari; nam utcumque manu sua non ingulcent, nec fungantur iudicium mnuere; dum tamen auctoritatem, qua pollent, convertunt ad nocendum, dum corrumpunt iudicia, dum varias artes excogitant ad perdendos innocentes, hoc est vere occidere ac damnare. Quum addit, *iustum non resistere*, significat crescere divitibus audaciam, quia omni praesidio destituantur, quos praeventunt. Interea tamen admonet, eo magis paratam promptamque fore vindictam Dei, quum nulla est pauperi ab hominibus defensio. Tametsi autem ideo non resistit iustus, quia patienter ferre debet iniurias: ego tamen simul imbecillitatem notari puto, quod scilicet non resistat, quia inermis est ac desertus hominum auxilio.

7. Patienter ergo agite, fratres, usque in adventum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terrae, patienter se gerens erga eum, donec recipiat pluviam matutinam et vespertinam. 8. Patienter ergo agite et vos; confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini propinquus est. 9. Ne ingemiscatis alii in alios, fratres, ne condemnetur vobis. Ecce iudex stat pro foribus.

7. *Patienter ergo.* Ex hac illatione constat, quae hactenus dicta sunt in divites, pertinere ad eorum consolationem, qui ad tempus impune videntur eorum iniuriis expositi. Postquam enim calamitatum, quae divitibus imminet, causas recensuit, et unam hanc posuit inter alias, quod superbe et crudeliter dominati sint in pauperes, protinus subiicit, nos, qui iniuste affligimur, habere patientiae materiam, quia Deus futurus sit iudex. Hoc enim sibi vult, quum dicit: *Usque in adventum Domini*, non fore scilicet perpetuam rerum confusionem, quae hodie in mundo cernitur, quia Dominus adventu suo mundum in ordinem revocaturus sit, ideoque aimos in bonam spem colligendos. Neque enim abs re nobis promittitur illo die rerum omnium instauratio. Tametsi autem passim in scripturis dies Domini vocatur quaelibet iudicii et gratiae eius manifestatio, quum suis succurrit, et impios castigat; hunc tamen locum de postrema

liberatione interpretari malo. *Eccae agricola.* Eandem similitudinem breviter attingit Paulus II. Timoth. cap. 2, 6., quum dicit, laborare agricolam oportere, priusquam fructus colliget; sed expressior est Iacobi oratio. Diuturnam enim agricolae patientiam commemorat, qui, postquam semen terrae menderit, secure vel saltem patienter expectat, dum adveniat tempus messis, nec moleste fert, quod non statim terra maturum fructum reddet. Unde colligit, non debere nos ultra modum anxios esse, si nunc laborandum sit et serendum, donec appareat, tamquam messis, dies Domini. *Fructum pretiosum* vocari interpretor, quoniam alimonia est, ac vitae sustinendae ratio. Significet autem Iacobus, quum agricola vitam suam, quae illi tam pretiosa est, in terrae gremio depositam latere diu sinat, votumque fructus colligendi placide suspendat, nos esse nimis praecipites ac importunos, nisi acquis enimis redemptionis nostrae diem expectemus. Alias similitudinis partes non opus est sigillatim persequi. *Pluviam matutinam.* Duobus istis epithetis duo tempora notantur: prius, quod paulo post sementem sequitur; alterum, dum maturescunt segetes. Sic loquuntur prophetae, cum pluviae opportunitatem exprimere volunt, quam promisit Moses Deuter. 28, 12., Ioe. 2, 23. et Hos. 6, 3. Utramque autem commemorat, ut melius exprimit, non frangi longi temporis taedio agricolas, quin sustineant moram.

8. *Confirmate corda vestra.* Ne quis obiceret, nimium differri liberationis tempus, occurrit dicens, prope instare Dominum, vel (quod idem est) eius adventum appropinquasse. Interea iubet corrigere animi mollietatem, quae nos debilitat, ne sperando perseveremus. Et certe longum ideo apparet tempus, quia nos teneri nimis ac delicati sumus. Ergo colligendum est robur ad durandum; colligi autem melius non potest, quam ex spe et quasi intuitu propinqui adventus Domini.

9. *Ne ingemiscatis.* Quia audiuntur multorum querimoniae, se durius tracteri quam alios, locus hic a quibusdam ita exponitur, quasi iubeat Iacobus unumquemque sorte suae contentum, non invidere aliis, neque indigne ferre, si tolerabilior sit aliorum conditio. Sed ego aliter interpretor. Postquam enim de infausto eorum exitu disseruit, qui bonis et quietis hominibus molesti sunt sua tyrannide: iam fideles hortatur, ut inter se aequi sint, et in condonandis offensis faciles. Hunc esse genuinum sensum, ex ratione edditi colligi potest. Nolite, inquit, alii in alios queruli esse, ne omnes condemnemini. Ingemiscere quidem licet, quoties aliquid nos meli angit; sed gemitum accusatorium intelligit, ubi alii de aliis apud Dominum expostulent. Futurum autem hoc modo denuntiat, ut damnentur omnes, quia nemo est, qui non fratres suos offendat, et materiam praebet ingemiscendi. Iam si conquerantur singuli, omnes se mutuo accusabunt; nemo enim tam innocens, qui non aliquos laeserit; Deus communis erit omnium iudex. Quid ergo futurum est, nisi ut, quod quisque iudicium in alios ferri cupit, in se ipsum admittat, atque ita exaudiantur omnes in mutua perniciem? Nemo itaque vindictam de aliis exposcet, nisi qui in caput suum volet accersere. Ac ne temere ad eiusmodi quereles prosiliant, indignum denuntiat stare pro foribus. Nam, quae nostra est propensio ad profanandum Dei nomen, in levissimis quibusque offensis provocamus ad eius iudicium. Nullum eutem optius frenum est cohibendae nostrae temeritati, quam si reputemus, non in aerem evanescere nostras imprecationes, quae Dei iudicium propinquum sit.

10. Exemplum accipite afflictionis, fratres mei, tolerantiae, prophetas, qui loquuti sunt nomine Domini.

11. Ecce beatos esse ducimus eos, qui sustinent. Patientiam Iob audistis, et finem Domini vidistis, quod multum sit misericors et commiserans.

10. *Exemplum accipite.* Solatium, quod affert, non illud est, quod vulgari proverbio dicunt, miseros expetere, ut qualescunque habeant malorum socios; sed eos proponit socios, quorum numero aggregari optabile sit, et quibuscum, si communis sit nobis conditio, non potest misera esse. Nam sicuti necesse est extremo moerore nos effici, si quid nobis meli occidat, quod nunquam experti sint filii Dei: ita haec singularis est consolatio, quum scimus, nos nihil pati ab illis diversum, imo ad idem iugum cum ipsis sustinendum nos apteri cognoscimus. Quum euidret Iob a suis emicis, convertere ad sanctos: An aliquem reperis, qui tibi sit similis (Iob 5, 1)? erat haec vox Sataanae, qua praecipitare in desperationem ipsum volebat. Ex adverso dum spiritus per os Iacobi nos vult in bonam spem erigere, sanctos omnes praecuntes nobis ostendit, qui nobis veluti manum porrigent, suoque exemplo nos invitent ad subeundas et vincendas afflictiones. Promiscue quidem aerumnis et rebus adversis subiecto est hominum vita; sed Iacobus non quosvis adducit in exemplum, quae nihil iuvaret cum multitudine perire; verum prophetas eligit, quorum felix est societas. Nihil est eliid, quod nos frangat ac exenimet, quem miseriae sensus. Proinde haec vere consolatio est, quae male vulgo putentur, sentire nobis esse salutis adiumenta. Hoc quidem ab intelligentia carnis valde est alienum; sic tamen statuere debent fideles, se beatos esse, quum variis aerumnis probantur a Domino. Hoc ut persuadeat Iacobus, finem afflictionum in prophetis considerandum esse admonet; nam quia in propriis malis, dolore, tristitie, aut quovis alio immoderato affectu praecoccupati, iudicio caremus, et quasi tempestate facteti sub turbido coelo et inter medias procellas nihil cernimus: ideo necesse alio conicere oculos, ubi coelum quodammodo serenum et liquidum est. Quum nobis sanctorum narrentur afflictiones, nemo est, qui miseros, ac non potius beatos fuisse fateatur. Recte ergo Iacobus, qui exemplar illud ponit ante oculos, ut eo nos referre discamus, quoties tentamur impatientia aut desperatione. Sumit autem principium illud, beatos censi in suis afflictionibus prophetas, quae constanter eos sustineant. Quum ita sit, idem fieri iudicium debere colligit, dum nos affligimur. Dicit autem *prophetas, qui loquuti sunt nomine Domini*, quo significet illos Deo gratos et probatos fuisse. Ergo si utile illis fuisset eximi a miseriis, procul dubio praestitisset ipsos Deus immunes. Atqui non fecit: sequitur ergo salutare esse afflictiones fidelibus. Hoc sensu iubet illos assumi exemplar afflictionum; sed oportet patientiam simul accedere, quae verum est obedientiae nostrae testimonium: ideo utramque coniunxit.

11. *Patientiam Iob.* De prophetis generaliter loquutus est; nunc insigne prae aliis exemplum eligit. Nemo enim (quantum ex historiis colligi potest) tam duris ac tam variis aerumnis unquam fuit obrutus; emersit tamen ex tam profunda abyso. Quisquis ergo imitabitur eius patientiam, non dubium est, quin manum Dei similiter sensurus sit, quae tandem eum liberet. Videmus in quem finem scriptae sint historiae. Deus servum suum Iob, quia patienter afflictiones suas sustinuit, non passus est opprimi: ergo nullius patientiam frustrabitur. Quaeritur tamen, cur patientiam Iob tantopere commendat apostolus, quum tamen caeco impetu abreptus multa impatientiae signa edat. Respondeo, etiamsi vel interdum carnis infirmitate labascet, vel secum tumultuetur; semper tamen

huc redire, ut se totum Deo permittat, seque ipsi frenandum ac regendum offerat. Quare utcumque desit aliquid eius patientiae, non immerito tamen laudatur. *Finem Domini.* Hoc verbo significat, a fine semper aestimandas esse afflictiones. Initio enim videtur procul abesse Deus; interea licentiose grassatur Satan in hac perturbatione; suggerit nobis caro, nos desertos a Deo esse ac proditos: longius ergo extendere intuitum nostrum oportet, quia prope nihil lucis apparet. Porro finem Domini dixit, quia eius est, prosperum successum rebus adversis dare; si nos officium nostrum praestemus obedienter sustinendo, ipse partibus suis vicissim minime deerit. Tantum nos in finem spes dirigat, Deus ipse vicissim se plus quam misericordem illic ostendet, quantumvis rigidus et austerus videatur, quamdiu affligit.

12. Ante omnia vero, fratres mei, ne iuretis neque per coelum, neque per terram, neque aliud quodvis iusiurandum; sit autem vestrum: Est, est; non, non; ne in iudicium (vel *simulationem*) incidatis. 13. Affligitur quis inter vos? oret. Hilari est animo? psallat.

12. *Ante omnia* etc. Fuit hoc commune vitium omnibus fere saeculis, leviter et inconsiderate iurare; nam, quae nostra est malignitas, non reputamus, quam atrox sit crimen, abuti Dei nomine. Verum quia Dominus interim severe nominis sui reverentiam nobis commendat: varia subterfugia excogitant homines, ut iurare impune liceat. Fingunt igitur nihil mali esse, modo non palam interpositum sit Dei nomen; atque hoc vetus commentum fuit. Ita Iudaei, quum per coelum et terram iurarent, non putabant se Dei nomine abuti, quod subdicebant. Atqui dum ingeniosi esse homines volunt, ut fucum faciant Deo, nihil quam frivolis cavillationibus se ipsos deludunt. In eiusmodi vanitatem invectus fuerat Christus, ut habetur Matth. 5, 34. Nunc Iacobus magistri sui decreto subscribens, ab obliquis istis formulis abstinere praecipit, quia Dei nomine abutitur, quisquis frustra et ob rem nihili iurat, qualemcunque colorem obtendat suis verbis. Summa ergo est, nihilo magis esse licitum, per coelum aut terram iurare, quam palam per Dei nomen. Ratio a Christo exprimitur: quia ubique insculpta sit Dei gloria, et ubique refulgeat. Imo non alio sensu vel consilio coeli aut terrae voces in iuramentis homines usurpant, quam si Deum ipsum nominarent, quia sic loquendo tantum opificem designant a suis operibus. Dicit autem *ante omnia*, quia non leve delictum est nominis Dei profanatio. Quod anabaptistae huius loci praetextu iuramenta omnia damnant, imperite faciunt. Neque enim Iacobus in universum de iuramentis disputat, quemadmodum nec Christus eo, quem citavi, loco; sed uterque cavillationem illam refellit, quae in fraudem legis inventa fuerat, dum captant homines iurandi licentiam non expresso Dei nomine. Licentiam dico, quae legis prohibitioni repugnat. Atque hoc clare sonant verba: *neque per coelum, neque per terram*; nam si de substantia esset quaestio, quorsum attinebat formulas istas notare? Constat itaque tam a Christo quam a Iacobo puerilem eorum astutiam reprehendi, qui impune iurare se putabant, modo circumirent per ambages. Ergo ut teneamus Iacobi mentem, primo loco tenendum est legis praecipitum: Non accipies nomen Dei tui frustra; unde constat, iustam ac legitimam esse aliquam nominis Dei usurpationem. Nunc Iacobus eos damnat, qui directe quidam non audent Dei nomine abuti; sed verborum circuitu effugere conantur abusum, quem lex damnat. *Sit autem vestrum: Est.* Optimum vitio, quod repre-

hondit, corrigendo remedium affert, ut veritati et constantiae in omnibus suis dictis assuescant. Unda enim pravus mos iurandi, nisi quia tanta est hominum vanitas, ut simpliciter loquentibus non credatur? Nam si fidam in verbis suis, ut decet, colerent, non opus esset tot superfluis iuramentis. Quia igitur hominum perfidia vel levitas fons est, unde iurandi corruptela oritur: ut posterius vitium tollat Iacobus, tollendum esse prius docet. Nam sanandi ratio a causa incipere debet. Nonnulli codices habent: Sit sermo vester: Est, est; non, non. Gemina tamen lectio est ea, quam reddidi, atque etiam magis recepta. Quid autem significet, iam exposui, ut scilicet veraces simus, firmique in omnibus dictis. Eodem sensu testatur Paulus II. Corinth. 1, 17. 18., non fuisse deprehensum in praedicatione sua: est et non; sed eodem tenore se prosequutum esse, quo coeperat. *Ne in iudicium.* Varia est lectio propter vocum affinitatem ἀπόκρισιν και ὑπόκρισιν. Si legas: In iudicium, vel: In condemnationem, sensus erit clarus, Dei scilicet nomen non impune sumptum iri frustra; sed non male quadrabit: In simulationem, quia (sicuti iam dictum est), ubi simplicitas inter nos viget, praecisa est ansa supervacuis iuramentis. Ergo si dictis nostris omnibus constet fides, sublata erit simulatio, quae nos ad temere iurandum provocat.

13. *Affligitur quis.* Significat, nullum esse tempus, quo non ad se Deus nos invitet. Nam afflictiones ad precandum stimulare nos debent, res prosperae laudandi Dei materiam suppeditant. Atqui ea est hominum pravitas, ut laetari nequeant, quin Dei obliviscantur; afflictivi vero delectantur animos, et desperatione opprimantur. Tenenda igitur haec moderatio, ut laetitia, quae Dei oblivionem inducere solet, nos ad praedicandam Dei bonitatem incitet; tristitia autem nos ad precandum erudiat. Nam *psallendi* verbum profano vel effreni gaudio opposuit, quo exultant, qui rebus prosperis ad Deum, ut par erat, non ducuntur.

14. Infirmatur quis inter vos? advocet presbyteros ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, 15. Et oratio fidei servabit aegrotum, et excitabit eum Dominus; et si peccata admiserit, remittentur illi.

14. *Infirmatur quis.* Quoniam tunc adhuc vigeat donum sanationis, praecipit, ut aegroti confugiant ad hoc remedium. Certum quidem est, non omnes fuisse sanatos, sed Dominum huic gratiae locum dadisse, quoties et quatenus expadira noverat; nec verisimile est promiscua adhibuit fuisse oleum, sed tantum ubi certa spes erat profectus. Una enim cum virtute dabatur etiam ministris discretio, ne symbolum abusu profanarent. Non aliud Iacobi consilium fuit quam Dei gratiam, qua tunc frui poterant fideles, commendare, ne contemptu aut negligentia periret eius utilitas. In hunc finem iubet accersi presbyteros. Unctionis vero usus ad effectum spiritus sancti restringi debet. Hunc locum magnifice iactant papistae, dum extremam suam unctionem venditare volunt. Quantum autem distet eorum corruptela a veteri instituto, cuius meminit Iacobus, in praesentia exponere supersedeo. Hanc partem lectores ex institutione discant. Hoo tantum dico, male et iuscite torqueri hunc locum, ut extrema unctio sit et vocetur sacramentum, cuius in ecclesia perpetuo usus manere debeat. Fateor equidem pro sacramento usurpatam fuisse a Christi discipulis (neque enim illis assentior, qui medicamentum fuisse putant), sed quemadmodum veritas huius signi non nisi ad tempus duravit, symbolum dico similiter fuisse temporale. Atque hoc planum est; nihil enim

absurdius quam sacramentum vocare, quod inane sit, nec rem signatam vere nobis offerat. Donum sanationis fuisse temporale, fateri omnes coguntur, et res ipsa demonstrat: ergo signum eius perpetuum esse non oportuit. Unde sequitur, non veros esse imitatores, sed simias esse apostolorum, qui unotionem inter sacramenta hodie reponunt, nisi effectum simul restituant, quem ante annos mille et quadringentos Deus mundo abstulit. Ita nobis certamen non est, an unctio fuerit aliquando sacramentum; sed an nobis data fuerit, ut hodie quoque apud nos sit in usu. Hoc posterius negamus, quia constat, rem signatam pridem desiisse. *Presbyteros ecclesiae.* Ego generaliter omnes comprehendo, qui regendae ecclesiae praeerant. Neque enim soli pastores presbyteri vocabantur, sed qui delibebantur ex plebe quasi censores ad tuendam disciplinam. Unaquaeque enim ecclesia suum quasi senatum habebat, ex gravibus et probatae integritatis viris delectum. Quoniam autem eos potissimum eligere moris erat, qui praediti erant excellentioribus donis: ideo accersere presbyteros iubet, utpote in quibus maxime vis et gratia spiritus sancti se exerebat. *Orent super eum.* Huc spectat ritus orandi super aliquem, ut veluti coram Deo sistatur, quia, ubi in rem praesentem ventum est, maiore affectu concipimus preces, sicuti non modo Elisaeus (II. Reg. 4, 33.) et Paulus (Act. 20, 10.), sed Christus (Iohann. 11, 41. 42.) ipse hac ceremonia, precandi ardorem excitarunt, et commendarunt Dei gratiam. Notandum vero, quod promissionem orationi annectit, ne fide vacua sit. Nam qui haesitat, sicuti rite non invocat Deum, ita indignus est, qui impetret, ut habuimus capite primo. Quisquis ergo exaudiri volet, certo apud se statuatur, non frustra se orare. Sicuti Iacobus donum illud speciale in medium profert, cuius accessio tantum erat externus ritus. Unde colligimus, ne olei quidem legitimum esse usum absque fide. Atqui quum papistis adeo nulla constet certitudo suae unctionis, ut palam sit dono eos carere, illam adulterinam esse patet.

15. *Et si peccata etc.* Non est hoc additum duntaxat augendi causa, acsi dixisset, maius aliquid Deum aegroto daturum quam corporis sanitatem; verum quia morbi saepissime irrogantur ob peccata, de horum remissione loquens, causam mali sublatum iri significat. Et sane videmus, ut David morbo afflictus, dum levationem optat, totus sit in petenda peccatorum venia. Quorsum hoc nisi quia dum culpae suae effectum agnoscit in poenis, non aliud remedium esse iudicat, quam si Dominus peccata imputare desinat? Pleni sunt hac doctrina prophetae, malis levare homines, quum ab iniquitatum reatu solvantur. Ergo hanc demum et morbis nostris et aliis calamitatibus sciamus aptam esse medicinam, si de placando Deo et obtinenda peccatorum vania solliciti nos diligenter examinemus.

16. *Confitemini invicem peccata vestra, et orate invicem alii pro aliis, ut salvemini.* Multum valet precatio iusti efficax. 17. *Elias homo erat passionibus similiter obnoxius ut nos, et precatione precatus est, ne plueret, et non pluit super terram annos tres et sex menses.* 18. *Et rursum oravit, et coelum dedit pluviam, et terra protulit fructum suum.*

16. *Confitemini invicem.* In nonnullis codicibus inseritur illativa particula; neque male quadrat. Nam ut non exprimatur, subaudienda tamen est. Dixerat peccata remitti aegrotis, super quos

orarint presbyteri; nunc admonet; quam utiliter peccata nostra fratribus retegamus, quia scilicet eorum intercessione poterimus veniam consequi. Scio, locum hunc a multis exponi de reconciliandis offensis; nam qui redire in gratiam volunt, eos culpam suam agnoscere prius et fateri necesse est. Inde enim fit, ut radices agant inimicitiae, imo augeantur, ac fiant irreconciliabiles, quia unusquisque causam suam pertinaciter defendit. Putant ergo multi, Iacobum hanc ostendere viam fraternae reconciliationis, si mutuo agnoscant peccata sua; sed alio respexit, quemadmodum dictum est. Mutuam enim precationem cum mutua confessione coniungit; quo significat, in hoc proderse confessionem, ut fratrum precibus iuvenmur apud Deum. Nam qui necessitatis nostrae consci sunt, ad orandum incitantur, ut nobis subveniant; quos vero latent morbi nostri, ii ad opem nobis ferendam sunt seguiiores. Mira vero papistarum vel stultitia, vel improbitas, qui susurratoriam suam confessionem hoc testimonio adstruere conantur. Nam ex verbis Iacobi inferre promptum esset, solos sacrificos debere confiteri. Quando enim mutua hic vel reciproca (ut crassius loquar) confessio exigitur, non alii certe iubentur confiteri peccata sua, quam qui vicissim ad audiendam alterius confessionem sunt idonei; atque hoc soli sacrifici sibi vindicant: ergo ad eos solos ableganda est confessio. Sed quum indignae sint eorum ineptiae, quibus refutandis occupemur, sufficiat nobis vera et germana expositio, quam attuli. Clare enim sonant verba, non alio fine confessionem nobis praecipere, nisi ut, qui mala nostra noverint, ad opem ferendam magis sint solliciti. *Multum valet.* Ne quis putet, hoc fieri sine fructu, dum alii pro nobis orant, utilitatem et effectum orationis praedicat. Nominatim vero dicit *precationem iusti*, quia impios Deus non exaudit, nec ad Deum accessus patet, nisi per bonam conscientiam. Non quod in propria dignitate fundatae sint nostrae preces, sed quia fide purgatum cor habere oportet, ut nos in conspectum Dei offeramus. Testatur ergo Iacobus, iustos aut fideles utiliter, nec sine effectu pro nobis precari. Sed quid sibi vult, quod addit *efficax*? Videtur enim hoc esse superfluum; nam si multum prodest oratio, procul dubio est efficax. Quod vetus interpres transtulit: *assiduam*: nimis est coactum. Iacobus enim Graeco participio utitur *επισημομένην*, quod tantundem valet atque operans. Posset autem sic resolvi oratio: Multum prodest, quia est efficax, ut sit argumentum ductum ab illo principio, quod Deus non vult irritas vel otiosas esse fidelium preces. Inde non immerito colligit, multum valere. Sed ego potius ad praesentem circumstantiam restringo; proprie enim preces nostrae *επισημομεναι* dici possunt, dum nobis necessitas aliqua obicitur, quae serium orandi affectum excitet. Quotidie oramus pro tota ecclesia, ut peccata illi Deus remittat; sed tunc vere in actu est oratio, quum succurrere contendimus iis, qui laborant. Talis porro efficacia in fratrum precibus esse non potest, nisi nos laborare sciant. Ideo haec causae redditio non est generalis; sed ad priorem sententiam specialiter aptari debet.

17. *Elias homo erat.* Innumera huius rei, quam probare vult, exempla existant in scripturis; sed unum elegit prae aliis illustre. Magnum enim hoc fuit, quod Deus precibus Eliae coelum quodammodo subiecit, ut eius votis obsequeretur. Coelum Elias duobus annis et sesqui clausum suis precibus tenuit; rursus aperuit, ut largam pluviam subito funderet: hinc ergo mirifica patet orationis virtus. Nota est ac celebris historia, quae legitur I. Reg. capite 17. et 18. Tametsi autem diserte illic non traditur Eliam orassa: siccitatem tamen et pluviam eius precibus datam esse colligi facile potest. Gaeterum notanda est exempli applicatio. Non dicit Iacobus petendam esse siccitatem a Domino, quia hanc impetraverit Elias;



possemus enim inconsiderato zelo temere ac stulte aemulari prophetam. Ergo tenenda est orandi regula, ut ex fide. In hoc ergo accommodat exemplum, quod, si exauditus fuit Elias, nos quoque rite precando exaudiemur, quod, si exauditus sit commune orandi praeceptum et communis promissio: sequitur, effectum quoque fore communem. Na quis autem obiiceret, longe nos distare a gradu Eliae, eum collocat in nostro ordine, quum dicit, *hominem fuisse mortalem et iisdem nobiscum passionibus obnoxium*. Nam ideo minus proficimus ex sanctorum exemplis, quia ipsos fingimus semideos vel heroes, quibus peculiare fuerit cum Deo commercium: ita ex eo, quod exauditi sunt, nihil fiduciae concipimus. Ut hanc ethnicam et profanam superstitionem Iacobus excutiat, sanctos in carnis infirmitate considerandos esse admonet, ut discamus non eorum meritis, sed orationis efficaciae tribuere, quod omnia a Deo impetrarunt. Hinc apparet, quam pueriliter nugentur papistae, qui ad sanctorum patrocinium confugera docent, quia exauditi fuerint a Domino. Sic enim colligunt: Quia ille obtinuit, quod petebat, quamdiu vixit in mundo: nunc optimus erit post mortem nobis patronus. Haec argutia spiritui sancto incognita fuit. Nam ex adverso ratiocinatur Iacobus, quia tantum valuerunt eorum preces, debere nos similiter eorum exemplo hodie orare, idque nos non frustra facturos.

19. Fratres mei, si quis inter vos erraverit a veritate, et converterit quispiam eum: 20. Cognoscat, quod, qui converterit peccatorem ab errore viae suae, servabit animam a morte, et multitudinem operiet peccatorum.

20. *Cognoscat*. Dubito, annon potius scriptum fuerit *γινώσκωσα*. Ita legendum esset: Cognoscite. Utroque tamen modo stabit idem sensus. Commendat enim nobis Iacobus fratrum correctionem ab effectu, ut maiora studio in eam intenti simus. Nihil praestantius aut magis optabile, quam animam eripere ex morte aeterna; hoc autem facit, qui fratrem errantem reducit in viam: ergo tam praeclarum opus minime negligendum est. Cibum dare esurienti, et sitiienti potum, videmus, quanti Christus aestimet; atqui multo pretiosior est illi animae salus, quam corporis vita. Cavendum ergo, ne nostra ignavia pereant redemptae a Christo animae, quarum salutem quodammodo in manu nostra ponit Deus. Non quod salutem conferamus ipsi; sed quod Deus ministerio nostro liberat ac servat, quod alioqui videbatur exitio propinquum. Aliqui oodices habent: animam eius, quod de sensu nihil mutat. Ego tamen diversam lectionem sequi malo, quia plus energiae habet. *Operiet multitudinem peccatorum*. Alludit potius ad dictum Salomonis, quam pro testimonio citet. Salomon dicit (Prov. 10, 12.), caritatem tegere peccata, quemadmodum odium ea profert. Nam qui oderunt, libidina sese in mutuo infamandi ardent; qui amant, libenter inter se condonant multa: caritas ergo peccata sepelit apud homines. Iacobus hic altius quiddam docet, nempe quod deleantur coram Deo, acsi diceret, Salomon hunc caritatis fructum praedicat, quod tegat peccata; atqui nulla melior aut magis salutaris tegendi ratio, quam ubi in totum coram Deo abolerentur. Hoc autem fit, quam peccator nostra admonitione reducit in viam: ergo huc praecipue et magis sedulo incumbendum est.

ARGUMENTUM  
EPISTOLAE IUDAE.

**T**ametsi de hac quoque epistola diversis sententiis inter veteres certatum fuit: quia tamen utilis est lectu, nec quicumque a doctrinae apostolicae puritate alienum continet, iamque olim apud optimos quosque auctoritatem obtinuit, eam libenter aliis adnumero. Brevitas porro ipsius longam argumenti tractationem non desiderat, et tota fere summa cum II. Patr. cap. 2. convenit. Quia enim sub Christianismi titulo obrepserant impii nebulones, quibus summa voluptas erat, leves et infirmos inducere in profanum Dei contemptum: primum ostendit Iudas, non debere eiusmodi machinis percelli fideles, quibus semper impetita fuerit ecclesia; et tamen, ut sibi ab eiusmodi pestibus sedulo caveant, hortatur. Quo autem magis exosos reddat ac detestabiles, severe propinquam Dei vindictam, qualem eorum meretur impietas, illis denuntiat. Iam si reputemus, quid nostra hac quoque aetate ab exordio renascentis evangelii molitus sit Satan, et quibus adhuc artibus fidam et Dei timorem subvertere satagat: quae Iudae temporis utilis fuit admonitio, nostro plus quam necessaria est. Sed hoc totum ex epistolae lectione melius discetur.

---

EPISTOLA IUDAE APOSTOLI,  
 CUM  
 IOH. CALVINI  
 COMMENTARIIS.

1. Iudas Iesu Christi servus, frater autem Iacobi, vocatis, qui in Deo patre sanctificati sunt, et in Iesu Christo custoditi, 2. Misericordia vobis, et pax, et dilectio augeatur.

1. *Iudas Iesu Christi* etc. Christi servum se vocat, non qualiter promissive nomen hoc in omnes pios competit, sed apostolatus sui respectu. Peculiariter enim censentur Christi servi, quibus publicum aliquod munus iniunxit. Scimus autem, quorsum hoc titulo se ornare apostoli soleant. Ius ac potestatem docendi temere sibi arrogat, quisquis vocatus non est: ergo apostolis testimonium est sua vocatio, quod non privato se arbitrio ingerant, quamquam hoc solum per se non sufficeret, in officio esse constitutos, nisi fideliter in eo se gererent. Et certe utrumque complectitur, qui se Dei servum esse praedicat, nempe et sibi functionis, quam exercet, auctorem esse Deum, et bona fide se exsequi, quod mandatum est. Quia vero hunc titulum plerique mentiuntur, ac se falso iactant esse, a quo longissime absunt: semper videndum, an res ipsa professioni respondeat. *Frater Iacobi.* Nomen adscripsit, quod ecclesiis magis celebre ac notum erat. Etsi enim a nemine mortalium pendet doctrinae fides et auctoritas: magnum tamen hoc fidei subsidium est, quum nobis comperta est hominis integritas, qui doctoris partes suscipit. Adde, quod Iacobi auctoritas non quasi privati cuiuspiam hominis hic obtenditur; sed quia apud omnes ecclesias unus ex praecipuis Christi apostolis habebatur. Erat autem hic Alphaei filius, quemadmodum alibi dixi. Imo locus hic mihi suffragatur contra Eusebium et alios, qui tradunt, discipulum usque quem Obliviam cognomine illum esse, cuius meminit Lucas Act. 15, 13. et 21, 18., qui prae apostolis in illa ecclesia excelluerit. Atqui non dubium est, quin Iudas fratrem suum hic nominet, quia inter apostolos fama eminebat. Ergo eum fuisse probabile est, cui praecipuum honorem a reliquis concessum narrat Lucas. *Vocatis, qui in Deo.* Fideles omnes hoc nomine designat, quia Dominus sibi eos segregavit; sed quia vocatio nihil est quam aeternae electionis effectus, interdum pro ea capitur. In hoc loco parum refert, utrovis modo exponas. Gratiam enim Dei procul dubio commendat, qua sibi eos in peculium cooptare dignatus est. Ac homines non praevenire Deum significat, neque unquam ad eum accedere, donec eos traxerit. Eosdem dicit *sanctificatos in Deo patre*, quod transferre licet: per Deum patrem. Ipsam tamen loquendi formam retinui, ut liberum esset iudicium lectoribus. Potest enim et hic esse sensus: Quod in se ipsis profani, in Deo sanctitatem habeant. Porro sanctificandi modus est, quum spiritu suo nos regenerat. Altera lectio, quam sequutus est Vulgaris interpres, paulo durior, *ἡγιασμένοις*, hoc est, dilectis, in Deo patre. Itaque corruptam assa iudiciorum, et certa in

paucis codicibus reperitur. Addit praeterea, *custoditos esse in Christo*. Satanae enim semper essemus in mortem expositi, adcoque singulis momentis nos centies quasi obviam praedam raperet, nisi tuti essemus Christi praesidio: quam ideo pater custodem nobis dedit, ut nihil eorum, quae recepit in fidem ac tutelam suam, pereat. Triplex ergo Dei beneficium in omnibus piis hic praedicat Iudas, quod eos sua vocatione fecerit evangelii participes, quod spiritu suo regeneravit eos in vitae novitatem, et quod per Christi manum eos custodierit, na a salute exciderent.

2. *Misericordia vobis*. Idem fere valet misericordiae nomen, quod gratiae in salutationibus Paulinis. Si quis discrimen subtilius habere velit, proprie gratia affectus est misericordiae, quia non alia causa Deus nos in amorem complectitur, nisi quia miseras nostras respicit. *Dilectio* tam Dei erga homines, quam hominum inter se potest intelligi. Si ad Deum referas, sensus erit: Ut in illis ange-scat, et magis in dies sanciat in eorum cordibus divini amoris fiducia. Illud tamen alterum non male etiam quadrat, ut Deus accendat et confirmet in ipsis caritatem mutuam.

3. *Dilecti*, quum omne studium adhiberem ad scribendum vobis de communi salute, necesse habui scribere vobis, ad vos hortandos, ut certando adiuvetis eam, quae semel tradita est sanctis, fidem. 4. Subingressi enim sunt quidam homines, olim praescripti in hoc iudicium, impii, Dei nostri gratiam transferentes in lasciviam, et Deum, qui solus est herus, et Dominum nostrum Iesum Christum negantes.

5. *Quum omne studium*. *Σπουδὴν ποιούμενος*, verti: *adhibens studium*. Ad verbum sonat: *facere diligentiam*. Porro sententiam hanc multi interpretes ita resolvunt, quod vehemens studium Iudam ad scribendum compulerit, quemadmodum dicere solemus, eos, qui serio aliquo affectu ardent, sibi non posse temperare. Ergo necessitas, secundum eos, in eo fuit, quod desiderium scribendi non patiebatur Iudam silere. Ego autem potius duo hic membra distincta esse puto, quod, quum alioqui satis propensus et sedulo intentus ad scribendum esset, necessitas etiam eum coegerit. Significat ergo, se libenter quidem et cupide ad eos scribere; sed tamen necessitate etiam urgeri, ut id faciat, quia scilicet (ut in contextu sequitur) oppugnati ab improbis, ad pugnam instruendi erant. Ergo hoc priore loco testetur Iudas, sibi tantae curae esse eorum salutem, ut scribere ultro optarit, et quidem studiose. Deinde ut illorum attentionem excitet, rem simul ita postulescit dicit. Acres enim stimulos admovet necessitas. Nisi praemoniti fuissent, quantopere sibi necessaria esset haec cohortatio, poterant ad legendum esse pigri et residues. Quum vero ex praesenti eorum necessitate se scribere praefetur, perinde est, acsi classicum caneret excutiendo torpori. *De communi salute*. Quidam codices addunt: *vestra*; sed perperam, meo iudicio; nam communem illis secum salutem facit. Atque hoo doctrinae, quae proferenda est, non parum addit ponderis, quum quis ex proprio sensu et experientia loquitur. Futilis enim erit sermo, si de salute apud elios disseramus, cuius nullum ipsi habeamus gustum. Practicum ergo (ut ita loquar) doctorem se profitetur Iudas, quum in eiusdem salutis consortium, piorum numero se aggregat. *Ad vos hortandos* etc. Ad verbum est: *exhortans vos*; sed quum finem consilii sui notet, ita resolvi debet oratio. Quod transtuli, *fidem certando adjuvare*, tantundem valet

atque in retinenda fide eniti, et contrarios Satanae insultus fortiter sustinere. Monet enim, ut in fide persistent, obreunda esse varia certamina, ac continuam illis militiam instare. Fidem dicit *semel traditam*, ut ipsam sciant hanc lege se esse adeptos, ne unquam deficiant vel excidant.

4. *Subingressi*. Tametsi piis semper infestus est Satan, eosque subinde lacessera non desinit: eos tamen, quibus scribit, de praesenti necessitata admonet. Nunc, inquit, peculiariter vos aggreditur Satan et lacessit: sumenda igitur arma sunt ad resistendum. Hinc colligimus, prudenter dispiciendum esse bono et fido pestori, quid praesens ecclesiae usus postulat, ut huc accomodet suam doctrinam. Verbum *παρσιδύσασ*, quo utitur, obliquam et furtivam insinuationem notat, qua Satanae ministri incautos decipiunt; notu enim et dormientibus agricolis lolium suum spargit Satan, ut primum corrumpat Domini samen. Ac simul docet, intestinum esse hoc malum. Nam hic quoque Satanae astus est, suscitare ad nocendum eos, qui ex grege sunt, quo facilius obrepant. *Olim praescripti*. Iudicium vocat vel damnationem, vel reprobum sensum, quo feruntur, ut pietatis doctrinam pervertant; neque enim id quisquam facere potest, nisi suo exitio. Porro haec metaphora inde sumpta est, quod aeternum Dei consilium, quo ordinati sunt fideles ad salutem, liber vocatur. Quum autem illos morti aeternae adictos audiunt fideles, cavere sibi debent, ne eodem se involvant exitio, quamquam simul occurrere periculo voluit Iudas, ne quos rei novitas turbaret vel percelleret. Nam si illi iam olim descripti sunt, sequitur nonnisi certo Dei consilio exerceri ecclesiam. *Dei nostri gratiam* etc. Iam qualis fuerit pestis illa, clarius exprimit. Dicit enim, gratia Domini abusos esse, ut ad impuram et profanam peccandi licentiam se et alios prostituerent. Atqui longe in alium finem apparuit Dei gratia, ut scilicet, abnegate impietate et terrenis desideriis, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo. Sciamus ergo, nihil esse pestilentius hoc hominum genere, qui ex Christi gratia lasciviendi praetextum captant. Quia gratuita Dei misericordia nos salutem consequi docemus, huius criminis nos insimulant papistae. Sed quid verbis refellere eorum impudentiam ettinet, quum nos poenitentiam, timorem Dei, vitae novitatem ubique urgeamus? Ipsi autem non modo pessimis exemplis totum mundum corrumpant, sed etiam impia sua doctrina veram sanctitatem et purum Dei cultum tollant e mundo, quamquam eos, de quibus loquitur Iudas, potius existimo libertinis nostri temporis fuisse similes, ut clarius patebit ex contextu. *Deum, qui solus est herus*. Veterasti quidam codices habent, Christum, qui solus est Deus aetherus. Et certe in secunda Patri epistola solius Christi fit mentio, et illic herus vocatur. *Christum vero abnegari* intelligit, quum ii, qui sanguine illius redempti fuerant, diabolo se rursus mancipantes, incomparabile illud pretium, quantum in se est, irritum faciunt. Ergo ut nos in suo peculio Christus retineat, ideo pro nobis mortuum esse et resurrexisse meminerimus, ut dominetur vitae nostrae ac morti.

5. *Commonefacere autem vos volo*, quum istud semel noveritis, quod Dominus, postquam ex terra Aegypti populum servaverat, postea non credentes perdidit. 6. *Angelos vero, qui principatum (vel initium) suum non servaverant, sed reliquerant suum domicilium, in iudicium magnae diei vinculis aeternis sub caligine servavit.* 7. *Quemadmodum Sodoma et Gomorrha, et, quae circum erant, urbes, quum*

simili modo scortatae essent, et abiissent post carnem alienam, propositae sunt in exemplar, ignis aeterni iudicium sustinentes.

5. *Commonefacere.* Vel modestiae causa excusat, ne videatur tamquam rudes de rebus incognitis docere, vel certe (quod mihi magis placet) maioris vehementiae causa, se nihil novum aut illis inauditum afferre profiteretur, quo plus fidei et auctoritatis obtineat, quod dicturus est. Ego, inquit, tantum in memoriam vobis revoco, quae iam semel didicistis. Quemadmodum vero scientiam illis tribuit, ut ad cavendum magis sint attentī: ita ne supervacuum esse putent, quem erga eos suscipit, laborem, illos monitionibus opus habere dicit. Neque enim hic tantum est verbi Dei usus, ut discamus, quae nunquam fuimus edocti, sed etiam ut nos excitet ad ea, quae iam tenemus, serio meditanda, nec torpere nos in frigida notitia sinat. Summa autem est, postquam a Deo vocati sumus, non secure esse gloriandum eius gratia; sed potius sollicitē in eius timore ambulandum, quia, si quis Deo in hunc modum illudat, non impune cœsurus sit gratiae eius contemptus. Hoc tribus exemplis demonstrat. Primo enim ultionem commemorat, quam de incredulis sumpsit Deus, quos virtute sua redemptos in populum cooptaverat. Eadem fere comparatio est apud Paulum, I. Corinth. cap. 10. Summa est, quos Deus summis beneficiis ornaverāt, quos extulerat in eundem honoris gradum, quo nos hodie dignatur; postea severs ultus est. Ergo frustra Dei gratia superbiunt, quicunque eius vocationi non respondent. Nomen *populi* honorifice capitur pro gente sancta et electa, acsi diceret, nihil illis profuisse, quod singulari privilegio in foedus assumpti essent. Quum *incredulos* vocat, fontem designat malorum omnium. Inde enim quaecunque eorum peccata Moses commemorat, quod se Dei verbo regi non sustinebant. Nam ubi fidei subiectio, necesse est, ut simul in omnibus vitae partibus constet erga Deum obedientia.

6. *Angelos vero etc.* Argumentum a maiori ad minus. Angelorum enim conditio praestantior fuit quam nostra, et tamen eorum defectionem horribili exemplo ultus est Deus. Non igitur perfidiae nostrae ignoscet, si a gratia, in quam nos vocavit, desciverimus. Haec certe poena, quae coelorum incolis et tam excellentibus ministris Dei inflicta fuit, assidue nobis ante oculos versari debet, ac quando in contemptum gratiae Dei efferamur, unde praecipites ruamus in exitium. *Ἀρχή* hoc loco tam pro origine quam principatu apte sumi potest. Significat enim Iudas, ideo poenas dedisse, quia spreta Dei bonitate a prima vocatione exciderint. Et statim sequitur expositio, quum dicit: *reliquisse suum domicilium.* Nam non secus ac fieri solet a militibus transfugis, statio, in qua collocati erant, ab illis deserta fuit. Notanda est etiam poenae atrocitas, quam exprimit apostolus. Non modo liberi erant spiritus, sed coelestes dominationes; nunc perpetuis vinculis constricti tenentur. Non modo fruebantur gloriosa Dei luce, sed eius splendor in illis refulgebat, ut inde, quasi per radios, se ad omnes mundi partes diffunderet; nunc sub caligine demersi sunt. Porro nobis fingendus non est locus, quo inclusi sint diaboli. Simpliciter enim docere voluit apostolus, quam misera sit eorum conditio, ex quo propter apostasiam sua dignitate privati sunt. Nam quocumque pergant, secum trahunt sua vincula, et suis tenebris obvoluti manent. Interea in magnum diem extremum eorum supplicium differtur.

7. *Quemadmodum Sodoma et Gomorrha.* Hoc exemplum magis generale est; testatur enim Deum, nullo hominum genere excepto, promiscue poenam sumere de omnibus impiis. Et Iudas ipse postea

commemoratur, incendium illud, quo perierunt quinque urbes, typum esse ignis aeterni. Ergo Deus tunc insigne documentum statuit, quod usque in finem mundi in timore homines contineret. Unde toties illius fit mentio in scriptura. Imo quoties memorabile aliquod vel tremendum Dei iudicium notare voluit prophetae, sub figura ignis sulphurei illud pingentes, ad Sodomae et Gomorrhæe interitum alludunt. Quare non sine causa Iudas proposito eiusmodi speculo terrorem saeculis omnibus inouit. Quum dicit *vicinas urbes in similem cum illis modum scortatas esse*, hoc non ad Israelitas et angelos, sed mutuo ad Sodomam et Gomorrhæam refero. Nec obstat, quod pronomen τούτοις masculinum est; nam ad incolas potius quam ad loca Iudas respexit. *Abire post alienam carnem* posuit pro: *abrupti ad prodigiosas libidines*. Scimus enim Sodomitas communi scortandi licentia non contentos, magis exsaceranda ad praepostera foeditate pollutos fuisse. Notandum est, quod eos subiicit igni aeterno; nam hinc colligimus, formidabile illud spectaculum, quod describit Moses (Genes. 19, 24.), tantum grauioris poenae fuisse imaginem.

8. Similiter isti quoque somniis delusi, carnem quidem contaminant, dominationem vero reiiciunt, et in glorias maledicta congerunt. 9 Atqui Michael archangelus, quando iudicio disceptans cum diabolo, disputabat de corpore Moysis, non ausus fuit iudicium inferre contumeliae; sed dixit: Increpet te Dominus. 10. Isti vero quaecumque nonauerunt, convitiis incessunt; quaecumque vero naturaliter tamquam bruta animalia sciunt, in iis corrumpuntur.

8. *Similiter isti* etc. Similitudo ista praecise urgenda non est, acsi in omnibus eos, quorum meminit, Sodomitis conferret, vel angelis apostatis, vel incredulo populo. Tantum indicat esse vasa irae ad interitum destinata, nec posse Dei manum effugere, quin aliquando in ipsis quoque tale documentum statuat. Consilium enim eius est, absterreere pios, quibus scribit, ne illorum consortium se involvant. Porro hoc loco incipit illos impostores clarius describere. Ac primum dicit, eos velut somniando polluere carnem suam. Quibus verbis stupidam impudentiam notat, acsi diceret, projectos esse ad omnem foeditatem, a qua nequissimi etiam abhorrent, nisi somnus pudorem adeoque sensum tollat. Est igitur metaphorica loquutio, qua significat, ipsos tam esse libetes, ut sine ulla verecundia ad omnem turpitudinem se prostituant. Notanda autem est antithesis, quum dicit, eos *carnem contaminare*, hoc est, quod minus praestantiae habet, dehonestare; et tamen spernere quasi probrosum, quod in genere humano maxime excellit. Ex hoc secunda membro apparet, fuisse tumultuosos homines, qui anarchiam quaererent, ut soluti legum metu liberius peccarent. Atque haec duo semper ferro coniuncta sunt, ut, qui proiecti sunt ad nequitiam, simul omnem ordinem abolitum esse cupiant. Porro tametsi hic erat eorum scopus, absque iugo exsultare; apparet tamen ex Iudae verbis, proteruo eos et contumeliose de magistratibus loqui solitos. Quemadmodum hodie fanatici homines non tantum fremunt, se cohiberi magistratum imperio, sed furiose adversus omnem politiam declamant: ius gladii profanum esse dicunt et pietati adversum; denique ex ecclesia Dei reges et omnes magistratus superciliose abdicant. *Glorias* vocat ordines excellentia praeditos, et qui honore supereminent.

9. *Atqui Michael archangelus.* Brevius hoc argumentum Petrus et in genere perstringit, quod angeli, qui longa praestant hominibus, non tamen andeant contumeliosum iudicium inferre. Porro quia hanc historiam ex libro apocrypho sumptam putarunt, inde factum est, ut minus ponderis haberat epistola. Sed quum Iudaei tum multa haberint ex patrum traditionibus, nihil absurdi esse video, si dicamus, Iudem retulisse, quod iam a multis saeculis fuerat per manus traditum. Scio equidem, multas ineptias hoc titula receptas fuisse, quamadmodum hodie papistae quaelibet insulsa monachorum deliria in hoc catalogo recensent; sed hoc non obstat, quin historias quasdam habuerint scriptis non proditas. Hoc extra controversiam est, Mosem a Domino sepultum esse, hoc est, certo Dei consilio occultum fuisse eius sepulcrum. Absconditi autem sepulcri causa nemini obscura est, ne scilicet corpus eius in superstitionis materiam abducant Iudaei. Quid argo mirum, si prophetae corpus divinitus absconditum Satan in medium proferre conatus est? Angeli autem contra obstiterunt, sicuti eorum ministerium semper Deo promptum est. Et certe videmus, Satansum omnibus fere saeculis hunc lapidem movisse, ut corpora servorum Dei totidem stultis hominibus idola essent. Quare ob hoc testimonium, quamvis in scriptura non repariatur, suspensa nobis esse haec epistola non debet. Quod Michael adversus Satanam disceptans solus inducitur, novum non est. Scimus, angelorum myriadas praesto semper esse ad Dei obsequium; sed ipse ad res gerendas hunc vel illum cum delectu adhibet, prout placuit. Quod a Michaele dictum refert Iudas, apud Zachariam (3, 2.) quoque habetur: Incepit te Deus; vel: Compescat Satan. Est autem comparatio maioris et minoris, ut vocant. Non ausus est Michael atrociori maledicere Satanæ (qui tamen reprobus est ac damnatus), quam ut illum Deo cohibendum traderet; isti autem potestates, quas singulari honore ornat Deus, extremis probris incessere non dubitant.

10. *Quaecumque non noverunt.* Significat, eos nihil nisi crasum et quasi pecusium sapere, ideoque non percipere, quid honore dignum sit; tamen accedere hanc insanam audaciam, ut damnare non vereantur, quae captum eorum sperant. Item diverso vitio laborare, quod, quum pecudum more ad ea ferantur, quae sensibus corporis se ingerunt, in illis nihil servent modestiae; sed se penitus ingurgitent, non secus ac porcus in luti foetorem se provolvit. Adverbium *naturaliter*, rationi et iudicio opponitur. Solus enim naturae impetus in brutis animalibus regnat; ratio autem hominibus moderari debet, et eorum appetitus frenare.

11. *Vae illis, quoniam viam Cain ingressi sunt (Genes. 4, 12.), et deceptione mercedis Bileam effusi sunt (Numer. 22, 21 ss.), et contradictione Corae perierunt (Num. 16, 1 ss.).*  
 12. *Hi sunt in fraternis vestris conviviis maculae, inter se (vel vobiscum) convivantes, secure pascentes se ipsos, nubes aqua carentes, quae a ventis circumagantur, arbores autumnii emarcidae, infrugiferae, bis emortuae, et eradicae,*  
 13. *Undae efferatae maris, despumantes sua ipsorum dedecora, stellae erraticae, quibus caligo tenebrarum in aeternum servata est.*

11. *Vae illis etc.* Mirum est, cur eos tam dure insectetur, quum ne adversus Satanam quidem contumeliae iudicium angelo per-



missum fuisse nuper dixerit. Sed noluit generalem regulam praefigere; tantum Michaelis exemplo breviter ostendit, quam intolerabilis sit istorum furor, dum petulanter convitiis proscindunt, quod Deus honorat. Licebat certe Michaeli, ultimo anathemate fulminare in Satanam, et videmus, quam vehementer insurgant interdum prophetae contra impios; sed quum Michael ab extrema severitate (alioqui licita) abtineat, quam furiosum est erga creaturas gloria excellentes nullum modum tenere? Caeterum quum de illis pronuntiat, non tam illis malum imprecatur, quam praemonet, qualis illos exitus maneant; idque facit, ne quem incantum secum in perniciem rapiant. Dicit, eos imitatores esse *Cain*, qui Deo ingratus, cultum eius impio et scelerato corde pervertens, ius primogeniturae sibi abdicavit. Dicit, instar *Bileam* mercede fuisse deceptos, quia pietatis doctrinam turpis lucri gratia adulterant. Sed metaphora, qua utitur, aliquanto plus exprimit. Dicit enim *effusos esse*, quia scilicet instar aquae diffluentis proiecta sit eorum intemperies. Tertio dicit, eos imitari *contradictionem Corae*, quia scilicet bona compositum ecclesiae statum perturbent.

12. *In fraternis conviviiis maculae.* Qui legunt: Inter caritates vestras, non satis germanum sensum (meo iudicio) explicant. Nam *ἀγάπης* vocat convivium, quae inter se agitabant fideles, fraternae unitatis testandae causa. Tales epulus dehonestari dicit ab impuris hominibus, qui dissolute postea se ipsos pascent. Erat enim, illic summa frugalitas et moderatio. Fas ergo non erat, gurgites illuc admitti, qui postea intemperatoer abdomen suum alibi replerent. Nonnulli codices habent: *Couvivantes vobiscum*; quae lectio si magis placeat, sensus erit, illos non dedecori modo esse, sed graves ac molestos, ut qui publicis ecclesiae sumptibus ventrem suum intrepide farcirent. Paulo aliter Petrus, qui eos in erroribus deliciari scribit, et una cum grege fidelium vesci, acsi diceret, inconsiderate facere eos, qui tam noxios serpentes alunt, et bis stultos, qui profusae eorum luxuriae indulgent. Atque hodie utinam plus iudicii in quibusdam bonis viris foret, qui, dum erga improbos nimis benigni esse appetunt, magnum toti ecclesiae damnum afferunt. *Nubes aqua carentes.* Duae similitudines, quae habentur apud Petrum, in unam colligit, eodem tamen sensu. Vanam enim ostentationem uterque taxat, quia nebulosus isti, quum multa pronuntiant, intus tamen aridi sunt atque inanes, quemadmodum nubes procellis agitatae, spem pluviae faciunt, sed statim evanescent in nihilum. Petrus addit sicci et vacui fontis similitudinem. Iudas autem plures metaphoras in eundem finem congerit, quod *arbores sint emarcidae*, quemadmodum autumnus defluit arborum vigor; postea vocat arbores *infrugiferas, eradicatas* et *bis emartuas*, acsi diceret, nihil intus esse succi, utcumque appareant folia.

13. *Undae efferatae maris.* Quorsum hoc additum sit, melius ex Petri verbis colligere licet, nempe quod inflati superbia, magniloquo stylo verborum ampullas efflant, vel potius despumant. Interea adeo nihil afferant spirituale, ut potius homines deliciant ad brutorum animalium stuporem. Tales (ut prius dictum est) hodie sunt fanatici homines, qui se libertinos vocant. Dicat mera eos tonitrua sonare; nam communi sermone spreto, exoticum nescio quod idioma sibi fingunt; postquam visi sunt suos discipulos supra coelum rapere, repente in belluinos errores procidunt. Fingunt enim, innocentiae esse statum, ubi nullum discrimen est turpis et honesti; fingunt, spirituale esse vitam, dum, extincto metu, secure sibi quisque indulget, nos fieri deos, quia spiritus ex corporibus migrantes Deus absorbeat. Quo maiore studio ac reverentia nobis colenda est scripturae simplicitas, ne argutius, quam par est, philosophando, non

coelo appropinquemus, sed potius in multiplices labyrinthos mergamur. Ideo *stellas erraticas* vocat, quia evanida lucis specie oculos perstringant.

14. Prius autem etiam illis vaticinatus est septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, 15. Ut faciat indicium adversus omnes, et redarguat ex eis omnes impios de factis omnibus impietatis, quae impie patrarunt, deque omnibus duris, quae loquuti sunt adversus Deum peccatores impii. 16. Hi sunt murmuratores, queruli, iuxta concupiscentias suas ambulantes, et os illorum loquitur tumida, admirantes personas, utilitatis gratia.

14. *Prius autem* etc. Vaticinium hoc potius *ἄραρον* fuisse puto, quam ex apocrypho libro adductum. Fieri enim potest, ut dictum hoc memorabile veteres commendarent posteris. Si quis roget, quum passim occurrant in scripturis non absimiles sententiae, cur non ex aliquo propheta scriptum testimonium citaverit: solutio in promptu est, voluisse ab ultima vetustate repetere, quid spiritus de illa pronuntiaverit; atque hoc verba sonant. *Septimum* enim ab Adam nominatum dicit, ut vaticinii antiquitatem commendet, quod scilicet iam priore mundo extiterit. Quod autem prophetiam hanc dixi ex relatu notam fuisse Iudaeis, si quis aliter sentiat, non contendo, sicut nec de epistola quidem, sitne Iudae, an alterius cuiuspiam. Tantum in rebus dubiis quod probabile est, sequor. *Ecce venit*. Praeteritum loco futuri, more prophetico. Dicit venturum *in sanctorum millibus*, sub quibus verbis tam fideles quam angelos designat. Nam ornabunt ntrique Christi tribunal, quum ad iudicandum orbem descendet. Millia dicit, quemadmodum et Daniel (7, 10.) angelorum myriadas praedicat, ne impiorum multitudo, quasi violentum mare, filios Dei abripiat, dum fore cogitant, ut suos aliquando colligat Dominus, quorum pars in coelo habitans nunc oculos nostros fugit, pars sub ingenti paleae cumulo obruta latet. Quae autem reprobis impendet vindicta, electos in metu et sollicitudine continere debet. Loquitur de factis et dictis, quia isti corruptores non tantum scelerata vita, sed impuro et perverso sermone plurimum nocebant. *Duros* autem vocat sermones ob praefractam audaciam, qua elati se petulanter ingerunt.

16. *Hi sunt murmuratores*. Quia sibi in pravis cupiditatibus indulgent, simul difficiles sunt ac morosi, ut illis nunquam satisfiat: hinc fit, ut semper obmurmurent ac querantur, quantumvis se illis benigne probi homines impendant. Magniloquentiam taxat, quod se ipsos fastuose iactent; sed interea ostendit illiberali esse ingenio, quia serviliter se demittant, lucri gratia. Ac vulgo haec inaequalitas perspicitur in eiusmodi nebulonibus; ubi nemo est, qui eorum insolentiam reprimat, vel nullus est respectus, qui obstat, intolerabilis eorum est superbia; adeo imperiose quidvis sibi arrogat. Quos autem metuunt, vel a quibus sperant aliquid commodi, iis sordide blandiuntur. *Personas* accipit pro externa magnitudine vel potentia.

17. Vos autem, dilecti, memores estis (vel estote) verborum, quae praedicta sunt ab apostolis Domini nostri Iesu Christi, nempe, 18. Quod vobis dixerunt, ultimo tempore

futuros (vel *venturos*) derisores, qui secundum concupiscentias suarum impietatum ambularent. 19. Hi sunt, qui se ipsos segregant, animales, spiritum non habentes.

17. *Vos autem.* Vetusstissimae prophetiae nuno apostolorum monitiones, quarum recens erat memoria, subiicit. Verbum *μῆσθητε*, non multum refert, indicativo an hortandi modo legas; manet enim idem sensus, praedictione, quam citat, munitos non debere percelli. *Tempus ultimum* intelligit, quo renovata ecclesiae conditio fixum statum accepit usque in finem mundi. Coepit autem a priore Christi adventu. *Derisores* vocat, more scripturae, qui impio et profano Dei contemptu inebriati, in ballinum numinis contemptum prosiliunt, ita ut nulla eos religio contineat amplius in officio, quia nullus haeret futuri iudicii metus in eorum animis, nulla spes aeternae vitae, quamadmodum hodie passim Epicureis Dei contemptosibus mundus scotet, qui excussa prorsus omni reverentia, furiose totam pietatis doctrinam quasi fabulosam subsannant.

19. *Qui se ipsos segregant.* Nonnulli codices Graeci partioipium absolutum habent; alii addunt *λαυροίς*, sed eodem fere sensu. Intelligit enim, eos discessionem facere ab ecclesia, quoniam disciplinae iugum ferre nequeant, ut qui carni addicti a spirituali vita abhorreant. *Anima* hic spiritui, hoc est, reuovationis gratiae opponitur: ideoque vitiosum inganium significat, quale est in hominibus nondum regenitis. Nam in hac degeuere natura, quam ab Adam trahimus, nihil nisi crassum est ac terrenum, ut nulla pars nostri ad Deum adspiret, donec renovati simus eius spiritu.

20. Vos autem, dilecti, sanctissimae vestrae fidei vosmet superstruentes, in spiritu sancto precantes, 21. Vosmet in caritate servate, exspectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitam aeternam. 22. Et hos quidem miseramini, diiudicantes; 23. Illos vero per timorem servate, ex incendio rapientes, odio prosequentes etiam maculatam a carne tunicam. 24. Ei autem, qui servare potest vos (vel eos) a peccato immunes, et statuere in conspectu gloriae suae irreprehensibiles cum exultatione, 25. Soli sapienti Deo, servatori nostro, gloria et magnificentia, et imperium, et potestas nunc, et in omnia saecula. Amen.

